COMMENTARII IN LAMENTATIONES HIEREMIÆ PROPHETÆ, ET IN MALACHIAM Prophetam.

AVTORE D. PETRO A FIGVEIRO
Canonico Regulari Congregationis S. Crucis Conimbricensis, reformatæ, Lusitano.

CVM DVPLICI INDICE.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM
Lopum Suarez ab Albergaria Portalegrensem Episcopum.

LVGDVNI,
EX OFFICINA IVNTARVM.

M. D. XCVI.

CLARISSIMO VIRO LOPO SVAREZ AB ALBERGARIA, SACRÆ Theologiæ doctori, & sanctæ Inquisitionis quæsitori vigilantissimo,

D. Petrus à Figueiro presbyter Canonicus Monasterij S. Crucis Conimbricensis, perpetuam optat felicitatem.

CVM superioribus annis commentarios quosdam scripsissem in duodecim prophetas, quos minores vocant, eósque viri quidam docti, ac pij legissent, non cessarunt quotidianis conuiciis efflagitare, vt eos aliquando emitterem. Ego autem qui neque luce dignos putarem, neque

ea mente, vt in lucem ederentur, composueram, sed vt meis priuatis studiis consulerem, virorum illorum efflagitationibus & conuiciis minimè mouebar, maximè (fatebor enim) cùm multorum iudicia, & censuras pertimescerem. Verùm cùm tum literis tuis, tum coràm intellexissem, te quoque eorum editionem desiderare, nec id solùm, sed eam intercipere, & exequutioni mandare velle, non ampliùs existimaui, mihi aut timendum esse, aut morandum. Spero enim sub tanto ac tali patrono eos in manus quorumcúmque tutò ac securè venturos. Tibi ergo illos offero, consecro, dedico, & tuæ mando fidei, téque obsecro, vt operam des, vt quamprimùm, & quàm correctissimè imprimantur: id quod iam non tam meo periculo, aut laude, quàm tuo futurum esse intelligis. Placuit tamen imprimis annotatio-

nes

nes in lamentationes Hieremiæ & Malachiam præmittere, quas si intellexero dictis placere, ad alias edendas me accingam. Vale in Christo vir clarissime, & in eodem me amantem redama.

Tuus, quantum suus.

D. PETRVS A FIGVEIRO.

TYPOGRAPHVS
beneuolo Lectori S.

QVONIAM (*benigne Lector*) *huius libri author, antequā eo in lucem edito gaudere posset, vitā cum morte commutauit, & interim illustrissimus Dominus Lopus Suarez ab Albergaria cui eum merito consecrarat, non solum ob illa fortunæ ornamenta, ob quæ à vulgo beatus haberi potest, nobilitatem videlicet sanguinis, cum ab illustrissima & antiquissima familia in Regno Portugalliæ originē trahat: sed etiam ob præclaras animi virtutes & ornamenta, perfectamq́; vtriusq; Philosophiæ, diuinæ scilicet & humanæ, cognitionem, cui ab ineunte ætate sese dedit, Portalegrensis Episcopus haud immerito sit creatus, in ipso libri frontispicio eius dignitatis mentionē factam inuenies, cuius rei te admonere volui, ne mireris quòd author in dedicatoria epistola eiusdē nòn meminerit: siquidem (vt diximus) multò antè vltimū diē clauserat, librū autē tibi laudandum nō putaui, quoniam ipse de se testimoniū perhibet: hoc vnū dico, nihil amplius à viro sacræ paginæ intelligēdi curioso desiderari posse in subiecta materia. Vale, & pro ipso authore Deum Opt. Max. deprecare.*

IN LAMENTATIONES HIEREMIÆ EXPOSITIO.

HIc liber nullum titulum habet in Hebraico. Rabbini titulum faciunt קינות *Cinoth*, id eſt, lamentationes. Quomodo etiam Græci θρῆνοι à θρηνέω, lamentor, lugeo. In Breuiario Romano commodius dicitur, ſingulariter lamentatio. Quamuis enim multa eſt materia lamentationis, ſi ſingula bona perdita conſideres, & ita multæ ſint lamentationes; tamen lamentatio vna communis eſt deſtructio Hieruſalem: ſicut licet plures ſint Iſaiæ viſiones, omnes tamen viſio dicuntur, vt ibi explicauimus & LXX. in procemio lamentationem ſingulariter dixerunt. Nec eſt vlla dubitatio quin opus ſit Hieremiæ Prophetæ. Quare in Conſ. Trident. ſect. 4. nõ exprimitur nominatim, ſed ſub Hieremiæ nomine intelligitur. Nullum item procemiũ habet apud Hebræos, ſed ex abrupto incipitur: Quomodo ſedet, &c. Sed LXX. procemiolũ adſcripſerunt, hoc modo καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τὸν Ἰσραὴλ, καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι, ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων, καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ εἶπεν, id eſt, *Et factum*

Vna lamẽtatio dicta propter cauſam lamẽtationis.
Viſiones Iſa. vna viſio dicta.

est, postquam in captiuitatem redactus est Israël & Hierusalem in desertum, sedit Hieremias flens & lamentatus est lamentationem hanc super Hierusalem, atque dixit. Hanc scripturam Iudæi ex præscripto Rabbinorum legunt in synagoga, die 9. mensis Ab, qui Iulio nostro respondet, quoniam eo die tandem cecidit Israël, & Hierusalem atque templum succensa sunt. Quod faciendo, Deum se promereri putant nixi dictis Isaiæ 66. *Gaudete cum ea*(nimirum cum Hierusalem)*gaudio vniuersi, qui lugetis super eam*, &c. quasi dicat, dignũ est, vt gaudeatis de eius restitutione & reædificatione, qui ruinam eius dolẽter tulistis, & planxistis, & illi quidem vana sese expectatione consolantur Hierusalem terrenę: nos autem cælestem speramus. Et quoniam prior illa Hierusalem destructio per Chaldæos facta, figura quodam modo fuit huius posterioris, quæ per Romanos erat facienda, cuius causa fuit immane illud scelus, quæ Dei filium ad se missum occiderunt: idcirco ab Ecclesia in diuino passionis officio eadem lamentatio decantatur. Quanto autem grauius fuit scelus occisionis Christi, quàm scelus Idololatriæ propter quod potissimum prior destructio facta est: tanto est incomparabiliter, posterior destructio grauior atque diuturnior. Illa enim septuaginta durauit animas, hæc durat plus iam mille quingentos, nec interim tamen vlla affulget reuocationis ac restitutionis spes, nec affulgebit vnquam. Iuxta illud Hieremię 30. *Curationis vtilitas non est tibi*, & alia quæ citamus in capite 1. Isaiæ, ad illa verba, *Vulnus, & liuor,*

Lamẽtationem legunt Rabbini in synagogis die 9. mẽsis Ab. 4. Regũ. 25. Mensis Ab Iulio respõdens. Isaia 66.

Destructio pastior Hierusalẽ grauior propter grauius scelus.

Hierem. 30.

& pla

& plaga tumens. Et illam quidem defleuit Hieremia Propheta Domini: hanc Dominus ipſe Ieſus prophetarũ Dominus deplorauit: Luc. 19. *Videns* (inquit) *ciuitatem, fleuit ſuper illã dicens: quia vnde ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi? nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Et horum omnium cauſam aperit, *Eò quòd non cognouèris* (inquit) *tempus viſitationis tuæ*, id eſt, quia tanta fuit tua cæcitas, vt medicum ipſum occideris, qui ad te curandam ac ſanandam venerat. Et priores quidẽ caſus & ruinę, quibus ſæpè vexata & euerſa eſt Hieruſalẽ, ſanabiles fuerũt, & ſanati ſunt: at poſtrema iſta plaga inſanabilis prorſus eſt. Vſque ad Chriſtum enim Iudæi, etſi peccatores erant, tamen filij erant, non hoſtes: & ideo omnis ira quæ veniebat ſuper eos, caſtigatio erat de miſericordia veniens, non condemnatio de furore deſcendens: crucifixo autem Domino Saluatore deſierunt eſſe filij, & facti ſunt hoſtes. Propterea non iam caſtigatio venit corrigẽs, ſed condemnatio eradicans. Capta eſt enim Hieruſalem ab Aſſyriis, & iterum reparata eſt: deſtructa eſt ab Antiocho, & iterum reædificata eſt: inuaſa eſt tertiò à Pompeio, & iterum reparata eſt: ſicut enim homo, priuſquã dies mortis eius adueniat, languere quidem poteſt, mori autem nõ poteſt; ſic & Iudæa ante Chriſtum vexata eſt quidem, perdita autem non eſt. Poſtquam verò horren-

Luc. 19.

Crucifixo dñmino deſierunt Iudæi eſſe filij, & facti ſunt hoſtes.

dum illud parricidium commiserunt, filij patrem crucifigendo, eíque mortem inferendo, à quo acceperāt vitam, & quod maius est, occidendo serui Dominum, homines Deum: tali eos plaga percussit, vt nunquam sanentur: sicut illi tale facinus commiserunt, quale nunquam commissum est, neque committetur, vnquam: sic & super illos talis sententia venit, qualis nunquam venit, nec ventura est, vsque ad consummationē sæculi. *Implent enim peccata sua semper: peruenit enim ira Dei*
1. Thess. 2. *super illos vsque in finem.* 1. Thess. 2. ex quibus verbis satis intelligitur nunquam fore reędificādam terrenam illam Hierusalem, nec pristinū statū re-
Hierem. 19. cuperaturam. Quare à Hiere. 19. ruina hęc vltima Hierusalem comparatur testæ confractæ, quæ irreparabilis est: porrò autē comparatur vasi nondum cocto, quod dissipatum potest in eandem formam vel etiam meliorem reformari. cap 18. Vnde Hieron. in d. cap. 19. ait: *Perspicuè non de Babylonia, sed de Romana dicitur captiuitate. Post Babylonios quippe, & vrbs instaurata, & populus reductus, in Iudæam, & abundantiæ pristinæ restitutus est. Post captiuitatem autē, quæ sub Vespasiano & Tito, & postea accidit sub Adriano, vsque ad cōsummationem sæculi ruinæ Hierusalem permansuræ sunt.* Quæ verò Hieronymus adiungit, valde miror nec mihi probantur si fas est dicere: Ait enim: *Quanquam sibi Iudæi auream atque gemmatam Hierusalem restituendam putent; rursumq́, victimas, & sacrificia, & coniugia sanctorum, & regnum in terris Domini saluatoris: Quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi ecclesiasticorum virorum & marty-*

res ista dixerunt: & vnusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio reseruentur. Sic Hieron. Quem certè nollem in hac parte tam modestum fuisse, vt apertam hæresim atque blasphemiam damnare non audeāt, quòd multi Ecclesiasticorum virorum & martyres eam asseruerint. Quid enim hoc aliud est quàm Iudęos in sua infidelitate confirmare, & gẽtes cogere Iudaizare? & certè ipse idem Hieron. in multis locis aliis tale commẽtum reiicit: Quod quidam ex verbis Domini concipiebāt, cũ dixit. Matt. 26. *Non bibam à modo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, quo bibam illud nouum vobiscum in regno patris mei.* Quod tamen intelligitur de sanguine Christi, quod in altari bibimus vt ipse Hieron. exponit in epistola ad Hedibiam, quęstione secunda vbi Iudaicas fabulas esse repellendas asserit, id est, regnũ Christi temporale in hoc mundo. Idem etiam damnat in commentariis ad finem cap. 68. Isai. ex illo Domini testimonio Matth. 22. in resurrectione neque nubẽt, neque nubẽtur, & in cap. 23. eiusdem Isai. ad illa verba, & erit negotiatio eius. Eos qui talia sentiunt, Christianos Iudaizantes appellat. Qui autẽ sint ecclesiastici illi tractatores, quorũ errorem damnare nó audet, ipse aperit in proœmio decimi octaui commentariorum Isaiæ, id est Tertullianus, Victorinus, Lactantius, Latini: & ex Græcis, Irenæus Lugdunensis Episcopus. Quibus alij adiungunt etiam Papiam quẽdam. Quorum errorem reiicit August. lib. 20. de ciuit. c. 7. & ridiculas fabulas vocat opinionémque intolerabilem. Nunc inter hæreses numeratur. In hoc

Hieronym. exponitur in Hierem. 19.

Matth. 26.

Regnũ Christi temporale instaurãdum, fabula Iudaica error, & hæresis.

tamen admiranda est B. Hieronymi modestia, qui errorem, quem nō probabat, non tamē damnare voluit propter asserentium auctoritatem. Postea tamen veritati cedens, eum apertè reiecit, vt constat ex locis citatis. Hæc autē ideo adduximus, vt duas Hierusalem destructiones compararemus, quòd vtramque Hieremias in hac lamentatione deplangat, tam secundum nostros, quàm etiam secundum Hebręos: & quemadmodum Dominus excidium posterius fleuit antequam fieret, & postea literis diuulgatum est eius lamentum publicato Euangelio, sic etiam Hieremias priùs illud excidium, antequam contigisset, lamentatus est; & per Baruch misit lamentationem, vt coram populo legeretur, vt auditis malis imminentibus, ad Dominum conuerterentur. Quod tātum abest vt fecerint, vt ipsum volumen igne rex cremauerit: pro quo Hieremias aliud scripsit multo copiosius, vt interpretantur Hebręi Hierem. cap. 36. Quod deinde volumen in vulgus ad omnium vtilitatem editum est: Quod est hoc lamentationis, quod exponendum suscepimus; Legentes enim vel audientes tantam seueritatem Dei, non contra hominem vnum, sed contra integram gentem, & contra ciuitatem tam inclytam, & tam sibi olim charam: in qua erant fortasse plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciebant quid esset inter dextram, & sinistram suā, & iumenta multa. Qua de causa olim pepercerat Niniuitarum ciuitati, Ionæ vltimo. O altitudo diuitiarū sapientiæ Domini! Inducemur certè ne talem Dominū offen-

Vtramq; destructionem Hierusalem Hieremias deplangit.

Volumē lamentationū quod misit Hieremias per Baruch iussit Rex comburi, & aliud copiosius ipse scripsit.

damus

damus, & experimento cóprobabimus in alieno potiùs capite, quã in nostro, illud B. Pauli: *Horrendum est incidere in manus Dei viuẽtis.* Quo etiam argumento D. Petrus fideles admonet, vt Dei præcepta custodiant, meminerintque seueritatis Dei, exemplo illo horrendo vniuersalis diluuij proposito, dicens; epistola 2. cap. 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari: & originali mũdo non pepercit: sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens: & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi sunt ponens, &c.* 2. Petri 2.
Atque subaudiendum est, Nullam etiam securitatem, aut impunitatem vanè promittere debes, sed potiùs agere, vt à benignissimo Domino beatitudinem præcepta seruando cósequaris, quàm transgrediendo horribilem damnationem merearis: vnde idem Hieremias quasi finem & scopum aperiẽs huius lamẽtationis, admonet capite 3. infrà dicens: *Scrutemur vias nostras, & quæramus & reuertamur ad Dominum*; quasi dicat, cum tantam cernamus seueritatem Dei, cogitemus de nobis qualiter viuamus, & qualem vitam geramus, & quem peccando offendimus, studeamus placare, nobísque recóciliare pœnitentiam agendo. Et vt totum, quodcúnque circa Dei seueritatem potest dici, breui sermone concludam; si Deus proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Rom. 8. Tu misselle quid es, aut quis es, vt peccare velis, & puniri Hier. Thr. 3 Rom. 8.

nolis?

nolis? Volebat Deus per misericordiam saluare hominem perditum, quem innocentem condiderat: Obstabat peccatum commissum, pro quo homo satisfacere nõ poterat. Quid igitur miserator & iustus Dominus? Quoniam homo satisfacere aut dare dignas pœnas pro peccato suo non potest; eat filius meus dilectus & acerbissimum supplicium luat. Hanc enim etiam in proprium filium meum singulariter charissimum seueritatem magis eligo, quàm vt patiar peccatum aliquod manere impunitum. Si enim quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes biberunt; tu quasi innocens relinqueris? Nõ eris innocens, id est, expers pœnitentiæ, sed bibens bibes. Hierem.49. Scrutemur ergo vias nostras, & quæramus & reuertamur ad Dominum & ipsum Dei filium in cruce pendentẽ contemplemur, illum speciosum forma præ filiis hominum: illum cæcorum illuminatorem, claudorum solidatorem, leprosorum mũdatorem, mortuorum resuscitatorem; illum qui dolum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: atque nobiscum cogitemus eundem Dominum nos ex cruce commonefacientem, si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Sed iam ad opus propiùs accedamus, implorato suppliciter diuino Spiritu, quo auctore scriptura conscripta est, ad credentium salutem, vt eius nobis obstrusa aperiat, obscura illustret, aspera explanet, & sic legere faciat & intelligere, vt cogitantes & scrutantes vias nostras peruersas, & ad perditionem ducentes, per iustas & æquas atque rectas Dominum quæramus &

Hierem.49.

ad eum reuertamur, pœnitentiam præteritorum seuerissimè agentes, non noua in dies accumulantes.

CAPVT I.

ℵ *QVomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua, domina gentium? princeps prouinciarum facta est sub tributo.*

In hoc primo cap. vnaquæque litera alphabeti Hebraici suum versum deinceps inchoat: & consimiliter in secundo. In tertio autem capite vnaquæque litera tribus versibus initiũ dat. In quarto ad vnitatem reditur primi capitis & secundi; & quamuis hoc ad quoddam elegãtiæ artificium pertineat à sanctis concionatoribus immutabile; habet tamen præter elegantiam, aliam mysticam rationem: possumúsque dicere, voluisse tacitè mysterium innuere adorandæ Trinitatis atque vnitatis: simúlque mysterium quatuor Euangeliorũ nouæ legis: vt idcirco intelligantur, Iudæi destructi; & lamentatione sic per literas alphabeti conscripta digni, quia Deum Trinum & vnum colere noluerunt, neque volunt, & nouam legem per Christum datam, & in Euangeliis explicatã reiiciunt. Quòd verò singulæ literæ per ordinẽ versus lamentationum inchoant, nulla litera prætermissa, quibus literis Domini lex *Literæ alphabeti Hebraici in primo versiũ*

&

lamentatio-num indicant Iudæos neq; legem seruare, neque prophetias intelligere.
Osee 4.

& prophetię conſcriptæ ſunt, indicat Iudæos neque legem ſeruare, neque prophetias intelligere: & idcirco in tot calamitates incidiſſe, & lugendi argumentum factos fuiſſe. Iuxta illud Oſee 4. *Coticuit* (vel, vt Hebręi legunt, exciſus eſt, ſeu excidium paſſus eſt) *populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam.* Iſai. 5. *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Quámnam ſcientiam, non habuit, ſeu, quam ignorãtiam habuit populus Iudaicus? nempe, legis & Prophetarum. Nam ſi hanc habuiſſet, quamuis Geometriã aut Muſicem ignoraſſet, aut alias humanas, non ideo damnatus fuiſſet: niſi quatenus eiuſmodi ſcientias etiam humanas, ipſa quoque lex diuina aliquo modo præcipit: quia omnes aliquatenus in populo Dei neceſſariæ ſunt. Sed radix & fundamentum eſt, ipſa lex Domini & prophetarum, quæ continetur in nouo & veteri inſtrumento. Quoniam verò in verſione non potuit, ſiue Latina, ſiue Gręca, ea alphabeti Hebraici ſeries obſeruari & retineri: idcirco tam Latini, quàm Græci, ipſos Hebraicarum literarum characteres, quidam verò etiam nomina ipſa literarum verſibus præfixerunt. Quæ quidem nomina nihil ad ſenſum faciunt, vt quidam ſuſpicantur: nec verſus Hebraici à nominibus literarum incipiuntur, quæ certè aliquid ſignificant: ſed à characteribus ſiue à literis ipſis, quæ nihil ſignificant. Quemadmodum etiam in quibuſdam Latinis hymnis, vt in illo, *A miſertus cardine*, qui canitur in natiuitate Domini. Quare non deberent ea literarum nomina recitari aut decantari in

Iſai. 5.

officio

officio diuino. Quemadmodum nõ recitantur in Pſal.145.qui incipit: *Exaltabo te Deus meus, Rex.* Et Pſalm. 111. incipit: *Confitebor tibi Domine*, in quo initium primi verſus ſumitur à prima litera, medietas verſus à ſecunda;& ſic deinceps,& eodem modo proximus 112. In Pſalm.119. octoni quique verſus incipiuntur ab vna litera alphabeti deinceps. Extrema quoque pars Prouerbiorum ab eo loco: *Mulierem fortem*, cap.31. abecedario modo contexitur, ſingulis verſibus ab vna litera alphabeti deinceps incipientibus. Cùm igitur in his non ſoleant recitari, aut decantari nomina literarum,à quibus literis verſus incipiuntur, nulla ratio apparet, cur id in lamentatione faciamus. Hoc tamen admonendo dico, nam decernere non meum eſt, ſed Rectoris Eccleſiæ,id eſt,ſummi Põtificis, Romæ Epiſcopi:in qua re miſerè decipiuntur hęretici:quibus ſiquid diſplicet, ſtatim tamquam rectores emendare præſumunt, & in vniuerſa eccleſia audent, quod nec in domo ſua priuata æquo animo tolerarent. Quamuis enim doctorum & piorum hominum officium ſit monere,ſi quid corrigendum intellexerint,attamen decernere correctionem,aut exequi,nullam auctoritatem habent,niſi à ſummo Pontifice eã obtineant. Nam alioqui confuſio Eccleſiæ erit contra Pauli doctrinam,& inſtitutionem, dicentis:*Omnia ſecundum ordinem fiant in vobis.* 1.Cor.13. ¶ *Quomodo.*] id eſt,quòd fuit tantum eius flagitium, aut quæ fuit tanta ira Dei,vt ciuitatem adeò pulchram atque inclytam ſic ſolo æquauerit? quaſi dicat, Res mira eſt &

Literà Hebraica verſuũ lamentationis non deberent decantari in officio diuino quẽadmodum nec recitantur. Pſalm. 111. 112 119. Prouerb.31.

Corrigere aliquid in officio diuino ſeu caremonijs Eccleſiæ ad S. Pontif. tantummodo ſpectat: aliorum ſolũmodo monere eſt. 1.Cor.14.

3.Reg.9. ſtupenda 3.Reg. 9. hoc Dominus præmonuerat, dicens: *Si autem auerſione euerſi fueritis, & colueritis deos alienos, auferam Iſraël de ſuperficie terræ, quam dedi eis, & templum proijciam à conſpectu meo; omnis qui tranſierit per eam ſtupebit, & ſibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus ſic terræ huic & tẽplo huic, &c.*

Iſai. 1. Eadem loquendi forma vtitur Iſai. cap. 1. dicens; *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, &c.* ¶ *Sedet ſola.*] Plangitur ciuitas Hieruſalem, & omnis reſpub. Iudaica, ſub metaphora nobilis & inclytæ quondam matronæ, optimo atque nobiliſſimo viro in matrimonio coniunctæ, quam vir propter eius adulterium dimiſerit, & omni dote ſpoliatã, denudatámque reliquerit. Quæ deinde tanquam viduata in cubiculo, & ſtrato ſuo ſedet ſola, atque mœret, memor à qualibus & quantis

Oſea 3. bonis culpa ſua exciderit. Sic Oſeæ 3. dicit Dominus Synagogæ adulteræ & fornicariæ, id eſt, idololatræ, & omni vitiorum genere coinquinatæ: *Dies multos expectabis me:* vel, ſedebis mihi, vt eſt in Hebraico: & pronomen, mihi, ſtomachum habet) *non fornicaberis, & non eris viro: ſed & ego expectabo te. Quia dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim, &c.* ¶ *Quomodo ſedet ſola ciuitas* (antea) *plena populo?*] Ad mœnia atque ædificia ſermo dirigitur, quę etiam ipſa ſedere dicuntur, & veluti lugere, quia ſolo æquata ſunt, vt etiam infra dicetur, *viæ Sion lugẽt, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem.* Sic etiam Dominus ad mœnia reſpiciebat, cùm dicebat: *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, qui*

non destruatur. Non quòd in rebus inanimatis vllus sit sensus, sed quia materia sunt hominibus vel mœstitię,& luctus,vel gaudij & lætitiæ. Erat autem ciuitas Hierusalem non solum firmissimis muris & ædificiis, sed etiam pulcherrimis constructa. Ipso vero templo nusque vnquã factum est, vel diuitius, vel pulchrius, vel magnificentius. Ciuitas igitur olim tam populosa, tam præclara,regno atque summo sacerdotio decorata & munita.qua ratione, aut quomodo factum est,vt nũc sic sola sedeat,id est,sinè Rege,sinè Sacerdote,sinè Principe, sinè vllis denique liberi populi muneribus aut ornamentis? Quia dereliquerunt Dominum Deum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, & secuti sunt deos alienos,& adorauerunt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc. In d.c.9. lib. 3. Regum. Et id quoad priorem destructionẽ. Quoad posterioremque. ¶ *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?*]In cuius desolatione incredibilis multitudo perempta,& in captiuitatem abducta est. Vt enim refert D. P. August. Serm. 204. de tempore,qui incipit: Cùm diuina lectio. Tricies centena millia hominium ex Iudæis Hierosolymis fuerunt congregata ad Pascha celebrandum, ex quibus ferro & fame vndecies centena millia leguntur esse consumpta: & centum millia iuuenum Romam perducti sunt in triumphum. Quomodo ergo sedet sola ciuitas, olim tam populosa? Cur autem id? quia hæredem filium patris familias occiderũt,id est,Dominum nostrum Iesum Christum. Cur autem tandiu durat deso-

Tricies cẽtena millia hominum ex Iudæis congregata Hierosolymis ad Pascha, & quot perierint.

Desolatio durat, quia durat peccatum.

latio? quia durat peccatum & obstinatio. Quid igitur? si resipuerint, & pœnitētiam egerint, num quid nam iterum Hierosolymam recuperabunt, & regnum illud, quale olim sub Dauid & Salomone habuerunt? Nunquam enim florētius fuit, quàm sub his duobus Regibus: minimè gētium. Nunquam illud iam recuperabunt, quantamcunque pœnitentiam agant, quę etiam, nulla erit apud Deum, si ad illud recuperandum suscipiatur. Quemadmodum nec primi parentes ad paradisum illum ex quo semel expulsi sunt, reducti sunt, quamuis egerint pœnitentiam. Cui igitur rei vtilis erit pœnitentia? Nempe vt transferātur in regnū aliud multò melius, hoc est, in regnum Christi, vt cum eo regnent in hoc sæculo per gratiam & charitatem, in futuro autem per gloriam, non in terra, sed in cælo, vbi Christus est credentium pater atque Rex. Sic enim docet

Coloss. 1. Apostolus ad Coloss. cap. 1. dicens; & monens, vt cum gaudio gratias agamus Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarū, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, id est,

1. Thessal. 4. filij sui dilectissimi. Et 1. ad Thess. cap. 4. *Simul rapiemur cum illis* (id est, cum prioribus sanctis) *in nubibus obuiam Christo in aëra,* (vbi exercendum est Iudicium finale) *& sic semper cum Domino erimus.* Vtique in cęlo, in quod peracto iudicio, cum

Allegoricus sensus. Iactura siue iactatio Ecclesiæ lugēda. omnibus sanctis rediturus est Dominus. Allegoricè quoque de Ecclesia dici potest. ❡ *Quomodo sola ciuitas plena populo?*] Lege enim, pie lector, considera, lamentare, atque dole/ Ecclesiæ non

quidem

quidem deſolationem, abſit, nunquam enim deſolabitur, ſed certè inſignem iacturam, & diminutionem. Nam vbi ſunt trecenti decem & octo Epiſcopatus, quorum epiſcopi in Nicæna Synodo conuenerunt? Nónne omnes impius abſtulit Nabuchodonoſor, detinétque atque conculcat, heu iam tot annos? Atque hi ferè ex Aſia, quam nunc totam propemodum impiiſſimus incubat, Turca: in Synodo autem Chalcedonenſi ſexcenti triginta Epiſcopi nominantur, quorum ciuitates nunc fere omnes ſpurciſſimo ſeruiunt Mahometo. Ex Aphrica verò vbi quondam ſunt tam multa Concilia celebrata, quantulam nunc habemus portionem? Certè in angulum Europæ coacti ſumus, & paruas has reliquias vix poſſumus conſeruare. Nam quid dicam de Germania & Anglia nuper amiſſis, Gallia vexata, Flandria tumultuante? Quomodo ergo ſedet ſola ciuitas Dei, quondam per omnes orbis terrarum partes florens? Sed piget in vulneribus eius diutius immorari. Tropologicè verò lugetur etiam vniuſcuiuſque fidelis atque iuſti anima per peccatum lapſi. Atque vt res fiat illuſtrior: in primo parente conſtituatur huius lapſus exemplum. Quis enim dignis poſſit lachrymis deplorare atque lamentari tantam talémque ruinam protoplaſti? ex quali innocentia, ex quanta fœlicitate, ex quantis tum corporis, tum animi virtutibus & ornamentis decidit? Ecce quomodo ſedet, imo iacet pulcherrimo ſcilicet ornatu pellibus malè conſutis, imo ne conſutis quidem indutus, ex paradiſo expulſus, cum labore atque ſudore vultus

Tropologicus ſenſus.

ſibi victum quęritás,& mortem ipſe ſuam ſecum quocunque vadat circumferens. In quo & nos omnes in eaſdem miſerias calamitatéſque cecidimus. Sed eò ſumus paulò,aut etiam multò peiores, quòd iam per Chriſti benignitatem atque ſanguinem redempti,& ex ſeruis in filios & amicos adoptati,& reconciliati, iterum noſmetipſos in ſeruitutem damus propter breuiſsimæ voluptatis eſcam. Quomodo ergò ſedet miſerrimus peccator, nuper Dei Filius & amicus, & ad paterni regni conſortium cooptatus, nunc ſolus amiſſa omni virtute,perdito regni arrabone,hoc eſt, Spiritus ſancti gratia? Neque verò cum ſolitudinem audis,comitatum non cogites omni ſolitudine acerbiorem? Quidam enim etiam ſolitudinem, vt ſeſe conſolentur quærunt, ſed vbi adeſt moleſtiſsimus comitatus, ibi nulla poteſt eſſe conſolatio. Quid igitur prædicit Hieremias de Hieruſalem ſola ſedente? capite 10. *Commotio* (inquit) *magna de terra Aquilonis, vt ponat ciuitates Iuda in ſolitudinem, & habitaculum draconum.* Quaſi dicat,ciuitas olim plena hominibus rationalibus,& ad Dei imaginem creatis, eis quidem euacuabitur,ſed beſtiis replebitur, & ciuitas hominum fiet habitaculum beſtiarum:ſic in vnamquamque animã fidelem omni gratia per peccatum euacuatam, ingreditur omne genus vitiorum, & pro Spiritu ſancto, ingreditur numeroſa caterua ſpirituum immundorum, vt non ſit facilè dictu,miſerior ne ſit ſolitudine & abſentia bonorum, an comitatu & præſentia ſuccedentium malorum. Quomodo ergo ſedet vilis & deiecta

Hierem. 10.

ſola

ſola, deſolata & priuata habitatoribus, plena quondam. 2. Paralip. 1. Iuda & Iſrael innumerabiles. Iſaiæ 22. vrbs frequens, ciuitas exultans. *2. Paral. 1.* *Iſai 22.*

¶ *Facta eſt quaſi vidua.*] Ideo ſola ſedet, quia facta eſt quaſi vidua. Quantùm attinet ad ſuam miſeriam & calamitatem. Vidua enim propriè dicitur, cuius vir mortuus eſt, & deſiit eſſe vir eius. At huius vir immortalis eſt, quia Deus eſt: ſed quia eam repudiauit & abiecit propter ipſius adulteria & fornicationes, non ſimpliciter vidua dicitur, ſed quaſi vidua. Perinde enim deſolata eſt, atque ſi vir eius mortuus eſſet. Ad cuius miſeriæ cumulum accedit, quòd vir quondam eius, eam non ſolùm non curat, verumetiam curare & fouere volentes inhibet. Vnde Hieremiæ dicit, cap. 7. *Noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Et quaſi parum eſſet ſemel hoc vetuiſſe, idem repetit cap. 11. & 14. & item Iſaiæ 5. ſub metaphora vineæ in eundem populum dicit: *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem: & nubibus mandabo, ne pluat ſuper eam imbrem.* *Quaſi vidua quamuir ſuus repudiauit. Hierem. 7.* *Iſai. 5.*

Sed quomodo ſtabit illud, quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ſi ita deſerit populum quondam ſuum, vt eum non ſolùm non curet, ſed etiam curare vetet? Ad quod dicendum videtur, Dominum quidem omnes curare, & omnibus dare ſufficiens auxilium ad ſalutem. Quid enim? Nonne omnibus dedit lumen rationis? Nonne filium ſuum pro redemptione omnium dedit? Nonne euangelium per vniuerſum orbem *Non ſolùm nõ curat populũ ſuum, ſed eos qui curare volũt inhibet.* *Auxilium ſufficiẽs dat Dominus omnibus, & quale illud ſit.*

Isai. 5.

prædicari,id eſt, viã ſalutis omnibus hominibus oſtendi fecit? Vnde in dicto cap. 5. Iſaię dicit: *Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci, &c.* Sed homines ex culpa ſua merentur, vt efficax auxilium eis denegetur, reſpuántque & abiiciant diuinam benignitatem ſibi oblatam : iuſtiſſimum enim eſt, vt qui beneficium, benefactorémque contemnit, & beneficiis, & benefactoris gratia priuetur. Curat igitur Dominus Synagogam, & omnes alios reprobos, & non curat. Curat, auxilio ſufficienti : non curat auxilio efficaci. Quòd tamen efficax non ſit auxilium, non vlla facit inuidia benigniſſimi Dei, ſed hominum malitia, & Dei iuſtitia : qui vt eſt in ſaluandis electis miſericors, ſic eſt in damnandis reprobis iuſtus. Illos enim prædeſtinat ſinè bonis mentis, hos autem non damnat, ſinè malis meritis. Aliter quoque dici poteſt, quòd populum ſeu gentem Iudaicam curat quidem, vt recuperet regnum cæleſte ſi voluerit pœnitentiam agere, & Dominum Ieſum Chriſtum recipere : non curat autem, vt in terrenum Regnum reſtituatur.

Auxiliũ efficax quare omnibus nõ concedatur.

Curat Dominus ad regnum cæleste, non curat multotius ad temporale.

¶ *Domina gentium*] Hîc incipit altera ſententia & lamentatio, quòd ciuitas quondam gentium domina, & ab eis tributa accipiens, nunc facta ſit gentium ſerua, & eis tributa perſoluat, eáque perſonalia. Non ſolùm enim res, ſed ipſa etiam corpora in ſeruitutem gentium redacta ſunt. Dicitur autem ciuitas Hieruſalem domina gentium, non quòd vnquam monarchiam obtinuerit, ſed quoniam quibuſdam gentibus aliquando imperauit. 2. Reg. 8. *Factus eſt Moab Dauidi ſeruiẽs*

Domina Ieruſalẽ quomodo aliquibus imperauit.

2. Reg. 8.

sub

ſub tributo, & poſuit Dauid præſidiũ in Syria Damaſci, facta eſt Syria Dauidi ſeruiẽs ſub tributo, &c. Vbi & quædam aliæ gentes ab eo ſubiugatę referuntur. Et de Salomone quoque filio eius ſcribitur. 3. Reg. 4. *Salomon erat in ditione ſua habens omnia regna, à flumine terræ Philiſtiim vſque ad terminum Aegypti, offerentium ſibi munera, & ſeruientium ei cunctis diebus vitæ ſuæ.* & cap. 9. *vniuerſum populum qui remanſerat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis & Iebuſæis, quos non potuerant filij Iſraël exterminare, fecit Salomon tributarios, &c.* Rabati bagoim. Heb. eſt, רבתי בגוים, id eſt, maxima gentium, quaſi dicat, præclariſſima & inclyta inter omnes gentes: iuxta illud Deut. 4. *En populus ſapiens, & intelligens, gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta vt habeat ceremonias, iuſtaq́; iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros? &c.* Quibus verbis Moſes illius populi gloriam declarabat, præ omnibus aliis populis: quippe qui Deum ipſum verum haberet rectorem, atque legiſlatorem. Atque hic eſt Germanus ſenſus. Et eſt conſtruendum, domina gentium, ſeu, maxima & præclariſſima gentium facta eſt ſub tributo, id eſt, facta eſt viliſſima & abiectiſsima non ſolùm ſuis quondam rebus, ſed ipſis etiam quondam liberis corporibus aliis gentibus ſeruiens. Vnde infra lamentatur, *Laſſis non datur requies.* Tam dura erat & intolerabilis ſeruitus, vſque adeo, vt nec ſenili quidem, & infirmæ ætati parce-

3. Reg. 4.

3. Reg. 9.

Deut. 4.

Dura ſeruitus captiuitati filiorũ Iſraël.

retur à ſeruitio & labore. Qua de re ipſe quoque
Iſa. 47. Dominus conqueritur Iſaiæ 47. dicens: *Non poſuiſti eis miſericordias: ſuper ſenem aggrauaſti iugum*
Zach. 1. *tuum valde, &c.* & Zach. 1. *Ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum*, id eſt, Ego volebam populum meum per eos caſtigare, non perdere: ſed ipſi per crudelitatem modum exceſſerunt. Deinde ſimiliter conſtruendum eſt, Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo. Et eodem modo exponitur, Princeps prouinciarum, id eſt, Princeps & excellens inter Prouincias & regna, rationibus ſupradictis, cum eſſet populus ille ex omnibus à Deo peculiariter electus & ſegregatus, quem peculiaribus beneficiis afficeret, & proſequeretur. Sed ecce nunc vice verſa factus eſt ſub tributo. Id quod multò manifeſtius cernitur in poſteriore captiuitate. Vbique enim humiliantur & contemnuntur Iudæi. & tributum non ſolùm rerum, ſed etiam corporum pendere coguntur. Sed multò magis dolenda, ac lamen-
Tropologicè. tanda eſt animæ fidelis in peccatum lapſæ ſerui-
Ioan. 8. tus. *Qui enim facit peccatū, ſeruus eſt peccati.* Ioan. 8. Quis enim valeat, dignè commemorare quæ, & quàm turpia tributa per ſingula momenta pẽdat peccator Domino ſuo, id eſt, peccato ſuo? id eſt, malæ & prauę cupiditati atque voluntati ſuę? Eſt qui longiſsima maris ſpacia nauigat per periculum tempeſtatum, & pyratarum vadens, vt inimicum ſuum apud Indos occidat, & vlciſcatur. Hoc quid aliud eſt, quàm malæ voluntati ſuę ſeruire, & tributum perſoluere? Iudas dormientibus

diſcipu

diſcipulis,atque quieſcentibus vigilat, currit,diſcurrit,vt magiſtrum vendat: Alius vt adulterium committat, & alienum torum violet, quot pericula ſubit? quot labores? quantam rei familiaris, quantam famæ & honoris iacturam facit? Videlicet tributum ſoluit diabolo, & animo ſuo prauo. Et quod maximè dolendum, non inuiti, non coacti, ſed vltro, ſed alacres, ſed ſponte tales labores exantlant, talia tributa perſoluunt, vt captiuitate ipſa, & ſeruitute delectentur, & carere nolint;liberatoribúſque atque redimere parantibus,indignẽtur,& iraſcantur. Fœlices qui charitati atque Deo ſeruiunt, & debitum tributum vero atque optimo, & benigniſsimo Domino reddunt. Hi enim reddendo,non pauperiores efficiuntur, imo verò quantò vberius & liberalius reddiderint, tantò ditiores fient, centuplum pro vno accepturi, & vitam æternam poſſeſſuri. Matt. 19. Vt igitur admonet diuinus Paulus, *Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore, vt obediamus concupiſcentijs eius: nec exhibeamus membra noſtra, arma* (id eſt, inſtrumenta) *iniquitatis peccato: ſed exhibeamus nos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra noſtra, arma*, (id eſt, inſtrumenta) *iuſtitiæ Deo*, & cætera quæ perſequitur ad Rom. 6. *Matth. 19.* *Rom. 6.*

ב *Plorãs plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, non eſt qui cõſoletur eã ex omnibus charis eius: omnes amici eius ſpreuerũt eã: & facti ſunt ei inimici.*

¶ *Plorans plorauit.*] Id eſt, multum plorauit,

Lachryma doloris leuamentũ sunt. dolens, & de felicitate ex qua decidit, & de miseria, in quam incidit. Est enim nonnullum doloris leuamẽtum, lachrymarum effusio in miseria: quemadmodum risus gaudij argumentum, in felicitate. Sed notandum, quòd synagoga, quæ (vti diximus) sub persona matronæ in hac lamentatione introducitur, quemadmodum fidelis non fuit viro suo, dum tolerabatur, & in qualicunque prosperitatis specie seruabatur: sic etiam in repudio, infidelis fuit & ingrata. *Infidelis in repudio, eo quòd nõ bene doleat.* Nec enim plorat, aut dolet quòd virum optimum offenderit, sed quòd delitias atque diuitias, quas sub eo possederat, amisit; nec optat viro reconciliari, nec eius vllo desiderio tenetur, sed solas amissas diuitias atque delitias suspirat. Id autem nõ virum, sed se ipsam amantis est. *Flere ex cupiditate non ex amore, quid sit.* Si enim verè & ex charitate, ac non potius ex cupiditate fleret, & pœnitentiam ageret, non est tam inclemens aut tam inhumanus vir, vt eam non reciperet: quippe qui vltro etiam eam reuocat dicens, Hierem. 3. *Hiere. 3.* *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me,* dicit Dominus, quasi dicat, Homines cùm vel semel, & cum vno vxorem deprehẽderint fornicãtem, vix adduci possunt, vt eam domum recipiant. Tu autem, ô synagoga, fornicata es non semel, sed pluries, non cum vno, sed cùm multis; & tamen vltro te appello, vltro reuoco, vt ad me redeas: fictus igitur fletus est synagogæ, & Deo ingratus, ficta vanáque & infidelis Iudæorum pœnitẽtia, si non volumus Deum facere inhumanissimum & inclementissimum, qui verè & piè atque fideliter, gementes, & pœnitentiam tamdiu agentes non *Fictus fletus Synagogæ quare.*

respiciat,nec recipiat. Sed,vti diximus,& res ipsa declarat,non Deum quærunt,sed suum ventrem: non Creatorem, sed creaturas exoptant. Quos Dominus arguit.Ioan.6.dicens: *Amen amen dico vobis, quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis, &c.* Eos alloquitur, quos nuper ex quinque panibus & duobus piscibus saturauerat: qui aliud simile sperantes conuiuium, Christum quærebant. Porro, Christus faciebat eiusmodi miracula, non propter præsentem illam & momentaneam vtilitatem: Alioqui rem paruam faceret omnipotens & miserator Dominus, pane ad horam pascens, qui essent iterum fame laboraturi, & tandem aliquando morte aliqua morituri: sed miracula faciebat, vt per ea ipsos alliceret ad credendum, & allectos fide instrueret & saluos æterna salute faceret. Illi autem prorsus animales, præsentem modò vtilitatem spectantes, nihil aliud expectabant. Quare eorum ruditatem corrigens, subiũgit. *Operamini*(id est, quærite & comparate) *nõ cibum qui perit, sed qui permanet in vitã æternam quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus*, (id est, quoniam hic filius hominis viua est & expressa imago Dei patris) Quærentibúsque quid sibi esset faciendum, vt operarentur opera Dei (id est, vt talia opera facerent, quibus mererentur panem illum accipere, quo viuerent æternam vitam) respondit: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quẽ misit ille:* Quasi dicat, si vultis consequi vitam æternam, ne contenti sitis pane isto corruptibili, qualem vobis dedi, qui, cum ipse

Ioan.6.

Miracula non propter momẽtaneã fælicitatẽ, pro vt allice ret ad credendũ Christus faciebat.

Ioan.6.

corru

corruptibilis ſit, incorruptionem & æternam vitam præſtare nó poteſt. Sed ex rebus corruptibilibus ad incorruptibiles conſcendite; & ſic mea miracula accipite, dum nec famelicos ſaturo, vel claudos ſolido, vel leproſos mundo, vel dæmones expello, vel etiam mortuos ſuſcito: vt ex his, non ſolùm præſenti neceſſitati atque tẽporali me ſubuenire velle putetis, ſed magis æternæ; vt per eiuſmodi miracula, quæ ſola Dei virtute fieri poſſunt, deitatis meæ fide introducta, doctrinam meam recipiatis & faciatis; quod vbi feceritis, vitam proculdubio æternam conſequemini. Non hos igitur imitemur, qui in ſuis fletibus, in ſuis ieiuniis, in ſuis eleemoſynis, in ſuis comprecationibus, non Dominum Ieſum Chriſtum quærunt: ſed ſuas commoditates. Sed Paulum potius profitentem atque commonentem, ſe omnia detrimentum facere, & vt ſtercora arbitrari, vt Chriſtum lucretur. Philipp. 3. Magni certè intereſt, quo animo, quo fine bona etiam opera facias, ſi vt Deo placeas facis, nullam rationem habebis tui, tuarúmve commoditatum, ſed non ſolùm omnia lucra abiicies & contemnes, verùm ipſam etiam vitã profundes, propter quam vitæ huius commoda & lucra quæruntur, vt ſolùm Chriſtum lucreris. Si autem præſentis emolumenti tui gratia facis, amen amen dico tibi, recepiſti mercedem tuam; ne aliam in ſæculo venturo expectes. Num enim, æquum exiſtimas, vt cum Tito ſeruieris, à Sempronio mercedem petas? Maximè: ſi etiã inimicus ſit Tito Sẽpronius. Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non

Philipp. 3. Bona intentio in operibus præcipuè conciliãda.

ſeruiunt, ſed ſuo ventri. ¶ *In nocte.*] Tempus lugentibus opportunum, qui etiam diem ipſum noctem faciunt, clauſis feneſtris Solis radios prohibentes, & dealbatos parietes pullis veſtibus operientes, vt omnia ſint obſcura, omnia nigra, & ad luctum & fletum excitantia: vt contra, in lætitia lux quæritur, aperiuntur feneſtræ, parietes pictis atque lętis tapetibus veſtiuntur. Aiunt Hebræi, templum fuiſſe ea nocte ſuccenſum, qua ſolebant luctum facere propter malum nuntium, quod retulerunt exploratores. Num. 13. vnde ibi. cap. 14. ſubiungitur: *Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, &c.* Ea autem erat nona dies menſis Ab, qui noſtro Iulio ex parte reſpondet. Vnde in Hebraico cum emphatico articulo dicitur, בלילה quaſi dicat, in nocte illa. Quamquam Græci ſimpliciter habent ἐν νυκτὶ, accidit igitur in ea nocte duplex luctus, & duplex ratio fletus. Item in nocte. Quoniam captiuis interdiu ne plorare quidem ſuam miſeriam licebat præ ſeruitij aſſiduitate. Quàre tempus nocturnum ad quietem conceſſum flendo conſumebant. Iuxta illud, *Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Vnde infra legitur. *Laſſis non dabatur requies, &c.* ¶ *Et lachrymæ eius in maxillis eius.*] quaſi dicat, non ſolo fletu cordis plorauit au plorat, ſed etiam corporis, vt præ vehementia doloris liquefacto humore lachrymæ erumpant, & per genas profluant, peccator etiam pœnitentiam agens, debet dolorem ſuum ſigno aliquo oſtendere, id eſt, tum vehementer dolere, vt dolor & calor foras erumpat.

Rom. 16.

Nox & obſcurum lugentibus opportunum tempus.

Tẽplum ſuccẽſum in recordatione luctus.

Num. 13. & 14.

Vide ſuprà pag 8.

Captiuis nec plorare indulgebatur, interdiu: ideo noctẽ in luctu cõſumebant.

Fletus vehementis doloris argumentum.

Alio

Alioqui tepide dolet veluti non planè ſentiens malum ſuum. ¶ *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.*] Hoc ad cumulum doloris & miſeriarum accedit, vt in tua triſtitia conſolatorem non inuenias. Cum enim triſtitia ſit veluti onus quoddam infirmum animum prægrauans, vbi amici lugenti condolent, videntur eum quodammodo iuuare in onere portando dum ſubit imaginatio, quòd non ſolus ipſe portet. Eóque fit, vt onus triſtitiæ leuius ferat. Quinetiam dum afflictus videt, dolori eſſe aliis afflictionem ſuam, ex eo percepit ab eis ſe amari, ex quo exiſtit tacita quædam delectatio, quæ triſtitiam vel excutiat, vel certè minuat & mitiget. Vt ex Philoſopho Ariſtot. 9. Eth. cap. 11. docet diuus Thom. 1. 2. quæſt. 38. artic. 3. Vbi igitur ſolus etiam ab amicis relinquitur afflictus, doloris cumulo accedit is dolor, quem percepit ex amicorum ingratitudine & contemptu. Nemo enim ſinè mœrore ſentit ſe negligi, aut contemni. Dolorem igitur afflictæ Synagogæ exaggerans lamentator, ait: *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.* אין לה מנחם מכל אהביה non eſt conſolator ei ex omnibus amicis eius. Nunc igitur, vel malo tuo agnoſce, miſerabilis ſynagoga, qualem amicum contempſeris, quales adamaueris. *Duo enim mala* (ait Dominus) *fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Hierem. 2. Amici autem vel chari ſynagogæ intelliguntur falſi dij, tum falſorum Deorum cultores Reges & populi: de quibus

Conſolator quomodo triſtitiã leuet.

Amicorum defectus dolorẽ auget.

Hierem. 2.

diximus

diximus in Hoſeam cap.2.hoc eſt, Aſſyrij, Ægyptij, & alij in quibus fiduciam habebant, ſpreto Deo. Quis autem, aut quid poſſit conſolari eos, quos Deus deſolauerit, & deſolatos manere velit? *Conſidera* (inquit) *opera Dei quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Eccleſiaſtæ 7. *Deſpexiſtis omne conſilium meum, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Prouerbiorum 1. Vnuſquiſque etiam peccator amicos ſuos habet, & res charas ſuas habet, in quibus ſeſe oblectat, & fiduciam habet: ſed veniet, veniet tempus, quando in maximo dolore & angore ſuo ab omnibus pariter derelinquetur & irridebitur, nec poterit vllam inuenire conſolationem: & meritò, cùm fontem ipſum totius conſolationis prior ipſe reliquerit, riuos & lacunas cœni ſectando. Omnes amici eius ſpreuerunt eam. Quales iſti ſunt amici, qui amicum in aduerſis rebus & angore ſpernunt? Videlicet, falſi, fucati, perſonati: qui vt non amicos amant, ſed amicorum diuitias & opes, ſic vbi his fuerint deſtituti amici, amicitia quoque quoque ipſa vnà cum fortuna mutatur, & ceſſat. Et iuxta hiſtoriam, vt diximus, amici Synagogæ intelliguntur Idololatræ. Tropologicè verò mundus, caro, & diabolus. Hæc enim ſub amicitiæ ſpecie nobiſcum verſantur, & quandiu habemus quod expendamus (id eſt, valetudinem, pulchritudinem, adoleſcentiam, opes, virtutes, & integritatem) comitantur, adulantur, montes aureos pollicentur. Vbi autem nos his omnibus bonis per luxum laſciuiáſque emunxerint, & in extremá mi-

Eccleſ.7.

Prouerb.1.

Falſi amici.

Tropologicè.

ſeriam coniectos viderint, tum verò non ſolùm nihil miſerentur, neque conſolantur, ſed etiam irrident & quam poſſunt, dolorem & miſeriam noſtram augent. ¶ *Spreuerunt eam.*] בגרו בה id eſt, deceperunt eam, fidem ſoluentes, pactúmque ac fœdus violãtes. Eſt enim בגד fœdus violare, & ſocium in ſocij fœdere confidentem fallere, & decipere. *Burlar, o farſe burla d'algun* Luſitane. Porrò Iudæi fœdus cum gentibus inibant, vt

Iſaia 57. ſibi auxilio eſſent. Iſa. 57. *Suſcepiſti adulterum, & pepigiſti cum eis.* Vnde ſubdit: *Cùm clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus. Qui autem fiduciam habet mei, poſſidebit montem ſan-*

Oſea 12. *ctum meum, &c.* Et Oſeæ 12. *Ephraim paſcit ventum: tota die mendacium multiplicat, & fœdus cum Aſſyrijs inijt, &c.* Sed iuſto Dei iudicio factum eſt, vt à quibus auxilium ſperabant, relicto Deo, ab eiſdem ipſis impugnati ſint, & expugnati. Vnde hìc ſequitur. ¶ *Facti ſunt ei inimici.*] Id eſt, non ſolùm Synagogam non iuuerunt, ſed etiam ho-

Ezech. 23. ſtiliter vexauerunt. Ezech. 23. *Ecce ego ſuſcitabo omnes amatores tuos contra te, & congregabo eos aduerſum te in circuitu, &c.*

ג *Migrauit Iudas propter afflictionem, & propter multitudinem ſeruitutis, habitauit inter gentes, nec inuenit requiem: omnes perſequutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias.*

Rabbi Don Ioſeph hoc loco ſic ferè enarrat:

Cùm pœna veniat ſuper peccatorem, ea eſt triplicis generis, iuxta rationem peccati. Seruus enim precioſus & honorabilis Domino, cui omnia ſua crediderit, in fide eius acquieſcens, ſi Domino peccauerit quidem, ſed non ita grauiter, in eo punietur, quòd perdet gratiam Domini, nec erit ei iam perinde gratus; ſed priuabitur œconomia & gubernatione familiæ, in ordinem ſuum redactus. Quòd ſi intolerãdum fuerit peccatum eius, non ſolùm gratiam Domini perdet, ſed furorem etiam atque iram eius experietur: boníſque omnibus multabitur, & domus eius euertetur, ac ſale ſeminabitur: & ſi fortè ipſe effugerit, potueritque eum Dominus multa ſumma recipere, vt eum ſuſpendat, id refrigerij loco habebit. Si autem grauior etiã fuerit offenſio, non ſolùm gratiam amittet, & bonis vitáque priuabitur, ſed ad doloris cumulum, bona eius omnia ei, quem inimiciſſimum habuerit, donabuntur: Quemadmodum fecit Rex Aſſuerus aduerſus Haman, cuius omnia bona tradidit Mardochæo. Ideóque cùm peccaſſet Iſraël peccatum graue in vitulo, manente Moſe in monte ad accipiendas tabulas dixit ei: *Dominus duo deinceps, nulla audita reſponſione, ex Moſe nimirum, vade, deſcende, quia peccauit populus eius, &c.* Quaſi dicat, cùm tua dignitas & maieſtas ſit propter dignitatem & maieſtatẽ eorum: & nunc amiſerint gratiã meã, nec ſim erga eos affectus vt antea, quippe qui vitulo dixerint: *Hi ſunt dij tui, Iſraël, cadant deſcende de dignitate & maieſtate ſua.* Deinde dixit: *Cerno populũ iſtum duræ eſſe ceruicis: demitte me, vt iraſcatur furor meus in eos,*

Triplex punitionis genus pro multiplici peccato ex ſententia Rabbi D. Ioſeph.

Eſther 8.

& consummam eos. Quasi dicat, tale est peccatum eorum, vt mereantur non solùm perdere gratiam meam, & remaneant, vt vnus quilibet aliarum gentium, seu aliorum populorum, sed vt etiam effundam super eos indignationem meam, & consummam eos. Tum igitur Moses in monte manens nihil Domino respondit super amissione gratiæ: quia non erat opportunum tempus, sed pœnam obsecrauit auferri. Vbi autem de monte descendit & populo pulueres vituli bibere dedit ac satisfactionem quam potuit Domino fecit, tum obsecrauit etiam pro gratia restituenda. Et hoc est, quod ibi dicitur. Exod. 32. *Facto autem altero die, loquutus est Moses ad populum, &c.* Et sic paulatim processit, quousque tandem apertè gratiam & recõciliationem petiit cap. 33. dicens: *Respice populum tuum, &c.* Et subditur: *& verbum istud quod loquutus es, faciam, &c.* Atque sic non solùm vindictam & vltionem furorémque Domini auertit à populo, sed etiam gratiam amissam restituit & reconciliauit. Sic in præsenti lamentatione Hieremias proponit inflictionem trium harum pœnarum Synagogæ Israel, & ad vnamquamque earum aperit, ac declarat quodnã peccatum fuerit causa eius. Igitur quoad primã, quæ est priuatio gratiæ, ait: Migrauit, seu exulauit Iudas, id est, populus Iudaicus, qui erat collocat⁹ in terra sancta: migrauit seu migratus est ex ea. Veluti seruus atriensis, ac Dño charus & proximus: qui propter suum peccatum inde eiicitur, vt non vltra inibi compareat: eò quòd Domini sui gratiã perdiderit. Et mox declarat huius pœnæ cau-

Exod. 32.

Exod. 33.

ſam fuiſſe iniquitates duas. Et id eſt quod ait, propter afflictionem & propter multitudinem ſeruitutis. Propter afflictionem, inquam, quoniam fecit id quod erat ingratum Domino qui præceperat, dicens. Exod. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis* Heb. viduam & pupillum non affligetis propterea quòd ſint corde vulnerati. *Quòd ſi* (inquit) *afflixeritis eas, vociferabuntur ad me: & ego exaudiam, &c.* Cæterùm praui Iſraëlitæ affligebant omnes ſinè vllo reſpectu honoris Domini. Idcirco gratiam eius perdiderunt. ¶ *Propter multitudinem autem ſeruitutis.*] Hoc eſt, propterea quòd violauerunt præceptum Domini ſui qui teſtatus fuerat Iſraëlitas ſeruos eſſe ſuos, & ideò legem tulerat. Exod. 21. *Si emeris ſeruũ Hebræum, ſex annis promet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis.* Idem Deuter. 15. *At praui Iſraëlitæ opprimebant ſeruitute fratres ſuos.* Et id eſt, quod ait. ¶ *Et Propter multitudinem ſeruitutis.*] De qua iniquitate arguũtur. Hiere. 34. quòd eos quos liberos dimiſerant, iterum in ſeruitutem redegiſſent: Et adiũgit: habitauit inter gentes, non inuenit requiem: volens explicare exilium quo exulauit populus Iudaicus propter dictas illas duas iniquitates: atque dicens quòd quemadmodum ipſe vexauit fratres ſuos ſeruitute, ſic quoque ipſe habitauit inter gentes in exilio, & ſeruitute. Et quo ad afflictionẽ, quia pupillorũ & viduarum cauſas negligebãt. Iſa. 1. ait quòd etiã ipſe non inuenit requiẽ inter gentes illas, propter multitudinẽ afflictionis qua ipſum affligunt & opprimunt: nec exiſtimes potuiſſe effugere Iſraelitam ſeruũ. *Nam omnes* (inquit) *perſe-*

Exod 22. Afflictio pupilli & viduarũ punitionis cauſa.

Propter ſeruitutẽ paratã Iſraelitis punitio ipſorum. Exod. 21.

Deut. 15.

Hierem. 34.

Hactenus ex Rabb. D. Ioseph.

cutores eius apprehenderũt eũ inter angustias.] id est, in loco arcto, vnde nõ esset effugiũ. Sic iste Rabbinus: sed nos ad cõpendiosiorem viam reuertamur. ¶ *Migrauit Iudas,*] id est, in exiliũ & captiuitem adductus, & migratus est populus Iudaicus. Propter afflictionem & multitudinẽ seruitutis, id est, quia ipse quoque affligebat pauperes & imbecillos, & fratres suos Israëlitas, contra legis pręceptum, seruitute premebat. Idcirco habitauit inter gentes extorris natali soli, nec inuenit requiem, dura oppressus Chaldæorum & aliorum populorũ seruitute. Et omnes persequutores eius apprehenderunt eam, id est, Iudam, seu gentem Iudaicam. Inter angustias, id est, in locis angustis, & in arcto, vt nemo posset effugere. Mihi cõmodior cõstructio videtur: Migrauit, seu migrata est gens Iudaica de terra sua, & propter multitudinẽ afflictionis & seruitutis, quam ab hostibus victoribus patitur, habitans inter gentes non inuenit requiẽ. Infrà c. 5. Lassis non dabatur, seu nõ datur requies. Et quod supra citauimus ex Isaia & Zacharia. Solet enim interdum contingere, vt commodius viuant aliqui exules in alieno solo quàm in patrio & natali: ita vt etiam suo exilio & captiuitate delectẽtur. At hoc nõ cõtigit Iudæ. i. genti Iudaicæ: sed vbique inuenit vexationẽ, vbique agitationes, & iactationes: nec potest requiẽ vllam inuenire. Sic etiã migrauit & eiectus est Adã, nósque omnes in illo, & cum illo, de horto voluptatis in hanc lachrymarũ vallem, vbi dura pressi seruitute, qua mũdo seruimus, & carni & diabolo, non inuenimus requiẽ: victum etiã ipsum cum

labo

labore & sudore vultus quęritātes:& ab inimicis nostris sæpe deprehendimur, & in arctum cogimur, vt nullū inueniamus suffugiū. Migrat etiam seu migratur anima fidelis vel de paradiso, vel de terra fluente lacte & melle, id est, de pace & tranquillitate, & serenitate bonæ conscientiæ quam habebat cùm Domini præcepta seruabat, & propter afflictionem, & multitudinem afflictionis quam patitur, prauæ ac distortæ volūtati suæ obsequendo, & seruiendo, non inuenit requiem: sed vbique timores, vbique suspiciones, vbique tumultus: & quamuis sibi videatur interim spaciosum locum tēpúsve habere ad effugiendum, tandem tamen in arctum cogitur, & inter angustias deprehēditur, quemadmodū solent pisces in nassa, aut perdices: vt enim nassarū aditus latus est, & spaciosus atque apertus, sed exitus angustus & clausus: sic viæ per quā vadunt & incedunt peccatores voluntati & voluptati suę seruientes, lata est & spaciosa: sed exitus tendit in arctū & angustum. Per latā viam ibat Saul, quādo contra præceptum Domini seruauit Regem Amalec, & pinguiora pecora: in respondendo quoque cùm argueretur à Propheta quasi per locum spaciosum discurrebat dicēs: 1. Reg. 15. *D. Benedictus tu à Domino: impleui verbū Domini.* Cúmque Propheta vrgeret, & paulatim in arctum adduceret, dicēs: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis?* adhuc Saul tāquam in lato erat, dicens: *de Amalec adduxerunt ea.* Vrgēte verò amplius & instante Propheta, adhuc Saul per latum vadit, dicēs, *Imò audiui vocē Domini, &c.* Sed tandem in angustias

Tropologicè.

Peccatorum via aditus faciles & spaciosos habet, sed exitus difficiles, & arctos.

1. Reg. 15.

compulſus peccatum ſuum vix confitetur, dicẽs: *peccaui,quia præuaricatus ſum ſermonẽ Domini,timẽs populum.* Et vt in eiuſdẽ regis exemplum perſiſtamus, per latum campũ & ſpacioſum vagabatur, cum innocentẽ Dauid per omnes Iudę terminos perſequeretur & inſequeretur. Sed tãdem in arctum deuenit in montem Gelboe, vbi à Domino fuit derelictus, inde autem à Philiſtinorũ caſtris circumuẽtus, expauit, & in deſperationẽ veniens, proprio ſe gladio tranſuerberauit. Si igitur vis ô peccator, huiuſmodi euadere anguſtias, in quibus omnino deprehẽderis, & appręhẽderis, ſi per viam latam, & ſpacioſam vitiorum ambulaueris, incipe per arctã ambulare, cum Propheta dicẽs: *viam mandatorũ tuorũ cucurri cùm dilataſti cor meũ.* Hæc enim anguſtũ quidem introitum habet, ſed quò amplius fueris progreſſus, amplius dilatatur, & tandem in ampliſſimũ & ſpacioſiſſimũ, atque amœniſſimum campum te perducet, id eſt, ad regnum cælorũ, vbi nullas iam anguſtias patieris. Duæ verò ſunt anguſtiæ in quas omnino ac neceſſariò venturus tãdem eſt omnis homo, quantumlibet interim expatietur, & quantacumque vel terræ vel maris ſpacia huc illuc diſcurrendo, metiatur, hoc eſt, mors atque iudicium. *Statutum eſt enim hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium.* Hebr.9. In quarum anguſtiarum aſsidua memoria, ſita eſt vitæ innocentia, & vita æterna. *Memorare enim* (inquit) *nouiſſima tua & in æternum non peccabis*, id eſt, nũquam peccabis: Eccl.7. Alij verò in quibus eſt D.Thomas, iuxta hiſtoriã interpretantur. ¶ *Migrauit Iudas.*] fugiens à terra ſua ad

Pſal.118. Via virtutis introitũ anguſtum habet, ſed exitũ facilẽ & amplũ.

Duæ anguſtiæ neceſſariæ homini, mors ſcilicet & iudiciũ. Hebr.9.

Eccl.7.

terras

terras vicinas. Propter afflictionem, in personis: & multitudinem seruitutis: In tributis, quam in terra sua à Chaldæis patiebantur. Isai. 16. *Habitabunt apud te profugi mei. Moab. esto latibulum eorum.* & cap. 21. *Qui habitatis terram Austri, cum panibus accurrite fugienti: à facie enim gladiorum fugerunt.* Sed non placet: quoniam illud, Migrauit Iudas, magis vniuersi populi migrationem & exiliũ videtur significare, quàm paucorũ fugientium. Et illud quod adducitur ex Deuter. 28. ad exponendum, nec inuenit requiem, videlicet, In gentibus quoque illis non quiesces, nec erit requies vestigio pedis tui, apertè ad vniuersæ gentis captiuitatem & exilium pertinere patet, ex antecedentibus & consequẽtibus. Postquam enim illic prædixerat Moses calamitates quas passuri essent in terra sua, si legem Dei non seruarent, subiungit deinde etiam exilium gentis, & calamitates in exilio patiẽdas. Et operæpretium fuerit caput illud legere. Videmus enim omnia hodie in Iudæis impleri. Deuter. 28.

ד *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ eius destructæ, sacerdotes eius gementes: virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.*

¶ *Viæ Sion lugent.*] Metaphora est, id est, Sunt desertæ, & non mundæ & versæ atque ornatæ: vt olim cùm per eas frequens populus ambula-

bat: ſed ſunt obſcuræ & dumis vrticíſque opertæ. Vel lugent, id eſt, luctum quendam in hominibus excitant cõtemplantibus præteritam viarum frequentationem, venientium vndique ad feſta celebranda: & præſentem ſolitudinem. Et hæc maledictio inter alias prædicta fuerat Leuit. 26. non ſeruantibus legem Domini. *Ad paucitatem* (inquit) *cuncta redigent, deſertaq́ fient viæ veſtræ*. Et Iſai. 33. Impletũ narratur. *Diſſipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per ſemitam.* Sic 1. Mach. 4. Videntes Iudæi in atriis deſertis virgulta nata, planxerũt. Lyranus ait in Hebraico legi, viæ Sion herboſæ. Quod falſum eſt, nuſquam enim verbum אבל inuenitur in eo ſignificatu. Porro, in monte Sion erat conſtructum templum & bona pars ciuitatis Hieruſalem. Templo autem ſucceñſo, & orbe euerſo, populóque in exilium & captiuitatem abducto, ceſſauit templi frequentatio, & ſolemnium feſtorum celebratio. Tres verò erant celeberrimæ ſolemnitates, in quib. omnes Iudæi tenebantur ire Hieroſolymam, & in templo ſeſe coram Domino præſentare, id eſt, feſtum Paſchæ, Pentecoſtes & ſcenopegiæ. Exod. 23. & Deut. 16. Quod præceptum mares dũtaxat obligabat. Inter miracula autem numeratur, quòd cum tanta multitudo vndique ex omnibus duodecim tribubus conueniret, nam mulieres etiam multæ ex deuotione veniebant, nunquam tamen Hieruſalem anguſta viſa fuerit ad eam recipiendam. Notat etiam Paraphraſtes, idcirco templum fuiſſe ſuccenſum, & feſtorum abolitam eſſe celebritatem, quòd dum ſtaret Hieruſalem, fuiſſent

Leuit. 26. Iſai. 33. 1. Mach. 4.

Abel verbũ Hebr. nunquam pro Herboſo acceptum.

In mõte Siõ cõſtructum tẽplũ Hieroſol. & bona pars ciuitatis.

Tres ſolemnitates in quib. tenebãtur Iudæi ire Hieroſolymã, ſcilicet Paſchæ, Pentecoſtes, & ſcenopegiæ.

Mares ſolũmodo obligabant ſolemnitatum præcepta: ſed mulieres deuotione confluebant.

Miraculũ cenſebatur tantam hominũ multitudinem Hieruſalem capere.

Negligentia in celebratione feſtorũ cauſa incẽdij.

Quot portæ eſſẽt in Hieruſalem & earum nõia.

negli

negligentiſſimi Iudæi ad prædicta tria feſta concelebranda. ¶ *Omnes portæ eius deſtructæ*] Multas ac nobiles portas habebat per murorum ambitum Sion, id eſt, Hieruſalem. Vna appellabatur porta fundamenti. 2. Paral. 23. Altera excelſa. 27. Alia porta vallis: Alia porta ſtercoris ſeu ſterquilinij: Alia porta fontis. 2. Eſdr. 2. Alia porta gregis: Alia porta piſcium. Alia porta vetus. Alia porta equorum. 2. Eſdræ cap. 3. Et ibidem. Alia porta orientalis. Alia porta iudicialis. Et Hier. 19. Porta fictilis: vbi alij tamen legunt porta orientalis: Et 31. porta anguli. Et 39. Porta media: verum autem ſit ex vſu ciuitatis tam multas habere portas, non eſt huius loci tractare. Has igitur omnes & ſi quæ erant aliæ, lamentatur, ſimul cum muris ipſis deſtructas & deſolatas. Portas autem nominatim & ſpeciatim luget, quòd eſſent pulchræ & inſignes, tum firmitate, tum operis elegantia. ¶ *Sacerdotes eius gementes.*] Alij quidem gemebant, atque gemunt propter ceſſationem diuini cultus, qui in templo exhiberi Domino ſolitus erat. Alij verò, quorũ maior pars, propter ſubtractionem victimarum & decimarũ, ex quibus viuebant. Vnde Paraphraſtes habet, gementes propterea quòd ceſſauerint Curbanaya, id eſt, oblationes. Sic etiam Rabbi. Don Ioſeph, dicens: ſacerdotes eius, qui ſolebant recipere ſacrificia & oblationes, eáque offerre cum gaudio, & ex Pacificis hoſtiis ſuam partem capere: nunc è contrario lugent, his omnibus priuati, & inſuper duro captiuitatis ſeruitio humiliati: qui nuper in populo, tum honore, tum opibus, & deliciis

2. Paral. 23. *2. Para. 27.* *2. Eſd. 2.* *2. Eſd. 3.* *Hierem. 19. 31. & 39.*

eminebant:ideo nominatim gementes inducuntur. Quemadmodum etiam virgines, quarum ingenium eſt deliciis & munditiis delectari, nunc ſqualidæ, & deturpatæ, dolenteſque gemunt. Quam commutationem fortunæ earum, ſeu potius dixerim, quam vindictam diuinam: eò quòd delitiis & munditiis male fuerint abuſæ, eleganter & copioſè deſcribit Iſai. cap. 3. Hęc etiam maledictio inobedientes Iudæos ſequutura in lege prædicta fuerat Deut. 28. Vbi ad eas anguſtias redactum iri mulieres dicuntur, vt proprios filiolos deuorent, idque clam, ne à viris tam immanis cibus præripiatur. Hoc igitur eſt, quod ait. ¶ *Virgines eius ſqualidæ.*] id eſt, deturpatæ, vili veſte indutæ, ſeu potius coopertæ, imo verò ſeminudæ. facie fuſcata & ſordida ſqualidæ, Hebr. נוגות i. laborantes, afflictæ, dolore confectæ LXX. ἀγόμεναι, id eſt, ſeruæ in ſeruitutem ductæ. Paraphraſtes מספדן id eſt, lugentes, plangentes. Et addit Paraphraſtes rationem huius luctus. Propterea quod (inquit) ceſſauerunt exire in quinto decimo die Ab, (qui menſis noſtro Iulio ferè reſpondet.) Et in die Chippurim (id eſt, expiationum) qui venit in decimo die menſis Tiſri (qui noſtro Septembri, & partim Octobri reſpõdet) ad choros agendos, quaſi dicat, quia feſta Domini celebrare neglexerunt. ¶ *Et ipſa oppreſſa amaritudine.*] Et ipſa, id eſt, Sion, tanquam mater triſtium & infœlicium virginum, oppreſſa eſt amaritudine, mœrore, & angore, tum ex ſuis ipſius malis, tũ ex ſuorum. Introducitur enim, vti diximus, ſynagoga vt matrona: ſinguli autem ciues, vt filij filiæque.

Iſai. cap. 3.

Deut. 28.

Mẽſis Tiſri noſtro Septẽbri & partim Octobri reſpondet.

Dicamus breuiter, & ad vnamquanque animam fidelem ex gratia Dei in eius offensionem prolapsam. Eius viæ quoque lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solennitatem, id est, Non sunt iam bonæ vllæ cogitationes, non iam altarium & Ecclesiarum frequentationes: non iugis & assidua oratio, non ieiunium, nō spiritalis lectio, non regni cælorum memoria aut desiderium, non inferni pœnarum & suppliciorū metus. Hæ enim sunt viæ quibus itur ad solennitatem Domini, id est, ad gaudium spirituale quod capitur in conscientiæ puritate & serenitate. De quo Apostolus ait: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete:* ad Philip. 4. *Et implemini spiritu sancto, loquentes vobismetipsis,* (id est, vnusquisque sibi apud se) *in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino* ad Ephes. 5. *Templum enim Dei sanctū est, quod estis vos,* ait idē. 1. ad Cor. 3. Quoniā igitur obliuiscitur anima fidelis, atque negligit huiusmodi solennitatē in cordis sui templo Domino celebrare, dignū est vt in captiuitatem, & seruitutem dęmonū atque vitiorum incidēs, gemat & lugeat. Viæ quæ eius olim tam frequentatæ, omnium virtutum, nunc desertæ & obscuratæ, luctum & dolorem sanctis commouent. Omnes portæ eius destructæ, Imprimis porta fundamēti, id est, humilitatis, per quam solebat egredi & expelli vanitas cordis, & iactantia, id est, consideratio & æstimatio bonorum præsentium, id est, nobilitatis, generis, pulchritudinis corporis, sapientiæ mundanæ, opum & diuitiarum: intrare autē & introduci soliditas cor-

Tropologicè.

Gaudiū spirituale ex conscientia puritate.

Philipp. 4.

Ephes. 5.

1. Corinth. 3

Porta fundamēti, humilitas.

dis

dis & ſummiſſio, id eſt, conſideratio vera, & contemptio omnium bonorum temporalium, & propriæ vilitatis agnitio, & Dei optimi maximi ſublimitas & excellentia: Hæc, inquam, porta in peccatore deſtructa iacet. Porta item excelſa, per quam ſolebant charitatis opera progredi & produci, eleemoſynæ expendi, exhortationes, & conſilia iuſta atque pia dari, ipſa quoque euerſa iacet. Porta quoque vallis deſtructa eſt, per quam ſolebat egredi ſponſa in hortum nucum, ad videnda poma conuallis, Cant. 6. id eſt, per quam exibat, vt ex ornatu & decore atque pulchritudine creaturarũ duceretur, & perueniret ad gloriam & pulchritudinẽ creatoris: adeo enim pulchræ ſunt, vt à multis pro Deo putatę ſint, & putentur. Quorum etſi ſpecie delectati Deos putauerunt, ſciant quanto his Dominator earũ ſpecioſior eſt. Speciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem & opera earum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis: à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri. Sap. 13. Vnde Pſalmographus tales damnat Pſal. 27. dicens: *Quoniam non intellexerũt opera Domini, & opera manuum eius: deſtrues illos, & non ædificabis eos.* Hæc porta duas valuas habet, id eſt, duplicem conſiderationem: vnam creaturæ, alteram Creatoris. Videt quis mulierem pulchram, aut adoleſcentem pulchrum, vincitur à concupiſcentia: quare quia porta vallis in eo deſtructa eſt. Contemplatur enim Creaturã ſinè Creatore. Alius videt ſimiliter mulierem pulchram, aut

Porta excelſa per quã charitatis opera.

Porta vallis, cognitio creatoris per creaturarũ pulchritudinem. Cant. 6.

Sap. 13.

Pſal. 27.

In porta cognitionis duæ valuæ, id eſt, conſiderationes, vna creaturæ, altera creatoris.

iuuenem pulchrum, non ſolùm nó concupiſcit, ſed apud ſe tacitus miratur pulchritudinē creatoris, & in eius amorem accenditur, & ad eum videndum excitatur: laudátque tam operis pulchri artificem. Rurſus videt quis hominem languidum,fœdum,fœtidum,deformem,& neceſſitates innumeras patientem:auertit faciem,fugit, derelinquit miſerum: Quamobrem? Quia porta vallis deſtructa in eo iacet. Præſentem modò faciem rerum cernit, non futura conſiderat: ignorans illud Apoſtoli.2.ad Cor.4.*Id quod in præſenti eſt momentaneū & leue, tribulationis noſtræ ſupramodum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis:non contemplantibus nobis quæ videntur,ſed quæ non vidētur.* Quæ enim vidētur,temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. Alius in deformi illo paupere & afflicto, conſiderat Dominum in cruce pendentem, vultum pallore & ſputis fœdatum & deformatum, accedit, vincit omnem nauſeam & omne tædium adiuuat, miſeretur,conſolatur,miniſtrat,in creatura Creatorem colit, memor illius, *quod vni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Porta etiam ſterquilinij, ſeu ſtercoris deſolata eſt: cuius quamuis non ſit nomen ſpecioſum,eſt tamen vtilitas, imo verò neceſſitas maxima.Quoniam enim fieri non poteſt, vt non aliquæ ſordes & aliqua ſtercora intra ciuitatem fiant,neceſſarium eſt, vt extrahantur,ne totam ciuitatem inficiát,& corrumpant. Ea porta eſt confeſſio peccatorū.Et ideo ſingularis porta eſt, quoniam non ſunt peccata per aliam educenda. Vt faciunt qui ſua peccata iactant, publicant,

2.Cor. 4.

Porta Sterquilinij cōfeſſio per quā emittūtur ſordes animæ.

cant,& de eis gloriãtur. Hæc igitur porta in peccatore desolata iacet, qui more pigræ & inertis famulę, sordes sinit nõ vna hebdomada, sed mensem & annũ, annósque etiam interdum alias super alias cumulari, vt ipsa iam domus non domus sit, sed sterquilinium. Ex quo fit, vt iam peccata non videat, id est, sinè vllo iam remorsu cõscientiæ peccet. Nam in domo munda & nitida, vel parua palea, aut aranea statim apparet, & facilè remouetur. At in sterquilinio, etiã pleni sordium & stercorum currus non cernũtur, nec animaduertuntur. Quare summopere cauenda est huiusmodi peccatorum coaceruatio, & vt Apostolus loquitur, thesaurizatio: sed vbi primùm vel tenuis palea aut aranea apparuerit, statim per confessionis sacræ portam extra proiicienda est. Sic enim & facilior fit, & perfectior, quinetiam minus laboriosa & facilior emundatio. Portam autem fontis, portam lachrymarũ intelligamus: de qua Dauid ait: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Per hãc egressus Petrus peccatum suum fleuit amarè. Et Magdalena pedes Domini lachrymis suis rigauit. Sed ea porta in peccatore destructa est: qui tantum abest, vt peccata sua defleat, vt etiam in eis delectetur, & glorietur. Porta verò gregis, per quam greges pecorum inducuntur in ciuitatem ad victum ciuium, intelligamus curam pascendæ animæ, tum propriæ vniuscuiusque, tum populi, quæ propriè ad Prælatos pertinet. Hæc quoque destructa est. Abundat enim iniquitas, & friget charitas multorum, non solùm subditorum, sed

Porta fontis, fons lachrymarũ.

Porta gregis, cura pascendæ animæ propriæ & aliorum.

etiam

etiam Prælatorum. Portam piſciũ,quamuis peruerſi rideant, ego interpretor obſeruationem ieiuniorum Eccleſiaſticorum:in quibus piſces permittuntur edi,carnes prohibentur. Quæ obſeruatio iam vſque adeò friguit, vt à peruerſiſſimis hæreticis etiã damnetur, à fidelibus autẽ, pro leuiſsimaquaq; occaſione violetur. Poſſumus etiã generaliter parſimoniã & ſobrietatẽ in porta piſcium intelligere. Portã autem veterẽ, quã commodius intelligamus nõ video, niſi antiquas Eccleſiæ traditiones & conſuetudines, quæ cùm tamquã ſacræ recipiendæ ſint, & obſeruandæ,à multis tamen impiis negliguntur.In vnoquoque autem fideli porta vetus eſt bona conſuetudo, cuiuſcunque virtutis: quæ per peccatum concutitur, per peccandi conſuetudinem labat & deſtruitur. Habet etiam anima fidelis portã equorum:equus enim animal eſt alacre & bellicoſum, atque glorioſum:ideóque ſignificat robur & alacritatem,quibus pugnatur contra mundum,carnem,& diabolum, ſpe gloriæ. Hæc porta in peccatore diſsipatur:nec iam equos habet,quibus in aciem prodeat:ſed pedes humi repit, & proculcatur.Equi etiam ſignificant dignitates,& honores Eccleſiaſticos,& ſæculares ſeu laïcos.De quibus cap.10. Eccleſiaſtes ait:*Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes quaſi ſeruos ſuper terram.* Tum igitur hæc porta deſtruitur, cùm dignitates & honores Eccleſiaſtici dãtur indignis,ob reſpectũ perſonarum & emolumenti temporalis,prætcritis & neglectis dignis. Quod item in laïcis intelligendum eſt. Porta orientalis eſt porta fidei: vt

Porta piſciũ obſeruatio ieiuniorum.

Porta piſciũ item parſimonia & ſobrietas.

Porta vetus antiqua traditiones.

Porta equorum, robur & alacritas ad pugnandum contra hoſtem.

Equi dignitates, & honores. Eccleſ.10.

Porta Orientalis, porta fidei.

enim ortus solis est initium diei, sic fides est initium diei animæ, id est, illustrationis spiritualis, & omnium aliarum virtutũ splendoris. Cuius portæ destructionem Dominus dolendo prædixit, dicens: *Filius hominis cùm venerit putásne inueniet fidem in terra?* Quasi dicat, raram inueniet. Et nũc quoque in multis fides penitus extincta, vt in hæreticis: in multis autẽ mortua, vt in malis Christianis, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Porta verò iudicialis, earum maximam desolationẽ passa est: Vbique enim impleri videmus illud Isai. 1. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena* (quondam) *iudicij. Iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua. Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera: sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos &c.* Portam autem fictilem dicamus considerationem fragilitatis humanæ: quæ in eo destructa est, quod nemo fragilitatem considerat: sed cùm quotidie morientes, & sepultos cernamus, nos tamen immortales esse credimus, & quod paulisper differendum putamus (in quo tamen etiam iudicio sæpe fallimur) æternum existimamus. Porta vero anguli, sit mutua beneficentia, quæ animos vnit vt angulus parietes. Quæ etiam ipsa desolata est, dum omnes ea quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi: nec solùm sua non largiuntur, sed aliena rapiunt. Denique porta media, mediocritas apertè intelligitur, quæ per nimium & intolerabilem luxum, non in laicis solùm dissipata est.

Porta iudicialis.

Isai. 1.

Porta fictilis, consideratio fragilitatis humanæ.

Porta anguli, mutua beneficentia.

Porta media, mediocritas.

Has omnes portas, & si quæ sunt aliæ, oportet cùm in vnoquoque, tum in ipsa Ecclesia refici, & refectas sartas tectas seruare, si salui esse volumus. Alioqui necesse erit inimicorum omnium insultibus patere, atque diripi. Gemunt etiam sacerdotes. Vnúsquisque enim fidelis & rex est, & sacerdos. Rex quidem, quantum ad rationem, quæ totius reliqui populi, id est, potentiarum atque sensuum sceptrum tenet, quibus præesse & præcipere debet, non parere. Sacerdos autẽ, non, vt hæretici aiunt, quasi omnibus conueniat, aut omnes potestatem habeant sacramentum corporis & sanguinis Domini celebrare, aut à peccatis absoluere. Id enim solis per Episcopum consecratis concessum est, eáque potestas non in baptismo accipitur, sed per peculiarem consecrationem & institutionẽ confertur: sed ad offerendum spirituales hostias, id est, qualiacunque bona opera ad laudem & obsequiũ Dei. Vt monet D. Petrus Epistola 1. cap. 2. *Gemunt igitur fideles, atque vtinam ex animo gemant, & verè gemant, videntes se priuatos culpa sua spiritualibus illis hostiis, quas dum staret Hierusalem*, id est, dum ipsi per gratiam starẽt, offerre Deo soliti erãt. Dicãt igitur cum Propheta, *Redde mihi lætitiam salutaris tui & spiritu principali confirma me.* Virgines autem squalidas, ipsas sanctimoniales intelligamus, quæ multum videntur à pristina puritate recessisse, dum magis seculares mores, & nescio quas mundanas vrbanitates sectari volunt quàm lachrymas, & alia pœnitentiæ opera: vnaquæque etiam anima fidelis, & Deo grata Virgo est, quia integra est, & in-

Vnusquisq; fidelis Rex est & sacerdos, & quomodo.

Sacerdos fidelis, non vt hæretici volunt.

1. Petr. 2.

Psal. 51.

Virgines squalidæ sanctimoniales.

corrupta. Spiritualis enim integritas, per pœnitentiam, & per baptiſmum reparatur. Sed per peccatum fœdatur & deturpatur.

ה *Facti ſunt hoſtes eius in capite inimici eius:locupletati ſunt:quia Dominus loquutus eſt ſuper eam, propter multitudinem iniquitatum eius:paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem, ante faciem tribulantis.*

¶ *Facti ſunt hoſtes eius in capite,*]id eſt,in cap. i. facti ſunt Iudæorum Domini, in duram ſeruitutem & rerum & perſonarum eos redigentes. Et hæc inter alias maledictiones prædicta erat Deuter. 28. Ipſe nimirum hoſtis erit in caput, & tu eris in caudam. Ea autem eſt maxima pœna, vt quos hoſtes habeas, eos dominos patiaris. ¶ *Inimici eius locupletati ſunt.*] ex ſpoliis & mancipiis. Hebræi legunt שלו id eſt, in pace ſeu quiete agũt. Id quod doloris cumulo accedit: eſſet enim nonnulla victis conſolatio, ſi victores viderent, vel ab aliis etiam inquietari, vel inter ipſos inteſtina bella gerere. Vnde Nahum in conſolationem Iſraelis victi, Aſſyriorum victorum deſolationem prædicit. Porro Babylonij poſtquam Iudæam vaſtauerunt: aliquãdiu orbis monarchiam pacificè obtinuerunt. ¶ *Quia Dominus loquutus eſt ſuper eam.*] id eſt, ſententiam dixit contra eam, quaſi dicat: Hoc iuſto Dei iudicio factum eſt, vt hominibus, imo etiam dæmonibus & idololatris

Deut. 28.

ſeruirent,qui Deo ſeruire renuerunt. Hebr. legitur: Quia Dominus הוגה pro הוגה id eſt, afflixit eam, id eſt, dolore affecit. Paraphr. תברינתה id eſt,contriuit ſeu confregit eam:à Septuaginta, ἐταπείνωσεν αὐτὴν, id eſt, humiliauit eam. Et eſt à verbo יגה quod eſt dolore afficere, & affligere. Hier.deducebat ab הגה quod eſt loqui,ſed ſenſus in idem redit. ¶ *Propter multitudinem iniquitatum eius.*] Dominus enim vtebatur Rege Nabuchodonoſor, tamquam flagello, ad vendicandas iniquitates omnium gentium. Vt etiam deinde aliis gentibus vſus eſt ad Babylonica facinora vendicanda. Huiuſmodi igitur flagella & victoriæ non tam vincentium fortitudini aut innocentiæ, ſæpe tribuenda ſunt, quàm iuſto Dei iudicio, & eorum meritis qui vincuntur & affliguntur. ¶ *Paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem.*] id eſt, הלכו שבי Abierunt captiui.Hoc ad miſerationem exprimitur.Et intelligitur de paruulis, qui iam iter pedibus agere poterant,quamuis ægrè. Minores enim paruuli atque lactantes occidebantur. Infrà cap. 4. Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame. ¶ *Ante faciem tribulantis.*] לפני צר coram hoſte,ſeu ante hoſtem. Sic enim ſolēt victores captiuos ſuos ante ſe minari.Miſerabile ſpectaculum, grex paruulorū relicto natali ſolo,& maternis ac domeſticis indulgentiis & deliciis,in poteſtatem ire hoſtium, eorúmque infidelium,cogebantur. Hoſtes autem animæ,mundus,caro & diabolus,quos decet ſub pedibus iacere & conculcari,id eſt,negligi,abiici, & repelli,in caput vertūtur infelicis animæ,dum

eos,tamquã Dominos colit, & eis pro Deo obedit & inseruit,non vlla vi victa, aut armis violentis,sed blanditiis,& sua ipsius mollicie & voluntate.Itaque fit anima serua eorum, quibus dominari debebat, possétque si Deum inuocaret. Hostes etiam Ecclesię,id est,hęretici,& alij infideles interdum fiunt in caput, & fidelibus prævalent, propter ipsorum socordiam: locupletanturque quamuis non speciosis nec iucũdis spoliis. Quid enim prodest vel diabolo, vel hæreticis, si multos decipiant, & in suam partem trahant, cùm vtrique pariter in damnationem abeant? Paruuli verò in captiuitatem ducuntur, quando in fide, aut in religione noui vel nouitij, vel in seculo, vel in ipsis etiam monasteriis malo exemplo labuntur & corruunt,vitiisque succumbunt, dum à senioribus & prouectioribus, non solùm non iuuantur,sed etiam in perniciem inducũtur. Vel, paruuli sunt noua & recentia proposita conuersorum & pœnitẽtium, qui ad tempus credunt & proponunt, sed in tempore tentationis mox recedunt.

Paruuli recentia proposita conuersionis.

ו *Et egressus est à filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius, velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*

¶ *Et egressus est*] id est,perditus & amissus est, à filia Sion, id est, ab Hierusalẽ, & à Synagoga &

Repub.

Repub.Iudaica omnis decor eius, id eſt, omnia ornamenta libero populo conuenientia, id eſt, opes,vaſa,veſtes,theſauri,arma,item magiſtratus & ſacerdotium.Omnia enim hæc decora ſunt liberæ ciuitatis, & ſimul cum libertate ipſa auferuntur.Principes eius. Qui ſunt præcipua & maxima pars, non ſolùm roboris & firmitatis, ſed etiam ornamenti & decoris Regni & ciuitatis, facti ſunt infirmi & deformes, veluti arietes languidi & macilenti,propter penuriam pabuli.Itaque neque populum, neque ſe tutari valentes, manus hoſti dederunt, & in captiuitatem etiam ipſi cum paruulis abierunt, minante eos à tergo hoſte,& ire approperare vrgente.Verbum ſubſequentis,Heb.eſt רודף id eſt,perſequẽtis: notátque R. Selomo in omnibus aliis locis ſcribi diminutè, id eſt, רדף hoc autem loco plenè,id eſt, רודף propterea quòd hæc perſecutio populi Iudaici plena fuerit & conſummata.Quod magis in hanc poſteriorem quadrat per Titum factã.Myſticè autem, filia Sion reliquit decorem ſuum, quando per incuriam cogitationum, virtutũ perdit ornamentum: nec ei ſubueniunt Principes ſui, id eſt, rationabiles tractatus, cum quibus reſiſtere debuit inimicis perſequentibus, ſed defecto robore fortitudinis coram hoſte perſequente propulſata eſt in foueam deceptionis. Hac etiam ſententia arguuntur negligentes Rectores Eccleſiæ Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Chriſtiani: cùm nec in meditatione legis diuinę,nec in cultu pietatis,nec in ſacrarum virtutum exercitio laborare conantur:ſed in

Per incuriã cogitationũ perdere virtutũ ornamentum.

luxu voluptatum, per varia ſcelera iuxta ſuggeſtionem hoſtis cogentis abducuntur. Cuius periculi malum illos maximè reſpicit, qui in loco regiminis conſtituti, potius ſæcularia deſideria, quàm mãdatorum Dei ſequi veſtigia elegerunt. Hæc D. Hieronymus. Quid ſi tempora noſtra vidiſſet?

7 *Recordata eſt Hieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & præuaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus eius in manu hoſtili & non eſſet auxiliator ei, viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbatha eius.*

¶ *Recordata eſt.*] Senſus eſt: Ciues olim Hieruſalem in captiuitatem abducti, cùm in ſuo exilio aliquantulum reſpiraſſent, cœperunt cogitare, frequentérque animo ſuo reuoluebãt præteritum tempus, & in eo tum quæ mala pertuliſſent, tam in obſidione, quàm in ipſa ciuitatis irruptione & captione: tum etiam quantam gloriam, & quantas opes olim habuerant. Quæ cogitatio magis eorum animos angebat. ¶ *Recordata eſt Hieruſalem.*] Id eſt, populus Iudaicus, & ſynagoga iam in exilio conſtituta, dierum afflictionis ſuæ præteritæ, quam pertulerat in obſidione, famis, & ſitis & peſtis, & aliorum laborũ: durauit enim obſidio fere biennium, & præuaricationis, id eſt,

recordata eſt etiam præuaricationis, id eſt,rebellionis ſuæ & iniquitatis,ob quam in tot mala inciderat. Eſt enim nonnulla, imo maxima conſolatio,cùm quis innocens affligitur. Conſolatur enim eum innocentia ſua. Id quod non eſt, vbi quis meritas pœnas luit.Heb. eſt ומרודיה id eſt, Angorum ſeu anguſtiarum ſuarum,aut dolorum ſuorum iuxta R. Selomo. vt repetatur alio verbo,quod dixerat afflictionis,more Hebraico:delectantur enim eiuſmodi repetitione. Et eodem modo exponit illud Iud. 11. וירדתי על־ההרים id eſt, & affligam me in montibus, ſeu plangam: & illud Pſalmi 55. verſu tertio, quamuis ex alia radice,id eſt, ex אריד בשיחי רוד Plangã, ſeu quiritabor in ſermone meo.Rabbi etiam Dauid in rad. רוד ait quoſdam exponere planctuum ſuorum. תנודותיה Alios etiam מלמוליה id eſt, demigrationum,vagationum, ſeu tranſlationum ſuarũ,id eſt, quoties fuiſſet huc illuc tranſlata & trãſmigrata.At in rad.מרד exponit דלותי שפלות id eſt, paupertatum & humiliationum ſuarum, id eſt, quantùm fuerat depauperata & humiliata. LXX. & ἀπωσμῶν αὐτῆς, id eſt, & expulſionum ſuarum.Omnium deſiderabilium ſuorum.Repete, recordata eſt:vt ſit ſenſus:Recordata eſt præteritorum,tum bonorum,tum malorum. Alij & fortè melius,ſupplent præpoſitionem *in* quæ ſæpè Hebraicè ſuppleri ſolet, hoc modo: Recordata eſt Hieruſalem in diebus afflictionis ſuæ, & planctuum ſuorum: recordata eſt, inquam, omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, id eſt, opum, gloriæ, honoris,

pacis,& abundantiæ bonorum, quæ longo tempore poſſederat ſub Dauid & Salomone, & aliis multis regibus,quouſque ad fecem Regũ, id eſt, ad Iechoniam, Ioacim, & vltimum Sedechiam peruenit,ſub quo ciuitas capta eſt. Deinde ſequitur alia ſententia continuanda. ¶ *Cùm caderet populus eius in manu hoſtili,& non eſſet auxiliator, viderunt eã hoſtes & deriſerunt Sabbatha eius.*] Id eſt, cum occideretur & paſſim caderet populus Hieruſalem gladio hoſtili, nemine, neque homine neque Deo prohibẽte aut auxilium ferente, reliquis iniuriis & afflictionibus etiam cõtumeliam adiungebant victores,dicentes: Vbi ſunt ſabbatha veſtra, ô Iudæi?vbi iactantia ſanctitatis & religionis præ omnibus gentibus?Iudęi enim ſemper fuerũt gẽs ſuperba,& iactabũda,vt eſt etiam nunc in mediis miſeriis, & humiliationibus, putantes & aſſerentes omnes gentes eſſe impias, ſe ſolos pios & veros Dei cultores, vt Rabbi Dauid audeat dicere, Deum nullam aliarum gentium curam aut prouidentiam habere, niſi quatenus aliquo modo pertinent ad Iſrael, hoc eſt, Deum non punire alias gentes, niſi quatenus noceant aut iniuriam faciant Iſraeli: nec eis benefacere, niſi quatenus Iſraelem iuuenerint aliqua in re. In hanc autẽ amẽtiam & inſaniam ex eo venerunt, quòd ſe viderunt à Deo peculiarius diligi, & familiarius tractari, habentes prophetas,& legem ab ipſo Deo datam,& frequenti Angelorum colloquio fruentes. Sed cùm omnia cœpiſſent ad exteriorem cultum conuertere, corde incircuncisi & impij, cœpit etiam Deus ipſe ipſorum tæ-

Iudæi ſemper gens ſuperba & iactabunda.

dere,

dere, & ipsorum cæremonias cultúmque abominari. Vnde ait Isa. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea.* Quo tandem factum est, vt à Deo derelinquerentur, caderéntque tanquam arietes gladio hostili, nemine, nec homine neque Deo ipso opem vllam ferente. Porro, id hostes etiam in Dei blasphemiam cõuertebant, putantes deos suos potentiores esse Deo Iudæorum; quippe qui non potuisset (vt ipsi interpretabantur) populum suum de ipsorum manibus eripere. ¶ *Viderunt eam.*] Quendam despectum significat, viderunt eam, id est, viderunt infirmitatem eius, & imbecillitatem, cùm sese antea iactaret. Hæc omnia facilè ad animam accommodantur, dum recordatur peccator in miseria constitutus, in quot iam calamitates & dolores inciderit culpa sua. Recordatur quoque desiderabilis illius pacis & serenitatis conscientiæ, quam olim habuerat, cùm esset in Dei gratia. Vel, iuxta aliam constructionem. In diebus afflictionis & gemituum suorum, dum se videt à Deo derelictum, & in sexcenta mala coniectum, recordatur præteritorum dierum, in quibus cùm Dei mandata faceret, & esset in eius gratia, bonis omnibus affluebat. Quem hostes quoque, id est, diabolus, & angeli atque ministri eius deridènt, præteritam eius sanctitatem, siue vera fuerit siue ficta, nihil ei profuisse gloriantes, quominus ab ipsis deiiceretur.

Isaia 1.

Peccator in miseria constitutus recordatur in quot calamitates & dolores culpa sua inciderit.

ח *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea*

pterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens, & conuersa est retrorsum.

¶ *Peccatum.*] Paraphrastes addit, peccatum grande חובא רבא nempe idololatriam, quo ad prius excidium: & Christi proditionem atque mortem, quo ad posterius. Quòd posterius quātо fuit grauius, tantò fuit, & est exilij & captiuitatis pœna diuturnior, & acerbior. Quid enim grauius, aut sibi perniciosus committere potest ægrotus, quàm si medicum ipsum occidat, à quo solo sanari poterat? Aut si medico curare volenti viam præcludat, & domus in qua iacet, portas obstruat, & occludat? At hoc vtrumque peccatum est omnium Iudæorum. Nam patres eorum Christum corporaliter occiderunt, & posteri eam mortem à parentibus impiissimè illatam approbant, & iustissimè inflictam asserunt: & pariter omnes per infidelitatem Christo pulsanti, ianuam claudunt. ¶ *Peccatum igitur grande atque graue peccauit Hierusalem*] Id est, vniuersus populus, non vnus aut alter de populo. Nam & in priori excidio omnes publicè Idololatræ erant. Et in posteriori, vniuersus populus publicè clamauit: *Crucifige, crucifige eum.* Propterea instabilis facta est, id est, de terra sua migrata & translata, per aliena Regna vagari coacta est, & exulare. Et quidem prius exiliū breue fuit, & in vnum Regnum, ac prope in vnam ciuitatem, id est, in Ba-

bylonìam : *At posterius diuturnum, vsque ad consummationem sæculi*, iuxta illud Pauli: *peruenit in illos ira Dei vsque in finẽ*. 1. Theſſ. 2. *& in omnes gentes*, prædicente Domino. Luc. 21. *Cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes*. Hebr. על כן לנידה היתה Admodũ fratricidæ Caim: qui eiectus à facie, id eſt, à fauore Dei, coactus eſt ambulare נע ונד id eſt, Inſtabilis & profugus. LXX. διὰ τοῦτο εἰς σάλον ἐγένετο, idcirco concuſſa ſeu iactata eſt. At Diuus Paulus cùm ſe dicit inſtabilem eſſe prima ad Corinthios 4. dicens: ἀστατοῦμεν, non propter aliquod peccatum ſuum id patiebatur, ſed propter charitatem vt vbique fidei veritatẽ prædicando omnes, quantum in ſe erat, ſaluos faceret. ¶ *Omnes qui glorificabant eam.*] Id eſt, populi gentéſque aliæ, qui putabant gentem Iudaicam eſſe aliquid propter opes, & externum illum cultum veri Dei, quem iactabat, & propter munera quæ Iudæi mittebant ad gentes. ¶ *Spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius.*] Rabbi Don Ioſeph ſic enarrat: Sæpenumero (inquit) fit, vt homines qui extra apparent bene morati & boni cordis, in honore habeantur, & colantur: cùm intra ſe inſidias habeant. Quòd ſi viſa fuerit, & conſtiterit turpitudo cordis ipſorum, omnis honor in ignominiam conuertitur, incipiúntque contemni ab iis, à quibus honorabantur. Ablata enim cauſa, aufertur effectus: ſic Synagoga Iſrael, quæ à gentibus honorabatur, quòd appellaretur populus Domini, ab eiſdem gentibus, videntibus quàm cito receſſerit à via, quam præceperat ei Deus ſuus, & clarè cernenti-

1. Theſſ. 2.
Luc 21.

1. Corint. 4.

bus

bus fœditatem iniquitatis,& peccati eius grauis, contempſerunt eam,&c. Igitur illud. ¶ *Quia viderunt ignominiam.*] Id eſt, turpitudinem & fœditatem eius,non ſolùm refertur ad infirmitatem & imbecillitatem corporalem, qua factum eſt vt reſiſtere Babyloniis & aliis gentibus non potuerint, ſed etiam ad peccatum & fœditatem mentis, quam gentes quoque in Iudæis cognoſcebant: Id quod apertè docet Nabuzardam princeps militiæ Chaldæorum,dicens ad Hieremiam cap. 40. *Dominus Deus tuus loquutus eſt malum hoc ſuper locum iſtū,& adduxit,& fecit Dominus ſicut loquutus eſt, &c.* Et nunc quoque vbique cognoſcitur ignominia & fœditas Iudæorum,tam corporum, quàm animorum, impleta illa comminatione Oſeæ 2.*Et nunc reuelabo ſtultitiam vel fœditatem eius in oculis amatorum eius, &c.* ¶ *Ipſa autem.*] Hebr. גם היא etiam ipſa gemens, נאנחה Id eſt,gemuit:non tamen video quomodo illud, etiam accommodari poſſit iuxta proprium ſignificatum,niſi dicatur. Hoſtes quidem eam ſpernebant, & ei inſultando dolorem excitabant: ipſa quoque dolori ſuccumbens,ingemuit & ſuſpirauit. ¶ *Et conuerſa eſt retrorſum.*] Id eſt,poſtquā ſe vidit retroactā & ex capite in caudā conuerſam, id eſt,ex libera in captiuam ſeruamq; redactā:Interdum coniunctio,&,ſignificat,poſtquam, vt in illo, *ecce tu iratus es,& peccauimus.* Iſa.64.& in illo Exod. 16. *Scatere cœpit vermibus atque computruit*, id eſt, poſtquam computruit. Similiter cap. 14. *diuiſaq́; eſt aqua*, id eſt, poſtquam diuiſa eſt, ingreſſi ſunt,&c. Rabbi D. Ioſeph exponit, ex eo

Oſea 2.

Iſai. 64. Exod. 16. Exod. 14.

quod intellexit Synagoga, ſe propter peccatum ſuum incidiſſe in miſeriam & captiuitatem, gemuit & doluit, atque pœnitentiā egit, & cōuerſa eſt retrorſum, ab operibus ſuis prauis. Sic etiam gloſſa interlinearis, dicens: ipſa autē gemens. Peccatum cognoſcens, & conuerſa eſt retrorſum. Ad Deum, quem reliquerat. Per pœnitentiā, ad conuerſationem cæli, vnde ceciderat. Sic gloſſa. Sed magis ſignificat caſum in deterius, vt Iſa. 1. *Abalienati ſunt retrorſum.* Vbi R. Dauid ſic ſcribit, id eſt, diuiſerunt ſe à Deo, & abierūt retro ſeu retroceſſerūt à cultu eius, vel, verterunt ad Deū terga, & nō faciē: iuxta illud. Hier. 7. *Abierūt in prauitate cordis ſui, &c.* Quod Ionathan exponit. Et conuerterunt ad cultum meum terga, nec poſuerunt timorem mei ante faciem ſuam: Sed præſentem locum exponit de pœna, non de culpa. Ait enim, & propter opera ſua praua retroceſſerunt, & facti ſunt poſteriores. Sic R. Dauid. Et cap. 42. conuerſi ſunt retrorſum, exponit retro abierunt à cogitatione ſua, id eſt, aliud inuenerunt quàm putarunt. Et cap. 57. confitentur dicentes: Auerſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri. Ac neſcio an alicubi ſcripturarum, conuerti retrorſum, inueniatur pro eo quod eſt, pœnitentiam agere: ſed magis ſignificat à meliori ſtatu decidere in deteriorē, vel quoad culpam, cùm quis ex bono fit malus: vel quoad pœnam, cùm ex proſpero ſtatu caditur in miſerum. Paſchaſius autem exponit, conuerſa eſt retrorſum, more captiuorum, qui cum dolore patriam relinquunt, identidem retro reſpectantes, & ſuſpirantes. Tropologicè

Iſai. 1.

Hierem. 7.

Conuerti retrorſum nō pro pœnitentiam agere. Conuerti retrorſum ſemper à meliori ſtatu decedere.

Tropologicè.

autem

Anima per peccatũ instabilis facta.

autem facilis eſt intellectus, animam per peccatum fieri inſtabilem, quippe quæ relicto Deo, qui ſolus eſt penitus immobilis & immutabilis, adhæſerit creaturæ,quę inſtabilis eſt, & per momenta variabilis.Tales autem ſumus ad motum, & quietem, quales eæ res ſunt, quibus adhæremus. Cum iactatis enim, iactamur:cum quietis, conquieſcimus: omnibus igitur adhærere Deo bonum eſt, nec aliter finis continget iactationis & inſtabilitatis. Iam verò quod Diabolus & miniſtri eius infœlicem animam, vbi eam deiectam viderint, ſubſannent & derideant, dubium nõ eſt:ipſa quoque vt merita eſt,gemit & retroit, oblita illius monitionis ad Philip. 3. *Quæ retro ſunt obliuiſcẽtur ad ea verò quæ ſunt priora, ſeu anteriora*(id eſt,τοῖς ἔμπροσθεν,)*extendentur,meipſum ad deſtinatum ſeu ſcopum perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu,&c.*Porro illud prorſus neceſſarium eſt,vt quicunque retro conuertitur à gratia Dei in eius offenſionem, idem etiam cadat à gloria in ignominiam, ſi in offenſionę perſeuerare voluerit.

Phil. 3.

ט *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui, depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus.*

¶ *Sordes eius.*] id eſt, ſanguis menſtruorum. Comparatur enim Synagoga mulieri immundæ

& menſtruatæ, vt etiam exponit R. Selomo, & Paraphraſtes,& R.Don Ioſeph.Paraphraſtes habet: Immūditia ſanguinis mēſtruorū eius in fimbriis eius, non eſt purificata ab ea, nec pœnituit eam de peccato ſuo,nec recordata eſt quid euenturū eſſet ei in nouiſſimis diebus, deſcendítque & cecidit,factáque eſt miracula(id eſt,contigit ei res miranda,id eſt,mirabile excidium)nec eſt qui eam ſermone conſoletur:&c. Rabbi autem Don Ioſeph, ait duplex eſſe genus adulterarum, alias quæ in ſecreto peccant, nec prorſus pudorem naturalem depoſuerunt: alias quæ publicè,& ſinè vllo vel Dei,vel hominum timore:qua,inquit, appellantur, זונות מפרסמות id eſt, meretrices publicæ. Atque huic poſteriori adulterarum generi ait comparari hoc loco Hieruſalem, quòd cùm eſſet ſimilis in peccatis ſuis publicæ & impudoratæ meretrici, cuius ſordes appareant in fimbriis veſtium eius, deſcenderit, & deiecta ſit mirabiliter,id eſt,caſu & deiectione mirabili, ita vt audientium tinniant aures præ ſtupore tantæ ruinę.Et tamen inter tot mala,neminem inueniat conſolatorem.Quę eſt res mirabilis,& pœna prcuidentiæ diuinæ, longè à natura remota. Sic R. Ioſeph. Huc facit illud Iſaiæ 3. *Iſai.3.* *Ruit Hieruſalem, & Iuda concidit, Peccatum enim ſuum, quaſi Sodoma, prædicauerunt, nec abſconderunt,&c.* Ecce adultera publica & perfrictæ frontis. Nam in priori quidem excidio Idola publicè colebant, in poſteriori verò publicè in necem Chriſti conſpirauerunt, & clamauerunt, crucifige,crucifige eum. Interioribus videlicet animi &

cordis ſordibus, & immundiciis in exteriores fimbrias, id eſt, in labia & alia corporis inſtrumenta redundantibus. Quemadmodum ex interioribus corporis partibus profluit ſanguis menſtruus mulieribus. Niſi enim prius Synagoga, id eſt, Pontifices, & Phariſæi, & Scribæ, & cum eis reliquus populus Iudaicus malas cogitationes creauiſſent in corde, non certe talem partum idololatriæ & necis Chriſti foras edidiſſent. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem Matth. 15. Rabbi Salomo quoque ait, Sordes eius. Rem turpem ſignãt. Sanguis, inquit, menſtruus eius apparuit & cognitus eſt in fimbriis veſtium eius, quaſi dicat: Peccata eius multum aperta & manifeſta ſunt, quæ fecit in aperto, & ſinè vllo velamine. ¶ *In pedibus eius.*] Retenta metaphora menſtruatæ, cuius menſtrua defluunt vſque ad imos pedes. Quare Rachel, cùm fingeret ſibi hoc accidiſſe, non aſſurrexit patri ne ea fœditas defluens ad pedes appareret. Gen. 3. Heb. בשוליה id eſt, in fimbriis eius. ſic vocantur infimæ partes veſtis, quas D. Hieron. pedes appellat vt Exod. 28. *Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ, &c.* Vbi eſt idem verbum Hebraicum שולים eſt Hiere. 13. *Reuelata ſunt verecundiora tua*: & paulo poſt, *Nudaui fœmora tua.* Et Naum. 3. *Reuelabo pudenda tua*: vbi Paraphraſtes בהתת חובך id eſt, confuſionem, ſeu pudorem peccati tui, id eſt, peccatum tuum pudendum & cõfuſione dignum. Ergo idem verbum שולים

Matth. 15.

Exod. 28. 3.

Hierem. 1

Naum 3.

inter

interpretatur pedes verecundiora fœmora, pudenda, propriè tamen ſignificat fimbrias, quæ cùm in fœminis reuelantur, apparent fœmora & partes pudendæ. Iſaiæ 6. idem verbum periphraſi reddidit dicens, Et ea quæ ſub ipſo erant (id eſt, fimbriæ eius) replebant templum. Alij interpretantur ſordes eius, in pedibus eius, de ſordibus contractis in via, quum nudis pedibus duceretur in exilium. Sed germanior eſt prior expoſitio, ſordes & immunditię menſtruorum deſcenderunt, & profluxerunt extra vſque ad infimas fimbrias veſtis, id eſt, peccatum, vel peccata eius ex ſentina cordis prodierunt in publicum: & in occulto cogitata, palam & in publico perpetrata ſunt. Vnde autem nata ſit tanta diſſolutio & impudentia, docet, dum ait: nec recordata eſt finis ſui, id eſt, non putauit ſe in iudicium venturam, aut aliquando vitæ rationem reddituram. Iudæi enim in tãtam impietatem venerant, vt crederent nullum eſſe, aut futurum eſſe iudicium Dei, nec ab eo pro peccatis pœnam eſſe infligendam, nec pro bonis operibus vllam gloriam aut coronam reddendam, ſed omnia caſu accidere & fortuitò. Hinc illud Sopho. cap. 1. *Viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis,* qui dicunt in cordibus ſuis: *non faciet benè Dominus, & non faciet malè, &c.* Et Ezechielis 8. cùm Dominus oſtendiſſet Prophetæ abominationes quas faciebant, ait: *Certè vidiſti fili hominis abominationes quas ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris, vnuſquiſque in abſcondito cubilis ſui. Dicunt enim, non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terrã, &c.* Id eſt, nullam

Iſai. 6.

Iudæi negãtes prouidẽtiam & admittẽtes caſum & Fortunam.

Sopho. 1.

Ezech 8.

curam aut prouidentiam gerit eorum quæ fiunt ab hominibus super terram. Et cap. 9. *Iniquitas domus Israel & Iuda magna est nimis valde, & repleta est terra, sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione: dixerunt enim, dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt, &c.* Quare saluberrimè admonet Ecclesiastes cap. vltimo, dicens, *Deum time, & mandata eius obserua. Hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum siue malum sit.* Et consimiliter Ecclesiasticus cap. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Finis igitur peccatorum, cuius obliuiscuntur, & quæ futurum, vel non credunt, vel dissimulant, est æterna damnatio & confusio, & ignis ardor inextinguibilis, & vermis immortalis cor assiduè lacerās, & rodēs, & perpetua priuatio luminis & visionis faciei Dei, in qua consistit sanctorū beatitudo & fœlicitas. Nam de malis, in quæ etiam in hac vita incidunt, taceo: quoniam temporalia sunt, & citò finiuntur. ¶ *Deposita est vehementer.*] id est, deiecta de statu prosperitatis in miseriam. Iuxta illud: *Deposuit potentes de sede.* Hebr. ותרד פלאים id est, & descendit mirabiliter, id est, cecidit casu mirabili. Peccatum enim descendit supra talentum plumbi, id est, plusquam massa plumbea. Multis modis mirabilis fuit casus populi Iudaici & stupendus. Primùm ex parte Dei, qui ipsum peculiariter delegerat, ex omnibus populis, & cum eo familiarissimè per angelos, nuntios suos, conuersabatur, tum etiam familiarius per Prophetas, quos quotidie audiebat,

Ezech. 9. — *Eccles. vlt.* — *Eccles. 7.* — *Negatio prouidētiæ & finis causa peccati. Finis peccatorum qualis.* — *Casus populi Iudaici multis modis mirabilis.*

ea quæ ad ſalutem pertinerēt, docentes & cōmonefacientes. Quæ cura, ſi aliis populis adhibita fuiſſet, pœnitentiam egiſſent. Sic enim teſtatur Dominus Matth. 11. Iudęorum deteſtans mirabilem cæcitatem. *Tunc*, inquit, *cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus facta ſunt plurima virtutes eius* (id eſt, miracula) *quia non egiſſent pœnitentiam dicēs: væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sydoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cœlum exaltaberis? vſque in infernum deſcendens. Quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hanc diem, &c.* Aduerbium, fortè, non eſt in Gręco, ſed ſimpliciter, vt in ſuperiori dicitur, manſiſſent vtique vſque in hanc diem. Et nota quod ait Dominus, vſque in infernum deſcendens. Id quod Propheta dixit, & deſcendit mirabiliter, vel vehementer. Ex parte autem populi Iudaici fuit item mirabilis caſus, & mirabilis cæcitas, & obſtinatio: adeò vt, eius comparatione, iuſtæ aliæ gentes dicantur. Ezechiel. cap. 16. In eo etiam eſt vel maximum miraculum huius caſus, quòd cùm aliæ item gentes ceciderint, vt Babylonij, Aſſyrij, Perſæ, Græci, & Romani magna ex parte, & regnum amiſerint, patriáque exulauerint, tamen nullus nunc eſt earum gentium exul: ſed omnes iam eam patriam agnoſcunt, in qua nati ſunt: ſola gens Iudaica vbique exul, vbique ſerua, vbique miſera cognoſcitur & videtur, & quod mirabi-

Matth. 11.

Ezech. 16.

Solummodo Iudæi exules, non verò aliæ nationes etiam ſi victæ & debellatæ fuiſſent.

In eadẽ iniquitate per quã exclusus est populus Iudaicus adhuc impœnitens.

lius eſt, per quam iniquitatem expulſa eſt, per eandem excluditur, impœnitens perſeuerans: alioqui enim iniuſtus & inhumanus eſſet iudicandus Deus, ſi pœnitentes non reciperet. Cùm igitur eos tam longo tempore non recipiat, nec reſtituat, apparet mirandam eſſe Iudaicæ gentis impœnitentiam peccatum ſuum agnoſcere nolentium, quòd Chriſtum, & Regem ſuum tam crudeli morte occiderint, Dominũ Ieſum. ¶ *Non habens conſolatorem.*] אין מנחם לה id eſt, non eſt qui conſoletur eam, ſanè in inferno, quo deſcendit, nulla eſt conſolatio. In præſenti quoque ſæculo nullam habet Iudæus conſolationem. Si enim habet, mentitur propheta: Supra quidem dixerat, *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.* Nunc autem ſimpliciter affirmat, non eſſe qui conſoletur eam. Sed nonne Rabbini plebeculam, miſerúmque populum quotidie conſolantur ſpem promittentes venturi Chriſti? ſed hanc Propheta deceptionem interpretatur, non conſolationem: perinde atque ſi quis pauperi egenti diceret, bono animo eſto, multas enim diuitias habebis, nunquam alioqui habituro. ¶ *Vide Domine afflictionem meam.*] Quid igitur? An non videt tot iam annos afflictionem tuam? an fortè impletur illud Iſaiæ 1. *Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: & rationem ponit, manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt, &c.* Sũt plenæ ſanguine illo, de quo dixerunt, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Certè extendunt manus quotidie Iudæi in cælũ, ſed manus

Iſai. 1.

Iudæi manus in cælũ extendunt ſanguine plenas.

ſangui

ſanguine plenas, quibus tantum abeſt, vt Deum placent, & etiam magis commoueant, & irritent. Multiplicāt orationem, ſed blaſphemiis plenam, qua non veniam impetrant, ſed ſupplicium ſibi maius cōciliant. Quid igitur orat adultera ſynagoga? Vide Domine afflictionem meam: ſolam ſuam afflictionem reſpicit, ſua lucra, ſuas commoditates quærit, ab afflictione liberari vult, ab onere leuari exilij, & captiuitatis & ſeruitutis: peccatum autem ſuum, & Dei offenſionem non curat, non agnoſcit, nec manus à ſanguine vult abluere. ¶ *Quoniam erectus eſt inimicus.*] de victoria gaudens, & de potentia ſua ſuperbus, propriis eam deputans viribus, non iuſto iudicio Dei. Hebr. כי הגדיל אויב Quoniam magnificat ſe inimicus, id eſt, ſuperbit & iactat ſe. LXX. ἐμεγαλύνθη, id eſt, magnificatus eſt. Paraphraſtes addit עלי id eſt, ſuper me. Tacitè innuitur, deprime illum, & ſubleua me. Sed Dominus, quem non capiunt inſinuationes, & Chaldæos ſuperbientes depreſſit quidem per Medos, & Perſas, nec tamen ſynagogam ſubleuat. Quia vt iuſtum eſt ſuperbos deiicere, ſic etiam impœnitentes iuſtum eſt ſub onere tenere, quouſque peccatum agnoſcant. Fruſtrà igitur Deum ſynagoga contra inimicos prouocat quaſi ex eorum depreſſione leuanda. Animæ quoque ſordes tunc in pedibus, aut fimbriis apparent, cum malè cogitata intus, foras promit: immemor, quòd omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum. 2. ad Cor. 5. & ad Rom. 14. 2. Corinth. 5. Rom. 14.

Rom.14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Et vnusquisque nostrum, pro se rationem reddet Deo. Deiicitur autem mirabiliter & vehementer, quando peccat, & fit serua peccati. *Quicunque* enim *facit peccatum, seruus est peccati.* Ioannis 8. Quis autem potest vilior esse dominus, quàm peccatum? Porro, quanto dominus vilior, tanto seruus abiectior: Tunc etiam consolatore caret: quia sinè Deo nulla potest esse consolatio: nec iam infœlix peccator de culpa sua cogitat, vt eam defleat, sed de pœna quam patitur: vt ea liberetur. Præposterè scilicet omnia agens: & manente afflictionis causa, afflictionem tolli stultissimè postulans.

Ioan.8.

ʾ Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarēt in Ecclesiā tuam.

Exponit quomodo erectus est inimicus. Quia ingressus templum Domini, omnes eius opes, & ornamenta diripuit, ipsúmque deinde templum succendit, atque diruit. Idémque in aliis ædificiis insignioribus exercuit. Isa.64. *Hierusalem desolata est, domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis: & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas, &c.* Ergo manum suam misit, seu extendit hostis Babylonius, aut Romanus, ad omnia desiderabilia eius, id est, ad omnia pretiosa, ad opes quidem & thesauros, ad diripiendum, ad ædificia

Isa.64.

verò

verò pulchra & insignia, murósque ipsos diruendum. ¶ *Quia vidit gentes.*] Non apparet particula (quia) quomodo hîc intelligatur. Paraphrastes supplet hoc modo: Cœpit quoque synagoga Israel plãgere & eiulare; quia vidit populos alienos ingredi, &c. Nam verbum, vidit, fœ.ge. est in Hebraico, & ad synagogam, vel ad Hierusalem refertur. Quare malè Paschasius, & gl. interlinearis exponunt, vidit Dominus gẽtes, id est, Iudęos gentiliter viuentes. Aliena est ea expositio. Ingemuit igitur synagoga, quia vidit gentes, Babylonios & postea Romanos. ¶ *Ingressas sanctuarium suum.*] Id est, templum, in quo maximè confidebant & gloriabãtur, cùm alioqui Deũ ipsum malè colerent, imò quotidie prouocarent. Vnde Hier. cap. 7. monet dicens, *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: templum Domini, templum Domini est &c.* Docebant enim Pseudoprophetæ Hierusalem, nunquam capiendam, quòd in ea esset templum Domini. Et infra. *Faciam domui huic in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis, & patribus vestris, sicut feci Silo, & proijciã vos à facie mea, &c.* Idcirco ait Propheta, sanctuarium suum, id est, ipsius synagogæ, nam etiam pronomen, suum, in Hebraico est fœ.ge. & ad synagogam seu Hierusalem refertur. Suum, id est, in quo confidebat & gloriabatur in externo cultu eius, & ornatu & pulchritudine, interno cordis templo neglecto. Quomodo etiam Isai. cap. 1. ait: *Calendas vestras & solẽnitates vestras odiuit anima mea &c.* Vestras, inquit, non meas: quia externum cultum non

Hierem. 7.

Isai. 1.

respicio, vbi interior negligitur. *Populus enim hic labiis me honorat,* seu glorificat, *cor autem eius longe est à me &c.* Isai. 29. Non ergo voluit synagoga prophanari sanctuarium Dei, sed sanctuarium suum. cùm enim ipsa indignissima esset, tamen indignabatur gentes ingredi templum, tanquam indignas. ¶ *De quibus præceperas.*] Deut. 23. vbi hoc specialiter prohibetur Ammonitis & Moabitis. In æternum. *Ammonites,* inquit, *& Moabites, etiam post decimam generationem, non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum:* Idumæi verò & Ægyptij, post tertiam generationem intrare permittebantur, vt ibidem declaratur. Ibi tamen Ecclesia non intelligitur templum, sed Senatus patrum conscriptorum, iuxta Caiet. sed quoniam propter odium quod merebantur, à senatu prohibebantur, multò magis à templo arcebantur; & Paraphrastes. R. Selomo & R. Ioseph de Ammonitis & Moabitis intelligũt, quos Nabuchodonozor in exercitu habebat. Iudæi tamen omnibus gẽtibus ingressum templi prohibitum esse interpretabantur. Vnde Act. cap. 21. clamantes aduersus Paulum dicunt, *Viri Israelitæ, adiuuate: hic est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & gentiles induxit in templum, & violauit locum sanctum istum: Viderant enim Trophimũ Ephesium in ciuitate cum ipso, quem existimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus &c.* D. Thom. citat Leui. 22. vbi cauetur, quòd homo etiam de stirpe Aaron, in quo est macula, non vescatur de sanctificatis Domino: sed exponit gentes, id est,

Isai. 29.

Deut. 23.

Actor. 21.

ſacerdotes gentiliter viuentes. Et verbum (vidit) ad Dominum refert, quod iam reprehendimus. Quod igitur dicitur, De quib. præcepcras, vel intelligitur ſpecialiter de Ammonitis & Moabitis, qui ſimul cum Babyloniis templum ſunt ingreſſi, vel generaliter de omnibus gentibus, iuxta Iudæorum interpretationem. Rabbini autẽ hoc loco deſiderabilia interpretantur propriè, librum legis, quem dicunt Moabitas & Ammonitas in templo quæſiiſſe ad comburendũ: eò quòd in eo prohibitio illa ſcripta eſſet, ne in æternum ingrederẽtur in Eccleſiam Domini. Sed hoc non probatur, cùm contextus addat, omnia deſiderabilia eius. Porro pręceptum datum erat, non gentibus, ne ingrederentur, ſed Iudæis, ne eas admitterent. Et referri poteſt ad præceptum ſcriptum Exod. 23. *Non inibis cum eis fœdus, nec cum dijs eorum. Non habitent in terra tua &c.* càp. 34. *Caue ne vnquã cùm habitatoribus terræ illius iungas amicitias.* Idem Deut. 7. Mittunt etiam hoſtes animæ manum in omnia deſiderabilia & pretioſa eius, ſi per peccatum à Domino receſſerit, eámque ſpoliant omni ornamento, & opibus virtutum: tardéque gemens videt gentes, id eſt, turbam irrationabilem vitiorum & cupiditatum, ingreſſas ſacrariũ quondam ſpiritus ſancti, de quibus præceptum acceperat, ne eas admitteret, aut intrare ſineret, dicente Domino: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia ex ipſo vita procedit.* Prou. 4. &, *Nolite locum dare diabolo.* Epheſ. 4.

Exod. 23.

Exod. 34.

Tropologicè.

Prouerb. 4.

Epheſ. 4.

כ *Omnis populus eius gemẽs, & quæ-*

rens panem, dederũt precioſa quæque pro cibo, ad refocillandam animã: Vide, Domine, & conſidera, quoniam facta ſum vilis.

Plangit peculiariter mala, quę in ipſa obſidione pertulerunt. ¶ *Omnis populus eius.*] Id eſt ciuitatis Hieruſalem. Gemens &, cõiunctio (&) non eſt in Hæbraico, nec in LXX. Paraphraſtes tamen poſuit hoc modo enarrans: Omnis populus Hieruſalem gemẽs præ fame, & quærens panem ad comedendum, dederunt deſiderabilia ſua pro ſubſtentatione ſeu victu panis, ad ſubſtentãdam animam &c. Graui enim fame laborauit Hieruſalẽ in obſidione, tàm ſub Babyloniis, quàm ſub Romanis. Vnde R. don Ioſeph exponit, dederunt deſiderabilia ſua pro cibo, id eſt, filios ſuos occiderunt & comederunt. Quæ tamẽ expoſitio fortaſſe non eſt germana, ſed deſiderabilia, id eſt, aurum, argentum, & alias opes: vt etiam contigit Ægyptiis, qui ſeipſos quoque vendiderũt in ſeruos pro cibo. Vnde 4. Reg. 25. dicitur. *Praualuit fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ:* Idem Hieremias 52. de obſidione autem ſub Tito Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico. cap. 8. narrat tãtam famem inualuiſſe, vt ipſis matribus filiorum deuoratio ſtudio eſſet, ac ea pro re bella cierent inter ſe, multóſque iam mortuos partirentur; vt refert Chryſ homil. 77. ex cap. 24. Matth. id quod & in lege prædictum fuerat Deut. 28. his verbis, *obſideberis intra portas tuas, in omni terra quam da*

Graui fame laborauerant in Hieruſalẽ obſidione.

4. Reg. 25.

Deuoratio filiorum à matribus in obſidione Iudæorum.

Deut. 28.

bit tibi

bit tibi Dominus Deus tuus:& comedes fructum vteri tui, Et carnes filiorum tuorũ, & filiarum tuarum &c. Quòd si diuites, etiam datis rebus pretiosis vix inueniebant parum panis, quo animam, non quidem saturarent, sed refocillarent, & reuocarent spiritus iam penè extinctos, pauperes quid paterentur facile est videre. ¶ *Ad refocillandum animam.*] להשיב נפש ad reducendum, seu ad restituendum, vel reddendum animum, quasi iam abeuntem & deficientem. ¶ *Vide Domine.*] Sic supra, vide, Domine, afflictionem meam. ¶ *Et considera.*] והביטה & aspice, seu respice, subaudi miseriam meam, vt eam subleues. ¶ *Quoniam facta sum vilis.*] Cùm antea essem pretiosa, & honorata, nunc sum vilis & contempta: De vilitate corporali, & seruitute corporum intelligit, à qua per Messiam liberari sperant. Nam animi seruitutem, per infidelitatem contractam agnoscere nolunt, at corporalem etiam multi agnoscunt, imò experiuntur & palpant LXX. Quoniam facta sum ἠτιμωμένη, id est, inhonorata. Hebrai. זוללה Paraphrastes גרגרניתא id est, gulosa, carniuora. Nam hoc etiam signat verbum Hebraicum. Sed ea significatio hîc non quadrat. Anima quoque amissa gratia Dei gemit, & famescit, priuata pane vitæ & intellectus. Et quamuis det quidquid pretiosum sibi reliquum sit, id est, vires corporis, ieiunãdo, & diuitias eleemosynas dando, non potest animam refocillare. Quia quemadmodum corpori mortuo etiam si cibum potúmque infundas, non refocillatur, nec iuuatur, nisi priùs ei vita à creatore restituatur: Sic anima per pecca-

Tropologicè. Anima amissa gratia Dei gemit, & famescit priuata pane.

tum

tum mortua, per nulla bona opera quæ faciat iuuari potest, aut refici, nisi prius ei vita per gratiam à Deo restituatur. Caueat autem ne cum synagoga, vilitatem suam, id est, temporalia damna per peccatum contracta principaliter doleat; sed primum Dei offensionem, & eius gratię amissionem gemat, & imprimis peccatum suum agnoscat, & veniam atque reconciliationem obsecret.

ל *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolór, sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me vt loquutus est Dominus, in die furoris sui.*

Est nonnulla consolatio, quòd alij cognoscant magnitudinem doloris, quem patimur. Sic enim magis commouetur commiseratio, & quodammodo leuatur acerbitas doloris. Idcirco hortatur omnes synagoga, vt doloris sui magnitudinem considerent & animaduertant. Hebraicè est לוא אליכם כל עוברי דרך id est, non ad vos seu vobis, omnes transeuntes viam, quasi dicat, non vobis accidat quod mihi: Videns enim synogoga, vel eius nomine Propheta, neminem ad se venire consolatorem, vt olim vltro venerunt amici Iob ad eum consolandum, nec dolorem suum ferre valens, quasi vel oblitos, vel negligentes excitat ad suum angorem contemplandum, more pauperum mendicorum, qui in via sedentes plagas, & vlcera sua ostentant & decantant, vt miserationem moueant, & opem concilient à transeuntibus & quo ipsorum beneuolentiam

mereantur,mala ſua ab eis auerti deprecatur, dicẽs : Faxit Deus,ne in tam grauia mala vnquã incidatis:obſecro accedite,& propius intuemini ac conſiderate dolorem meum. Primùm enim gratiam Dei mei perdidi : deinde filios meos, id eſt, ciues meos,alios morte,alios fame & peſte, alios exilio & ſeruitute:Poſtremò terram ipſam,quam veluti dotalem optimam acceperam , relinquere cogor , & in alienam exul & captiua commigrare. LXX.habent οἱ πρὸς ὑμᾶς,id eſt,hei ad vos,ſubaudi clamo.Fortè ſcripſerant οὐ πρὸς ὑμᾶς , id eſt, non ad vos. Quanquam nec Paraphraſtes negationẽ expreſſit. Habet enim:Adiuro vos omnes qui tranſitis per viam , diuertite , ſeu declinate huc,contemplamini,& videte,an ſit dolor vt dolor meus , qui inflictus eſt mihi , quo confregit Dominus me in die duræ iræ ſuæ. ¶ *Quoniam vindemiauit me.*] Auferendo à me filios meos fame,peſte, gladio, & exilio : quo modo in vindemia auferũtur botri atque racemi de vinea.Quæ metaphora frequens eſt in ſcripturis Hebraicis אשר עולל לי id eſt , qui factus eſt mihi, ſeu, qui creatus eſt mihi. Quomodo Cicero dicit creare periculum alicui, & alibi, ne patribus cædes periculáque creentur. ¶ *Vt loquutus eſt Dominus.*] Multis enim locis ſcripturarum inuenimus Hieruſalem , & populum Iudaicum fuiſſe præmonitum , ne huiuſmodi plagam & furorem Domini incurreret. In lege per Moſen Deut.28.& Leuit. 26.& in Prophetis paſſim. Heb. אשר הוגה יהוה id eſt,quem inflixit Dominus,vel,quo affecit me Dominus. De hoc verbo ſupra diximus ad ver-

ſum,

Ira furoris Dei dicitur rigida eius & immisericors vltio. Iacob. 2.

ſum, facti ſunt hoſtes eius in capite, pagina 27. ¶ *In die iræ furoris ſui.*] Referendum ad verbum Vindemiauit. Ira autem furoris Dei dicitur rigida eius & immiſericors vltio, iuxta illud Iacobi 2. *Iudicium,* id eſt, damnatio *ſinè miſericordia, illi qui non facit miſericordiam.* Huiuſmodi enim nomina cùm de Deo dicuntur, nullam ſignificant perturbationem: ſed puram ipſius operationem. Vnde Aug. contra aduerſarium legis & Prophetarum lib. 1. cap. 20. ait. Pœnitentia Dei, non eſt poſt errorem: Ira Dei, non habet perturbati animi ardorem. Miſericordia Dei, non habet compatientis miſerum cor: vnde in Latina lingua nomen accepit: Zelus Dei, non habet mentis liuorem: ſed pœnitentia Dei dicitur, verùm in eius poteſtate conſtitutarum hominibus inopinata mutatio: Ira Dei, eſt vindicta peccati. Miſericordia Dei, eſt bonitas opitulantis. Zelus Dei, eſt prouidentia, qua non ſinit eos quos ſubditos habet impunè amare quod prohibet. Hæc Auguſtinus. Docentur autem fideles vt ſe inuicem in ſuis laboribus & doloribus conſolentur, & aliorum miſerias & penurias, per charitatis communionem, ſuas reputent, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. ad Rom. 12. *Vnum enim corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Ibidem. Quinetiam miſeræ ſynagogæ condoleamus, eundem Paulum imitantes dicentem ad Rom. 9. *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis, qui*

ſunt cognati mei ſecundũ carnẽ, qui ſunt Iſraelitæ, &c. & cap. 11. *Vobis dico gentibus, quandiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo; ſi quomodo ad æmulationem prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis, &c.*

ם *De excelſo miſit ignem in oßibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum, poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam.*

Pergit ſynagoga in exponendo tranſeuntibus per viam dolorem ſuum. De cœlo, inquit, id eſt, de ſupremo illo iudicij ſui conſiſtorio, quaſi dicat, Per irrefragabilem ſententiam miſit ignem in oſſibus meis. Veluti cùm ardentiſſima febris oſſa conſumit & accîdit. Et eſt ſenſus, Miſit hoſtem validiſſimum in ciuitates meas, firmiſſimis munitionibus murorum arciúmque communitas: quibus tamẽ ei reſiſtere non potui, quoniam firmamenta, & munitiones meæ de terra, & in terra erant. Ignis autem ad ea euertenda, & conſumẽda de excelſo, id eſt, de cœlo, hoc eſt, à Deo miſſus eſt. Item in oſſibus, id eſt, in conſilia mea, & fœdera cum alienigenis, & in milites, & conſiliarios, & potentes: denique in omnes vires & opes meas. ¶ *Et erudiuit me.*] Id eſt, caſtigauit & flagellauit. Heb. וירדנה id eſt, & confregit illud, nimirum, vnumquodque oſſium, id eſt, ſingula oſſa. Nam non ſunt captæ ſimul vniuerſæ

ciuitatis Iudę, ſed ſingulatim, & Vltima Hieruſalem. Ideò autem non ſubiunxit, Et combuſsit, vt indicaret, ſe igne hoſtem intelligere, id eſt, Nabuchodonozor, & Titum. R. Selomo exponit, vt diximus, id eſt, & confregit וישבר Item aliter exponit, & euacuauit illud, id eſt, Vnumquodque oſsium, id eſt, abſtulit & exuxit medullam eorum quomodo euacuatur melle fauus cùm manibus capitur & exprimitur. Sic nimirum hoſtes euacuauerunt, iubẽte Domino, medullas oſsium ſynagogæ, id eſt, opes & vires, & ornamenta & munimẽta eius. R. Dauid exponit, Et dominatus eſt ei. Nempe ignis in oſſa immiſſus, præualuit & dominatus eſt vnicuique eorum, exugens & areſaciens eà. ¶ *Expandi rete pedibus meis.*] id eſt, permiſit expandi: vocat autem rete deceptionem falſorum Prophetarum, quæ populo fuit cauſa ruinæ. Sic Lyra vel iuxta D. Th. rete, id eſt, impedimentum, quo à peccato me retraxit, iuxta illud Oſeæ. 2. *Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet.* Sed id non videtur conuenire huic loco. Non enim beneficia Dei in ſe collata lamentatur, ſed plagas inflictas: quamuis etiam plagæ alio modo inter beneficia numerari poſsint. Eſt ergo ſenſus, iuxta R. Don Ioſeph. Eos qui reliqui erant à gladio hoſtili, poterántque effugere vel mortem, vel captiuitatem videtur veluti reti de cœlo expanſo inhibuiſſe, ac retro conuertiſſe, ita vt in gladium reciderent, quem fugère conabantur &c. Rete igitur intelligit exercitum Chaldæorum atque Romanorum, qui Iudæos intra ciuitatem obſidione, tanquam

Oſea. 2.

reti,

reti,cinxerunt, vt abire non possent & effugere: & ideò rete pedibus accommodauit,quia vt aues effugiũt alis,sic homines pedibus.Sic Ezech.12. *Ezech.12.* *extendam rete meum super eum*,id est,super Regem Iudæorum Sedechiam. *Et capietur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem &c.* Concedente quippe Domino à Babyloniis captus est, vt ibi exponit.D.Hier.sic etiam cap. 19. de captiuitate *Ezech.19.* Ioachim, ait:*Conuenerũt aduersus eum gentes,& expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est &c.* Vbi Ioachim fero leoni,& homicidæ comparatur: qui tamen tandem ipse quoque capitur.Et consimiliter de Rege Ægypti ait cap. 32. *Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum,& extraham te in sagena mea &c.* *Ezech.32.* Et Oseæ cap. 7. *Factus est Ephraim quasi columba* *Osea.7.* *seducta,non habens cor.Expãdam super eos rete meum: quasi volucrem cœli detraham eos &c.* ¶ *Conuertit me retrorsum.*] השיבני אחור Redire me fecit retro, id est, fecit vt terga verterem inimicis meis, & fugere tentarem,cùm non possem iam resistere. Sedechias enim Rex noctu clam voluit aufugere,sed à Chaldæis captus est,& ad Regem Babylonis vinctus adductus.4.Reg.25.vel,conuer- *4.Reg.25.* tit me retrorsum,id est, deposuit me à mea antiqua dignitate, & gloria,ex libera seruam faciens. ¶ *Posuit me desolatam.*] id est, effecit, hoc est,redegit me in solitudinem, cùm antea essem ciuitas plena populo.Heb. נתנני שוממה LXX. ἔδωκέ με Κύριος ἠφανισμένην. dedit me Dominus deletã id est,deleuit me. Verbum dare & ponere in hu- *Dare & ponere pro facere Hebraismus.* iusmodi loquutionibus signat facere, vt Psal.27.

Isai. 3. *Da illis secundum opera eorum.* Isaiæ 3. *Dabo pueros*
Ioel. 2. *principes eorum.* Ioel. 2. *Dabo prodigia in cœlo:* con-
Gene 4. similiter verbum ponendi, pro faciendi. Gen. 4.
Posuit Dominus in Caim, vel Caino, signum, id est, fe-
Psal. 77. cit ei miraculum, quò crederet. Sic Psal. 77. *Posuit in Ægypto signa sua,* id est, fecit miracula sua. &
Isai. 5. Isai. 5. *Ponam eam desertam.* Et sæpe alibi: sic in præsenti, posuit me desolatam, id est, fecit me desertam, desolauit & deleuit me. ¶ *Tota die mœrore confectam.*] כל היום דוה Quasi dicat, non solùm me grauissimè afflixit & castigauit, sed etiam sinè vlla consolatione me reliquit: Nullam consolationem post flagella adhibuit. Quod signum est maximæ iræ & furoris implacabilis. Id quod maximè conuenit huic posteriori Iudæorum captiuitati. Vnde ait, tota die, id est, iugiter & perpetuò. Peruenit enim in illos ira Dei vsque in finé, id est, vsq; ad cõsummationé sęculi. 1. Thess. 2.
1. Thessal. 2. *Intelligat etiam quæcunque anima fidelis, cùm ignem in ossibus suis senserit,* id est, (afflictionem) *vnde ignis ille sit immissus,* id est, (de excelso) *& ideo ne murmuret, sed gratias agat cum beato Iob, qui non Satan flagellantem attendebat, sed Dominum iubentem:* Ideóque dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Et quidem sic se gerebat Iob in flagellis suis, vir simplex, & rectus, & timens Deum: quanto iustius est nos patienter, & cum Domini flagellãtis laudationibus flagella nostra tolerare, qui viri simplices non sumus, neque recti, neque reuerentes Deum?

Tropologicè de igne in ossib. immisso anima cõlitus.

3 *Vigilauit iugum iniquitatum mea-*

rum in manu eius, conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo, infirmata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manũ, de qua non potero ſurgere.

Adhuc pergit in enarratione afflictionis ſuæ. ¶ *Iugum*, inquit, *iniquitatum mearum.*] Id eſt, compoſitum, & conſtructum ex iniquitatibus meis. *Iniquitates*, enim, *ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Prouerb. 5. *& væ qui trahitis iniquitatẽ in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri, peccatum.* Iſai. 5. Id eſt, quemadmodum trahitur plauſtrum onuſtum funibus & corrigiis, quibus alligatur, ſic impij attrahunt ad ſe peccatum, maxima vi, & conatu. Sed eorum funes ſunt alioqui funes vani, & fallaces. Ipſa tractio ſeu attractio eſt vſus & conſuetudo compotationum, & deliciarum, quæ trahunt & adducunt, ſeu adigunt hominẽ ad varias, & multas iniquitates, ad impudicitiam, ad rapinam & furta; ad homicidia. Porro impij vltro & ſponte ſua, attrahunt ad ſe iniquitatem, aſsiduè deliciis & conuiuiis operam dando. Funis autem hoc loco dicitur עבות qui propriè eſt ex trib. funiculis contextus. Vnde eleganter dicunt veteres Rabbini ad hunc locũ Iſaiæ, Concupiſcentia initio eſt veluti filum tenuiſsimum capilli, ſed niſi ſtatim pręſcindatur, tandem fit funis plauſtri. Sic igitur in præſenti querela gemit ſynagoga iugum ſuarum iniquitatum, id eſt, ſuas iniquitates, veluti in vnum iugum compactas & colligatas: itémque iugum,

Prouerb. 5.

Iſai. 5.

iniquitatum suarum, id est, iugum captiuitatis, quod meruerant, iniquitates eius vigilasse in manu Domini, id est, seuerissimè sibi, & collo suo à Domino fuisse impositum, quasi dicat, Adeo vigilanter se gessit in me castigãda, vt ne minimam quidem iniquitatum mearũ præterierit, aut dissimulauerit, quam iugo meo non adiunxerit. Id
Sopho.1. quod alia similitudine declaratur. Sopho. 1. cap. *Scrutabor Hierusalem in lucernis*: vnde & Dominus ait, etiam de omni verbo ocioso reddendam esse
Matth. 12. rationem in die iudicij. Matth. 12. & reddendum
Matth. 5. esse etiam nouissimum quadrantem. Matth. 5. Hebraicè est נשקד על פשעי id est, punctis notatum est, quasi dicat, Punctatim, seu per puncta obseruatæ & notatæ sunt iniquitates meæ manu Domini, ob memoriam, vt ne in obliuionem veniret numerus & punitio earum, sic R. Selomo, ductus ea ratione: quod Syrorum lingua stimulus, quo boues punguntur, vocetur משקדאי à verbo שקד quod est stimulare & pungere. R. Dauid iuxta loci congruentiam, quoniam alibi in Sacris literis non inuenitur, exponendum esse, colligatum est seu compositum & coniunctum est iugum iniquitatũ mearum. Paraphrastes habet אתיקר id est, aggrauatũ est. Porro שקד cum iamin, signãt vigilare, nec habet vsum in niphal. Quamque R. Don Ioseph etiam vigilare, seu festinare exponit, citans illud Dan. cap. 9. *Et vigilauit, seu accelerauit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos: iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit: non enim audiuimus vocem eius &c.* Legebat נשקד cum iamin, vt etiam

est in

eſt in codice,quo vtor.LXX.pro עֹל id eſt, iugo, legentes עַל ſuper reddiderunt, vigilauit ſuper iniquitates meas. ¶ *In manu eius.*] In manu peccantium dormiunt iniquitates: quoniam eas in ſe non puniunt, ſed vigilant in manu Dei, quia negligentes & pœnitentiam ſponte agere nolentes,ipſe flagellat. Si autem legatur punctatũ eſt, vel colligatum eſt, tunc præpoſitio(in)abundat, more Hebraico.Solent enim eam adhibere ablatiuis inſtrumentalibus. Vt Exod.6. *Per manũ fortem demittet eos,& in manu robuſta eijciet illos*,id eſt, per manum robuſtam.Vbi in Hebraico etiam illud,per manum fortem, ſcribitur, in manu forti. ¶ *Conuolutæ ſunt.*] Id eſt, complicatæ & contortæ:quomodo ex multis funibus,ſeu funiculis cõplicatur & componitur rudẽs, aut funis magnus LXX.συνεπλάκησαν,id eſt,complicatæ ſunt.Et conuenit cum illa expoſitione,colligatum eſt iugum &c.Hebr. ישתרגו id eſt,iuxta R.Selomo, multis intricationibus intricatæ ſunt,vel multis perplexionibus implicatæ: quomodo faciunt ſericarij, dum ſingula,funes,aut veſtes intexunt.Et fortè à verbo Hebraico שרג quod eſt intexere,dicimus Luſitanè *Sirgueiros*, qui ex ſerico intexunt, & opus faciũt. Paraphraſtes quoq; אתבשו כשיבשין דגופנא id eſt, complicatæ ſunt vt rami ſeu flagella vitis.Vel,in ramos,& flagella germinauerũt inſtar vitis.Iniquitates igitur meæ cõuolutę ſunt, & contextæ & complicatæ: primùm quidem à me eas faciente, & alias aliis copulante, cùm eſſem immemor illius monitionis, Eccleſ.5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adijcias*

In aliquãdo apud Hebraos abundat.
Exod.6.

Sirgueiros *Luſitanè.*

Eccleſ.7.

peccatum super peccatum. Et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit illius ira, &c. Et cap. 7.
Eccles. 7. *Ne alliges duplicia peccata: nec enim in vno eris immunis.* Deinde conuolutæ sunt à Deo, id est, omnes connumeratæ & compositæ, vt iuxta mensuram numerúmque delictorum, sit & plagarum
Deut. 25. modus. Deut. 25. ¶ *Et impositæ collo meo.*] Iniquitates meæ in funem contextæ, impositæ sunt collo meo, pręclarum, scilicet, monile & torques, mearum virtutum index, & insigne. Hebraic. עלו על צוארי Ascenderunt super ceruicē meam. Quomodo sæpe malæ plantæ exarescunt super
Matth. 13. bonas, & eas suffocant. Matth. 13. *Creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea:* nimirum bona semina. Sic
Psal. 37. Psal. 37. כי עונתי עברו ראשי כמשא כבד יכבדו ממני id est, *quoniam iniquitates meæ transierunt caput meum*, id est, supra caput ascenderūt sicut onus graue aggrauatæ sunt super me, id est, supra vires meas, vt iam tantum pondus ferre non possim. Vnde etiam hîc subiungit. ¶ *Infirmata est virtus mea.*] Id est, vires meæ ad ferendum & portandum iugum, & onus iniquitatum mearum, debilitatæ & infirmæ factæ sunt. Et eo ipso maximè grauatur hoc onus, quod etiam ab infirmis & lassis, & penè defectis ferendū & portandum est. Hebr. actio Deo tribuitur, hoc modo. הכשיל כחי Infirmauit seu debilitauit, seu deiecit, & cadere fecit vires meas, vigorem meum, robur meum, seu vim, virtutem & fortitudinem meam: virtus & fortitudo nostra est gratia, & fauor

Dei.

Dei. Quæ Deus aufert peccantibus & ipſum offendentibus.Quamobrem virtute,& fortitudine deſtituti neceſſariò infirmi atque debiles, euadunt, non ſolùm ad reſiſtendnm aliorum peccatorum tentationibus, quibus certè ſinè Dei gratia,reſiſtere non poſſunt, ſed abyſſo abyſſum inuocante, ex vno in aliud continuè prolabuntur: ſed etiam ad feréda ea ipſa mala & ſupplicia,quæ pro commiſsis meritò patiuntur.Hinc fit,vt queruli ſint etiam contra Deum, atque blaſphement, crudelem vocantes, & plus æquo ſæuientem. Atque hoc non ſolùm iam in inferno donati,ſed etiam dum in hac vita viuentes. At contra iuſti,& habentes gratiam Dei,cùm maiora interdum etiam quàm impij flagella & ſupplicia patiantur, fortes ad ea ferenda ſunt, nec ſolùm non murmurant,aut blaſphemant,ſed etiam benedicunt & gratias agunt:vt ſanctus Iob. Aliter etiam virtus dicitur vigor quidam mentis, & alacritas ac conſolatio interior,quam Dominus aufert interdum etiam iuſtis,& gratiam ſuam habentibus, ad ipſorum exercitium & probationem,& meritorum incrementum. Quomodo etiam intelligi in Domino ſaluatorem poteſt illud Pſal.21. *Aruit tanquam teſta virtus mea*. Propterea quòd omni interna conſolatione in ſua paſsione deſtitutus eſt, vt acerbius pateretur. Nec obſtat quòd ipſe ſe lignum viride etiam in paſsione appellauit, dicens: *Si in viridi ligno hæc faciunt,&c.* Erat enim vel in ipſa paſsione lignum viride, id eſt, Arbor viridis, & virens, propter vigorem charitatis, qua patiebatur, & vberrimum tunc fructum fe-

Pſal. 21.

Erat Christus lignum viride seu arbor quomodo viridu, aridus vt testa quo modo.

rebat. Erat nihilominus aridus vt testa, cuius omnis humor igne excoquitur: quia in ipsa fornace passionis eius consolatio omnis interior animæ ipsius subtracta est: quãtóque aridior erat vt testa, tantò viridior item erat vt lignum, & vt arbor. Nam & testa arida prodest, mollis non prodest: contra, lignum aridum non prodest, neque fructum fert, sed virens. Porro vtraque virtute defecta est misera synagoga, id est, & gratia, atque fauore Dei, & interna omni consolatione. Ideóque gemit dicens, infirmauit virtutẽ meam, id est, vires meas in infirmitatem conuertit, & ex valida, infirmam reddidit: imo ex stante, iacentem fecit, gratiam subtrahendo, & consolationem. ¶ *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.*] id est, æterna me damnauit captiuitate. Atque hoc maximè conuenit huic posteriori sub Romanis, quę vsque ad finem sæculi duratura est: neque vnquam ab ea poterunt surgere, aut liberari. Sed qui ad Christi regnum, id est, ad Ecclesiam eius catholicam se conuerterint, ab æternæ damnationis futuri sæculi captiuitate liberabuntur: & ad cæleste regnum transferentur. Nam, quantum arbitror, quamuis nunc omnes Iudæi publico consensu peccatum suum confiterentur, & veniam impetrarent, non tamen regnum illud terrenum in Hierusalem terrena recuperarent, sed cæleste, quod incomparabiliter præstantius est. Cùm enim nullus iam futurus sit Rex Iudęorum, nisi Christus, vt ipsi etiam credunt & expectant: Christum autem in Hierusalem terrena aliquãdo regnaturum esse dicere, impium sit: nec

Iudæi etiãsi cõuerterẽtur nõ adipiscerẽtur Hierusalem terrenam.

enim è cælo descendit iam, nisi vt mundum iudicet, & electos suos in cælum inferat, constat regnum illud terrenum Iudæorum iam prorsus omnino finitum esse. Promissiones autem prophetarum de Hierusalem restituenda, & regno recuperando per Messiam, spiritualiter, & non carnaliter intelligendæ sunt in Ecclesia, & in regno cælorum. Admonetur autem anima fidelis, ne sibi ipsa iugum construat, peccata peccatis cumulando, funémque intexat quo vinciatur: Neque Dominum dormire putet, dum statim non vlciscitur. Est enim patiens redditur. Eccles. 5. Et quamuis vindictam differat, pœnitentiam expectando, non tamen eam auferet, si pœnitentiam non egeris. Vbi igitur per fragilitatem, vel tenuissimum peccati filum feceris, statim abrumpe per confessionem & pœnitētiam, coram Sacerdote, facilius enim abrumpitur tenue filum, quàm crassissimum rudens. Quod si non feceris, debilitabit virtutem tuam, vt quotidie in peius ruas, tandémque incidas in manus diaboli, & æterni carceris, vnde non exeas quousque reddas etiam nouissimum quadrantem. Quod tamē nunquam etiam reddes; quamuis pro peccatis etiam leuissimis pœnam patiaris. Nulla enim pœnitentia sinè Dei gratia, & charitate apud eum satisfacit.

Regnū terrenum Iudæorū omnino finitum. Promissiones prophetarū de Hierusalē restituenda spiritualiter intelligenda.

Tropologicè de non cumulādo peccatū & non abutēdo patientia Dei. Eccles. 5.

ᴰ *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei, ᵉvocauit aduersùm me tēpus, ᶠvt cōtereret electos meos: Torcular calcauit Dominus ᵍvirgini filiæ Iuda.*

Etiam

Etiam hoc pertinet ad enarrationem afflictionis & doloris ſui. ¶ *Abſtulit.*] Per mortem alios, alios per exilium. Heb. סלה id eſt, calcauit, proculcauit, ſeu conculcauit: iuxta R. Selo. R. Dauid, & Rabbi Don Ioſeph. Paraphraſtes כנש id eſt, congregauit, hoc eſt, occidit, vt Oſeæ 4. *Piſces maris congregabuntur,* id eſt, morientur. Et Hier. 8. *Congregans congregabo eos.* Id eſt, conſumam, & perdam. ¶ *Omnes magnificos meos.*] כל אבירי Abbir propiè eſt fortis & robuſtus, iuxta R. Dauid, & Paraphraſtem, qui habet תקיפי Sic etiã LXX. τὺς ἰσχυρὺς μυ. Intelliguntur autem omnes ex quibus præcipuè pendebat robur populi, id eſt, milites, diuites, Principes, prudentes, &c. omnes enim qui videbãtur eſſe alicuius nominis & induſtriæ, tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ Chaldæorum: tantùm reliquit paucos quoſdam ruſticos ad colendas vineas. Hierem. 52. ¶ *Dominus.*] אדני hoc loco non eſt nomen tetragrammaton, quod ſolet miſericordiæ accommodari, ſed quod propriè Dominum ſignificat, vt intelligas ſeruos puniri. ¶ *De medio mei.*] Heb. בקרבי id eſt, in medio mei. Quoniam Hebræi, vt diximus, legunt, calcauit fortes meos in medio mei, id eſt, in ipſomet natali ſolo, nam præter eos, qui in exilium acti ſunt, multi intra muros & terminos Iudææ occubuerunt: & proculcati ſunt. ¶ *Vocauit aduersùm me tempus.*] Id eſt, tempus vltionis mihi induxit. Heb. קרא עלי מועד id eſt, vocauit contra me cœtum ſeu congregationem, iuxta Rabb. Selom. id eſt, exercitum Babylonium & Romanum. Verba R. Selomo ſunt יעידת גייסות

Oſeæ 4.
Hierem. 8.

לבא עלי congregationem exercituum, ad veniendum contra me. Sic R. Don Ioſeph: dicens, Congregauit exercitus ad veniendum ad diem tēporis ſtatuti, ad deſtruendū, & occidendū, &c. coniunxit vtrumque ſignificatum. Nam מועד ſignificat tempus certum & ſtatutum ad aliquid agendum, & cœtum, ſeu concionem ipſam hominum ad aliquid agendum, conuenientium. Erat autem in mente diuina conſtitutum tempus deſolationis, & interemptionis Iudeę & Hieruſalem: quod tempus nūc Dominus dicitur vocaſſe, id eſt, adduxiſſe, ſeu præcepiſſe vt veniret, incitando Chaldæos vel Romanos contra Iudæos: Paraphraſtes habet ארע זמן עלי occurrit, ſeu euenit tempus contra me. Nam קרא etiā eſt occurrere & euenire. ¶ *Vt contereret electos meos.* Hebræi legunt, Iuuenes ſeu adoleſcentes meos. Vnde Paraphraſtes habet לתבירא חיל עולמי ad conterendum exercitum iuuenum meorum, ſed idem eſt ſenſus. Nam iuuentus propriè eligitur ad bellum. ¶ *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.*] id eſt, calcauit Iudæam & Hieruſalem, ſeu calcauit Iudæos, & protriuit in Iudæa & Hieruſalem, effundens ſanguinem eorum: quomodo calcantur vuæ in torculari, & effunditur muſtum earum. Mos autem ſcripturarum eſt, quemuis populum virginem vocare & filiam. Quoniam comparatur tota reſpub. vni mulieri, & ſiquidem fuerit reſpublica bona, erit filia ſapiens, & virgo prudens: ſin mala, inter inſipientes filias, & imprudentes virgines numerabitur. Et hoc etiam loco Dominus nomen eſt dominij,

Populus virgo appellatur in ſcripturis, & filia. Et tota Reſpub. mulier.

non

non misericordię, vt in hac proferenda sententia, iudex intelligatur magis quàm pater. Consimiliter supra, vbi dicitur, dedit me Dominus in manu, ex qua non potero surgere. Itaque ter positum est nomen proprium Domini אדני vt intelligas decretum ineffabilis Triados. Aufert etiam Dominus, & calcat magnificos vniuscuiusque animæ peccatricis, cùm & vires corporis debilitat, & oculos mentis excæcat, & tandem in inferorum torculari cóculcat, vt penitus vacuus omni dulcedine, relinquatur miser peccator & omni consolatione destitutus, tanquam arida & exusta vinacia in sterquilinium proiecta, vel in porcorum pabulum.

Tropologicè, cùm vires corporis debilitãtur ob peccatũ, &c.

ע *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator, cõuertens animam meam: facti sunt filij mei perditi: quoniam inualuit inimicus.*

Concludit rationem ploratus & lamenti sui. Idcirco אל אלה id est, propter hæc mala quæ patior, ego meritò ploro: quia aliam leuationem malorum non inuenio. ¶ *Et oculus meus.*] Heb. sinè coniunctione bis dicitur, oculus meus, oculus meus. Deducens, id est, demittens, descendere faciens per genas aquas, id est, lachrymas. Et significatur illa repetitione assiduitas fletus, vt suprà cùm dicebatur, & lachrymæ eius in maxillis eius. ¶ *Quia longè factus est à me.*] id est, longè

recessit à me, non loco, sed effectu. Consolator, id est, qui me consoletur, quasi dicat, Id quod me maximè angit in laboribus meis, est, quòd me desolatam atque desertam video, nec est qui vicem meam doleat,& vel verbo dolorem meum leniat. Meritò autē hoc patitur synagoga,quippe quæ ad similem angorem filium Dei,dominúmque suum impulerit sua crudelitate. Consolatorem D. Thom. exponit Ægyptium,quia in Rege Ægypti spem habebant Iudæi suæ liberationis. Vnde Hierem. 2. *Et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Nam & ab ista egredieris,& manus tuæ erunt super caput tuum: quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum, &c.* Vnde etiam supra non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius,Lyra consolatorem intelligit ipsum Deum: quod magis placet. Sic etiam Dionysius, & Paschasius: Dominus enim verus est consolator mœrentium: quia solus potest ab omni miseria liberare. ¶ *Conuertens animam meam.*] Id est, refocillans, vt supra,idem verbum vertit. Et est periphrasis consolatoris,& epexegesis Hebræis familiaris,qua gaudent eandem rem aliis verbis repetere. Consolatorem tamē se Dominus fore promittit eorum, qui Christum receperint,id est, Dominum Iesum. Isa. 51. ¶ *Facti sunt filij mei perditi.*] שוממים id est, destructi,occisi. LXX. ἠφανισμένοι, id est, deleti. Et quidem crassa synagoga & carnalis, corporalem filiorum, id est, ciuium suorum mortem, interitúmque, vel captiuitatem deplorat, cùm incomparabiliter sit miserior spiritualis, quàm per infi-

Hierem. 2.

Isai. 51.

delitatem incurrunt. Sed hanc nec vident, nec videre, & agnoſcere volunt: illam etiam inuiti ſentiunt,& experiuntur. ¶ *Quoniam inualuit inimicus.*] Id eſt, Babylonius aut Romanus exercitus, Domino eis præbente vires, Iudæis autem adimente. Peccator quoque lauet per ſingulas noctes lectum ſuum, non temporalium rerum damna deplorans, ſed æternarum: imprimíſque quòd Deum ſuum offenderit, ſuper omnia diligendum. Quod vbi fecerit,conſolator ſtatim reuertetur, atque dicet, Remittuntur tibi peccata tua, filiíque perditi per peccatum, reſtituentur per pœnitentiam: & inimicus qui præualebat, iterum conculcabitur.

Tropologicè pænitētia peccatoru.

ב *Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam, mandauit Dominus aduerſum Iacob in circuitu eius hoſtes eius: facta eſt Hieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos.*

Propheta alternando, nunc ex perſona ſua loquitur, quaſi narrator malorum & miſeriarum: nunc ſynagoga ipſam loquentem inducit. ¶ *Expandit Sion*, id eſt, *Hieruſalem manus ſuas.*] Geſtum mulieris in dolore & langore poſitę exprimit:ſolent enim manus nunc expandere,nunc ſupra caput, nunc ſupra pectus complicare. Vt Hierem.2. *Et manus tuæ erunt ſuper caput tuum.* Sic Tamar à fratre compreſſa exiuit, impoſitis manibus ſuper caput ſuum,clamans. 2.Reg.13.R.Dauid exponit, diſcidit, ſeu ſecuit, manibus ſuis:

Geſtus mulieru plorātis ex manuum ſitu.

Hierem.2.

2.Reg.13.

ſolent

ſolent enim vnguibus faciẽ lacerare in luctu. Sic exponit etiam Hierem.4. Vbi Hieron. expandentéſque manus ſuas. Eius autem pater exponit, fregit Sion manibus ſuis: ſubaudi panem ſibi. Quoniam non erat conſolator qui hoc officium ei præſtaret, vt ſolebant facere lugentibus Hieremiæ 16. vbi eſt idem verbum Hebraicũ, quòd hîc vertit expandere, ibi autem, frangere panem. ¶ *Non eſt qui conſoletur eam.*] Quamtumuis clamitet, & eiulet: Hoc malum ſæpius repetit, tanquam maximum. ¶ *Mandauit Dominus.*] Quaſi dicat, Quis enim poſſit conſolari eam, quam Dominus vult opprimi, & deſolari? Præcepit enim Dominus vt ab inimicis circumdaretur, & in medio eorum eſſet: non ſolùm in Iudæa, ſed etiam in exilio: vt adnotat R. Selomo. Nam, (inquit) tam in Babylonia, quàm apud Aſſyrios, habitare iuſſi ſunt, inter Ammonitas & Moabitas, infenſiſsimos hoſtes ſuos, à quibus quotidie contumelias & iniurias patiebãtur. Quos tamen Iſrael, ſeu Iuda, aliquando ſubditos & tributarios habuerat. ¶ *Facta eſt Hieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos.*] id eſt, facta eſt abominabilis, & fœda, atque turpis habita eſt inter inimicos ſuos, tanquam mulier menſtruata, de qua ſupra diximus ad illud verbum, ſordes eius, in pedibus eius, ſic etiam de eadem Dominus Ezechiel 36. Iuxta immunditiam menſtruata facta eſt via eorum coram me, id eſt, Mores eorum facti ſunt mihi abominabiles. Vnde Iſa. ait, cap. 64. *Facti ſumus vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ, omnes iuſtitiæ noſtræ.* Hoc loco D. Hieron. ad-

Hierem. 4. Lugentibus panem frangebant. Hierem. 16.

Ezech. 36.

Iſai. 64.

Accessus ad uxorē menstruatam nō peccatum. Tropologicè. Peccator castiget, & quo modo, peccatum suum.

monet coniuges, ne tempore mēstruorum commisceantur. Id tamen non probāt esse prorsus illicitum testimonia quæ adducit. Peccator autem manus quoque expandat, vel etiam corpus & carnem suam castiget, & lancinet, peccati ministram, per illecebras, & pellectricem: videns se culpa sua Dominica consolatione priuatum; Et intelligat, atque agnoscat à Domino sibi pœnam imponi, vt ab hostibus affligatur, & contemnatur. Et incipiat se ipse vltro castigare, & veniam postulare: vt quæ mala tolerat, ei proficiant ad meritum & salutem.

ʒ *Iustus est Dominus: quia os eius ad iracundiam prouocauit. Audite, obsecro, vniuersi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.*

Rursus introducitur synagoga peccatum suum confitens & agnoscens, ac Dei vindicantis, iustitiam commendans. Quod tamen non verè facit synagoga, sed fictè. Voce enim sæpe peccatricem confitetur. Sed cùm ei dicitur, cur non credis in Dominum Iesum Christum, quem patres tui per inuidiam, & immane scelus crucifixerunt? Respondet, Imo verò iustissimè crucifixus est seductor ille. Hoccine est cōfiteri iustum Dominum, tam diuturno exilio punientem, ac non potius nouum scelus infidelitatis priori impietati adiungere? Nos igitur pro synagoga verè dica-

mus: iuſtus eſt Dominus, eam ventilans in omnem ventum, & extorrem faciens vſque ad conſummationem ſæculi, imo verò etiam æterna gehennæ damnatione eam damnans. ¶ *Quia os eius ad iracundiam prouocauit.*] Id eſt, quia præceptis eius non obediendo nec faciendo quæ per Prophetas, qui de ore eius loquuntur, & eius os dicuntur, mandauerat, iram eius, & vltionem aduerſum ſe excitauit. Deus enim ſponte ſua & ſuopte ingenio clemens eſt & benignus: ad puniendum non mouetur, niſi peccatum commiſeris. Os Domini ad iracundiam prouocare, eſt contrarium agere eius quod præceperit. Ex quo iuſta eius inſurgit ira. Vnde Paraphraſtes habet, quia ſermonem eius tranſgreſſa ſum. Quòd etiam dicitur exaſperare os Domini. 1.Reg.12. Et exacerbare eloquia Dei. Pſal. 106. Membra autem humana cùm Deo attribuuntur, vt os, oculi, aures, &c. non corpus, ſed ſolam efficaciam, vel efficientiam aut efficiendi vim ſpiritualem, atque puriſsimam in eo ſignificant. Quoniam enim ore præcipimus, ipſum Dei præceptum os vocatur. Quoniã oculis cernimus, ipſa Dei cognitio omnia penetrãs, & comprehendens, oculi vocantur. Similiter autẽ & fauor, quoniã oculis fauemus. Et ita in cæteris. Vnde etiam irrationabiliũ animalium membra ei tribuuntur, vt alæ pennæ, &c. Vnde Auguſt. in Pſal. 9. ad illa verba. *Præparationem cordis eorum exaudiuit auris tua*, ait: Aurem Dei non membrum corporeum, ſed potentiam eſſe, qua exaudit, regulariter debemus accipere. Atque ita quibuſque nominatis membris eius, quæ in

Os Domini ad iracundiã prouocare quid ſit.

Exaſperare os Domini. 1.Reg.12. Exacerbare eloquia Dei. Pſal.106.

Præceptũ os quare vocatur.

Oculus fauor quare dictus.

Quomodo mẽbra humana Deo tributa, & quare.

nobis viſibilia & corporea ſunt,potentias operationum oportet intelligi, &c. Et Epiſtola 3. quæ inſcribitur de videndo Deo,ait:de membris Dei, quæ aſsiduè ſcriptura cõmemorat, ne quiſquam ſecundum carnis huius formam & figuram nos eſſe crederet ſimiles Deo, propterea & eadem ſcriptura, & alas habere Deum dixit, quas nos vtique non habemus. Sicut ergo alas cùm audimus,protectionem intelligimus,ſic & cùm audimus manus,operationem intelligere debemus:& cùm audimus pedes,præſentationem:& cùm audimus oculos, viſionem qua cognoſcit, & cùm audimus faciem,notitiam qua innoteſcit, &c. Et ibidem citat D. Hieron. in Pſalm. 93. dicentem: Deus totus oculus eſt, quia amnia videt: totus manus eſt, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia vbique eſt.Ergo videte quid dicat:qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculos, non conſiderat? Et non dixit, qui plantauit aurem, ergo ipſe aurem non habet, non dixit, ergo ipſe oculos non habet. Sed quid dixit?Qui plantauit aurem, non audiet: qui finxit oculos, non conſiderat? Membra tulit, efficientias dedit, &c. De his copioſè agit in libello qui inſcribitur, de eſſentia diuinitatis. Vide etiam D. Thom. in 1. p. quæſt. 3. artic. 1. vbi quærit, an Deus ſit corpus. Membra igitur humana,aut quęcunque alia corporalia Deo attributa, ſpiritualiter intelligenda ſunt, vel pro operatione ipſa Dei, vel pro virtute operatiua,quæ duo in Deo non re,ſed ſola ratione diſtinguuntur. Dicitur autem ſynagoga os Domini prouocaſſe,ſeu exaſperaſſe,in priori qui-

dem captiuitate præcipuè Idola colendo. In posteriori verò, Dei filium occidendo. Paraphrastes specialiter refert ad Iosiæ peccatum, contra Pharaonem pugnantis, contra denuntiationem sibi factam ex ore Dei. 2. Paral. 35. Quamobrem à Pharaone occisus est, & à Hieremia lamentatus, & in eius morte cœpit regnum Iuda omnino deficere. Sed melius est generaliter accipere, de aliis etiam peccatis synagogæ, quæ fuerunt multò grauiora. ¶ *Audite, obsecro, vniuersi populi, & videte dolorem meum.*] Rursus excitat alios ad considerandum dolorem suum: videns & ægrè ferens se à nemine respici. Quòd autem ait, vniuersi populi, vel hyperbolicè dicit, vel iam Hieremias videbat fore, vt scripturæ ad gentes transferrentur, & ab eis omnibus legerentur & audirentur. ¶ *Videte.*] Id est, considerate & intelligite dolorem meum: & materiam doloris aperit, dicens: Virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatē. Exaggeratio doloris est, quòd tenera adhuc ætas & infirmus sexus cogatur captiuitatis iniurias laboresque tolerare. Nos autem docemur, cùm in labores & angores inciderimus, quid agere debeamus, hoc est, vt verè, & ex animo, & peccata nostra & Dei bonitatem iustitiámque agnoscamus, & confiteamur, dicentes: iustus est Dominus in puniendo, vt misericors & benignus in largiendo. Largitur enim etiam indignis, dum peccatores iustificat, *Et solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Matth. 5. Punit autem nunquam nisi commeritos. Vnde ait, quia os eius ad iracundiam prouo-

2.Paral.35.

Tropologicè, peccata nostra ex animo confiteri, & Dei iustitiā agnoscere cū in labores incidерimus.

Matth.5.

cauit. Id eſt, iuſtum iudicem, & natura clementem, meis prauis meritis compuli duram contra me ferre ſententiá. Vt exponit D. Hieron. Et nota quod ait, compuli. Quoniá Deus veluti coactus, & inuitus ad puniendum deſcendit, cùm vltrò & & ſpontè benignus ſit, & benefaciat. Cùm verò additur. ¶ *Audite obſecrò vniuerſi populi, & videte dolorem meum.*] Docemur in laboribus agnoſcere infirmitatem noſtram, & amicorum opem poſtulare. Quidam enim ne infirmitatem agnoſcere aut confiteri videantur, malunt mala ſua ſecum concoquere, eiſque conſummi, quàm ad opem cuiuſquam petendam deſcendere. Hypocritæ homines ſuperbi, & ſtulti. At Propheta lamentationem ſynagogæ proponens, contra nos docet, quaſi dicat, fateor infirmitatem meam & agnoſco: grauius eſt malum quod patior, quàm vt ſola portare id ſufficiam. Quamobrem aliorum opem, conſolationémque requiro. ¶ *Virgines meæ & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.*] Virgines quæ domi manent & latent, intelliguntur cogitationes. Iuuenes qui foras prodeunt, opera: Cogitationes autem & opera tunc abire dicuntur in captiuitatem, quando amiſſa libertate filiorum Dei, diaboli ſeruiunt tyrannidi: vt neque cogitare, nec agere, aliquid norimus: niſi id, in quo turpiſſimo atque indigniſſimo Domino diabolo ſeruiamus.

In laboribus infirmitas propria agnoſcēda & auxiliū poſtulandum.

Cogitationes virgines, iuuenes, opera, & quando hæ captiuæ.

ק *Vocaui amicos meos, ipſi deceperunt me, Sacerdotes mei & ſenes mei in vrbe*

consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi vt refocillarent animam suam.

Adhuc aperit materiam & causam doloris sui. Prior est deceptio amicorũ, non vtique verorum sed falsorum, id est, non amicos, sed amicorum fortunas, opésque amantium. Talium enim amicitia cum fortuna ipsa mutatur. Vnde R. Selomo exponit, amicos, id est, eos qui se ostendunt tanquam amici sint. Vocaui, subaudi, in auxilium, cùm me vidissem exercitu Chaldęorum circũsessam. Amicos, id est, confœderatos, hoc est, Ægyptios, & Assyrios, & alios Ethnicorum populos, quibus Iudæi confidebant, & quorum amicitias mercabantur, spreto Deo suo. ¶ *Ipsi deceperunt me.*] המה רמוני Non additur coniunctio in Hebraico. Ipsi deceperunt me. Auxilium & societatem pollicentes, & minimè præstantes. Et sic fuerunt mihi causa, vt ad Deum non decurrerem, liberaliter promittentes: & vt perirem, in periculo deserentes. Gentes autem persuadebant Iudæis, vt suos deos colerent, & non Dominum, promittentes, & se & deos suos, ipsis auxilio futurum. Vnde Dominus quasi insultans, ait ad Iudæos Hierem. 2. *Vbi sunt dij tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ.* Et paulo infra: *Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assyr.* Id est, sicut decepta es, ô Hierusalem, atque frustrà habita ab Assyriis, in quibus confidebas, sic etiã decipieris & frustraberis ab Ægyptiis. Et subditur, *Quia obstruit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum.* R. Selomo Hierem. 2.

ait quòd Iſmaëlitæ, cùm Iudæi captiui ducerentur per terram ipſorum, offerebant eis, quaſi miſerando, ſalſamenta, atque vtres inflatos, vt putarentur eſſe vino pleni: illi verò vbi ſalſamenta comediſſent, atque ſitiiſſent, ex vtribus ori appoſitis ventum hauriebant, & peribant. Atque id eſſe quod ait Iſaiæ 21. *Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri: cum panibus occurrite fugienti, &c.* Sed hoc ridiculum eſt. Paraphraſtes verò exponit de Romanis, qui venerunt cum Tito & Veſpaſiano, & Hieruſalem euerterunt: Porro cum Romanis etiam Iudæi fœdus inierant, vt conſtat 1. Machabeor. 8. & vti diximus Magiſtri Iudæorum hanc lamentationem non ſolùm de illa priori deſtructione facta per Chaldęos, intelligunt, ſed etiam de poſtrema, per Romanos. ¶ *Sacerdotes mei, & ſenes mei*] Alterum eſt nomen officij, alterum ætatis, vtrumque reuerentię. Lira ſenes exponit, Iudices ordinarios, Hi autem ſolent in populo opibus abundare. Sed tanta fuit obſidionis anguſtia, vt etiam ipſi famis malum experirẽtur. ¶ *In vrbe conſumpti ſunt.*] Fame. ¶ *Quia quæſierunt cibum ſibi vt refocillarent animam ſuam.*] Id eſt, Quia qui antea ſolebant abundare penore, & rerum copia, nunc coacti ſunt ab aliis emendicare cibum, non ad ſaturandam, ſed ad refocillandam animam, id eſt, ad reuocandum ſpiritum fame penè expiratum. Refocillare animam, id eſt, recreare, refouere, & reficere, Hebraicè dicitur. השיב נפש id eſt, reducere, ſeu redire facere animam. Quæ phraſis ponitur in illo loco, *Lex Domini immaculata, conuertens animas:*

Lamentatio nõ ſolùm de deſtructione der Chaldæos, ſed & per Romanos.

Pſal. 18.

id eſt,

id est, recreans, refocillans & reuocans: quia scilicet consolatur peccatores pœnitentiam docendo, & ex Dei clementia veniam promittendo. Discimus hinc tales amicos nobis conciliare, qui nos non decipiant: de quibus Dominus ait, *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis.* Et in Apocaly. *opera illorum sequuntur illos.* Ergo amici boni, opera bona. Hæc enim nunquam deserunt, sed vbique & semper adsunt, & patrocinantur. Sacerdotes autem atque senes fame consumuntur, quando sibi, dum & ætas & sacerdotij dignitas suppetebant, nihil boni parauerunt, quo in angoris tempore fruerẽtur. Quid enim sperare potest sacerdos, qui relictis sacerdotij muneribus, id est, diuinorum officiorum in missarum frequentatione & Breuiarij assidua recitatione, celebratione, aliisque piis & sacerdotem decentibus operibus neglectis, totos dies in venationibus, & ludis, nequid deterius dicam, consumit: nisi vt tandem fame consumatur, & à diuina Iustitia visitetur? Iuuenes etiam qui cicadam in æstate imitantur, necesse est vt eius quoque in hyeme egestatem patiantur.

Conuertere animã pro refocillare. Tropologicè bona opera veri amici.

ר *Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subuersum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, & domi mors similis est.*

Videns se synagoga humano auxilio destitu-

tam nec poſſe angorem, ſuum vel portare, vel à ſe abiicere, ad Deum tandem cōuertitur: is enim finis eſt, quamobrem ſuos Dominus percutit, nimirum, vt ad ipſum redeant & conuertantur. Hinc eſt quòd queritur atque dolet Iſai. cap. 9. *Populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe, & Dominum exercituum non exquiſierunt &c.* ¶ *Vide Domine.*] Quoniam falſi amici non vident me, neque reſpiciunt, tu qui verus es, reſpice & opem fer. Quàm verus autem ſit amicus Dominus, ex eo intelligitur, quòd gratis diligit, nec ſolùm diligentes ſe diligit, ſed etiam inimicos & peccatores. Vnde Paulus ait ad Rom. 5. *commendat charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt &c.* Non enim venit vocare iuſtos, ſed peccatores. ¶ *Quoniam tribulor.*] כי צר לי id eſt, quoniam in angore ſum. Anguſtiæ me tenent vndique. Nam ſi foras fugere tento, foris interficit gladius: ſi intra muros me continere, domi mors ſimilis eſt; nam vt narrat Ioſephus, multæ etiam cædes intra muros fiebant à ſeditioſis, & peſte faméque laborabatur. ¶ *Conturbatus eſt venter meus.*] מעי חמרמרו Id eſt, viſcera mea conſtringuntur. Iuxta R. Selomo, id eſt, כווצו Paraphraſtes אדגרו id eſt, concalefacta ſunt, ſeu exæſtuant, vel conglobantur, aut cumulantur. R. Dauid נעכרו id eſt, conturbata ſunt. Sic LXX. & Hieronymus, id eſt, ἐταράχθη, dolorem autem animi & interiorem indicat ſub metaphora doloris viſcerum interiorum. Sic Hier. 4. *Ventrem meum doleo &c.* ¶ *Subuerſum eſt cor meum in me-*

Iſa. 9.

Gratis Dominus diligit, nec ſolū diligētes ſe.
Rom. 5.

Hier. 4.

metipsa.] נהפך לבי בקרבי Id est,conuersum vel subuersum est cor meum in medio mei,id est, cor quod est in medio viscerum, præ nimia pulsatione penè sese conuertit, & locum mutauit. ¶ *Quoniam amaritudine plena sum.*] Deut. 29. *Ne sit interior radix germinans fel, & amaritudinem &c.* Peccatum enim est veluti radix omnium amaritudinum & acerbitatum, quas patimur. Hebr. כי מרו מריתי Quoniam exacerbando exacerbaui, seu amaricando amaricaui, subaudi Dominum,id est, quia peccando Dominum ad tantam iram prouocaui. Vnde Paraphrastes habet:Quoniam transgrediendo transgressa sum decretum verbi Domini.Sic etiam R. Dauid. Vnde etiam supra dicebat eodem verbo Hebraico vtens. Iustus est Dominus, כי פיהו מריתי quia os eius exacerbaui. Quoniam igitur Dominum peccando exacerbaui,& intra me radicem amaritudinis plantaui, idcirco germinant, & pullulant in me amaritudines & dolores.Et. ¶ *Foris*,id est,extra muros,interficit gladius hostilis qui me vndique obsidet,vt nullus possit effugere. ¶ *Et domi mors similis est.*] Propter intestina quoque seditiosorum ciuium dissidia & seditiones. Item propter famem,atque pestem, qua laborabant intra muros.Hebræi eodem sensu legunt. Foris orbat gladius,id est,filiis priuat parentes,viris vxores.Domi quasi mors, id est, domi autem & intus sunt mala instar mortis, hoc est, terrores dæmonum, & nocentum, & angelorum mortis, id est, dæmonum homicidarum, quibus demandata est cura hominum,quos Deus voluerit, occidendorum,

Deut. 29.

Peccatũ radix omniũ amaritudinũ quas patimur.

rum,aut terrendorum:sic R. Selomo. Paraphrastes habet;Foris orbat gladius, & intus terror famis instar Angeli vastatoris, qui præfectus est morti. Docemur hinc ad Dominum decurrere dum flagellamur,&per pœnitentiam eum placare, quem peccatis exacerbauimus. Tribulamur autem, seu in angustias redigimur, quoties relicto Deo amplissimo bono, creaturis nos affigimus,quæ sunt angustissima & minima bona:veluti qui sese ex loco spatiosissimo in arctum atque angustum puteum præcipitaret, in quo mouere sese vix posset.Lata quidem est via,quæ ducit ad perditionem,& multi vadunt per eam: & arcta,quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam.Quoniam vitia in præsenti dulcia videntur vitiosis,& virtutes amaræ:sed in futuro,contrarium comprobabitur,id est,in fine. Itaque via vitiosorum initio lata est, sed in arctum ducit: contra studiosorum, initio quidem angusta est, sed in fine spatiosissima. Omnis enim disciplina, id est, flagella & castigatio in præsenti quidem videtur non esse gaudij,sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ.ad Hebr. 12. contra quoque dici potest,omnis libido & indulgentia genij in præsenti quidem videtur non esse mœroris,sed gaudij:postea autem fructum turbulentissimum deliciatis per eam,reddet iniquitatis. Quare potius eundem Apostolū audiamus,monentē. 2.Cor.4. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternū gloriæ pondus operatur in nobis:non contemplantibus no-*

Tropologicè, ad Dominū recurrendū dum flagellamur

Vitiorū via initio lata, sed in arctū ducit. Contra via virtutū.

ad Heb. 12.

2.Cor.4.

bis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non vidẽtur, æterna sunt, &c. Verb. grat. Ieiunas, affligeris, castigas corpus tuũ, abstines te à vino, in quo est luxuria, laborat nonnihil stomachus atque dolet, patiẽter iniuriã fers, atque cõdonas, adimis tibi vt pauperides, oras sinè intermissione, humi cubitas, bonã noctis partẽ cum Domino orando, & vigilando consumis. Hæc omnia, & his similia laboriosa fortè sunt, præsertim primùm incipientibus, sed temporalia sunt, momentanea sunt, citissimè transeunt: atque gloria & pacatissimus fructus, quæ his comparantur, æterna sunt, sinè fine sunt, dum præsentia pateris. Conturbatur venter noster, quando conscientiæ tranquillitas perturbatur, & mentis quies perditur per peccatum: & consimiliter subuertitur ac loco mouetur cor, cùm à Deo recesserit bono incommutabili, & mutabili creaturæ adhæserit. Foris autem interficit gladius, & domi mors similis est: quando & foris flagellis atterimur, & tamen intus carnali suggestione fatigamur: & flagella quidem sustinemus, & tamen intus conscientia à tentationis sordibus consentiẽdo munda non est. Vel quando & corporis cruciatus sustinet peccator, & conscientiæ vermem patitur, omnem cruciatum superantem.

ש *Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me, omnes inimici mei audierũt malum meum, lætati sunt,*

quia

quia tu fecisti: adduxisti diem consolationis, & fiunt similes mei.

Exaggerat materiam & causas doloris sui, ex defectu consolantium, & gaudio inimicorum. Argumentum enim doloris est, quod ab amicis in periculo deseramur, & ab amicis derideamur, eísque de nostris malis materiam præbeamus gaudiorum. Audierunt Ethnici hostes mei, quia, id est, quòd ingemisco ego, id est, in luctu & gemitu sum, ob mala quæ mihi contigerunt. Et simul audierunt, quòd non est quisquam, qui consoletur me, id est, qui me vel re vel verbo iuuet, & opem ferat. ¶ *Omnes inimici mei audierunt malum meum.*] Repetitio est. Solent autem repeti in lamentando, ea quæ maximè dolent. Grauissimè autem ferunt miseri, quòd de sua miseria hostes gaudium habeant. Vnde Dauid 2. Reg. cap. 1. *plangẽs mortem Saulis, & exercitus eius perditionem, ait, Nolite annuntiare in Geth, nec annuntietis in compitis Ascalonis: ne fortè lætentur filiæ Philistim, ne exultent filiæ incircuncisorum &c.* ¶ *Lætati sunt, quia tu fecisti.*] Exponit R. Selomo: Tu fuisti causa vt me odio prosequantur, quia separasti me ab escis, & à conuiuiis, & à nuptiis & affinitatibus eorum. Nam si cum ipsis affinitatem contraxissem, misererentur mei, & nepotum suorum. Simplex sensus est. Agnosco malum meum ex te auctore procedere. Tu enim fecisti, vt inimici mei lætentur, dum me sic in eorum potestate dereliquisti quasi dicat, Lætantur illi quidem, putantes suis viribus victoriam mei obtinuisse: sed fallun-

tur:

tur : tu enim feciſti , & autor es eius : vt per eos mea punias peccata, aut virtutem etiam iuſtorum exerceas. Sic Iob, non in diabolum mala quæ patiebatur referebat, ſed in Dominum, dicens : *Dominus dedit, Dominus abſtulit : ſicut Domino placuit ita factum eſt.* Qui autem de hominibus conqueruntur, ſimiles ſunt cani lapidem mordenti , quo percullus eſt. ¶ *Adduxiſti diem conſolationes.*] Id eſt , tempus deſtructionis Babylonis adduces, de qua conſolabor , videns & laudans diuinam vindictam, quia lętabitur iuſtus, cùm viderit vindictam. Tum etiam imperante Cyro in patriam redibo & reſpirabo. Ergo tam afflictionẽ, quàm conſolationem ſuam Deo adſcribit. Sic iuſta D. Thom. Liram, Dionyſ. Hiero. quoque quaſi exponẽdo, infert: Conſolatio ergo, quæ iniuſtè oppreſſis à Domino cõfertur, & pœna quę oppreſſoribus eorum meritò infligitur, ex iuſto iudicio Dei procedunt , &c. Hebræi legunt, Adduxiſti diem quem vocaſti, id eſt, adduxiſti, ſeu venire feciſti contra me , ſeu ſuper me diem vltionis , ſeu punitionis , vocaſti contra me conuocationem, ſeu cœtum ad deuaſtandum me: ſic, voca contra eos, & ſint deuaſtati, ſicut ego. Sic Paraphraſtes. Et eſt expoſitio illius particulæ. Quoniam tu feciſti. Quidnam feciſti? adduxiſti ſeu venire feciſti diem quem vocaſti &c. Sic ſupra in Samech. Vocauit aduersùm mè tempus, vt contereret electos meos. LXX. quoque habent , ἐπήγαγες ἡμέραν ἐκάλεσας καιρὸν , id eſt , adduxiſti diem , vocaſti tempus. Sed quoniam iuxta hunc ſenſum malè cohæret ſequens particula, & fiẽt ſimiles mei, præ-

Iob 1.

Mala pœna à Deo putare immiſſa.

ſtat

Desolatio Babylonis, consolatio Iudæorum.

stat intelligere de die desolationis Babyloniæ; vt supra exposuimus. Quæ desolatio, consolatio fuit Iudæorum à Babyloniis oppressorum. Vnde etiam D. Paulus in consolationem piorum, commemorat punitionem iustam impiorum, dicens,

2. Thess. 1.

2. Thess. 1. *Gloriamur pro patientia vestra, & fide in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis, in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. Si tamen vestrum est apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiẽ, &c.* Vnde D. Hier. in proœmio Comment. in Naum, ait in consolationem populi transmigrati, id est, decem tribuum, aduersùm Niniuem visionem à Naum cerni, nec esse paruam cõsolationem, tam iis qui iam Assyriis seruiebant, quàm reliquis qui ab eisdem hostibus obsidebantur, vt audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos, &c. Ergo & fient similes mei, id est, capientur & tribulabuntur, & captiuitatis atque exilij labores & miserias sentient, sicut ego. Huic etiam sensui congruit sequens versus, in quo vindictam petit, tanquam consolationem, dicens:

ת *Ingrediatur omne malũ eorũ coram te, & vindemia eos, sicut vindemiasti me, propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei & cor meũ mærens.*

¶ *Ingrediatur.*] Id est, veniat in iudicium coram te, id est, ante tribunal tuum, qui es iustissimus iudex: & iustorum, vt eis reddas coronam,

patien

patientiæ:& impiorum, vt eis iniquæ ſanctorum vexationis pœnam infligas,ſic etiam erant ſancti Apocal.cap.6.dicentes : *Vſque quo Domine, ſanctus & verus, non iudicas,& non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra? &c.* & Pſal.108. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius, in conſpectu Domini,&c.* Deus enim dum punire differt, obliuiſci videtur,nec peccata videre. Non tamen obliuiſcitur ,aut non videt, ſed congruum ſapientiæ ſuæ tempus expectat, ad iudicium exercendum; quod interdum hominibus tardum videtur, celerem vindictam cupientibus. Cauendum eſt autem, ne amore noſtri decepti, in petenda à Deo iuſtitia peccemus,ideóque ita petamus, vt & tempus, & modum, atque menſuram Deo dimittamus,ipſiúſque potius iniurias,quàm noſtras, vindicari poſtulemus. Paraphraſtes habet: Veniat in diem iudicij magni,omne malum eorum, quod fecerunt mihi in conſpectum tuum,&c. Hoc autem intimandum eſt (vt notat D.Hieron.) quòd quando ſancti viri deprecatorio more contra hoſtes ſuos rogant, non voto malitiæ,ſed ſpiritu prophetiæ,hoc quod eis præſciunt futurum, prædicunt, vel etiam contra ſpirituales nequitias orant, quas incorrigibiles eſſe ſciunt, vt iuſtam à Domino recipiant ſententiam,&c. Sentit Hieronymus,vt etiam ex conſequentibus quæ addit, liquidò conſtat, non licere huiuſmodi malorum imprecationes ad homines referri,quippe qui corrigi poſſunt,ſed ad dæmones, qui incorrigibiles ſunt: licitũ eſt tamẽ etiam hominibus peccatoribus mala imprecari, &

Apocal.6.

Pſal.108.

Deus dum differt punire, obliuiſci dicitur.

Quomodo petenda iuſtitia à Deo.

Sãcti quãdo imprecari alijs dicũtur quomodo.

optare: sic tamen, vt desiderium optantis & imprecantis, non referatur ad ipsam pœnam hominum, quasi per se volitam, & optatam, sed ad iustitiam punientis: iuxta illud, ¶ *Lætabitur iustus, cùm viderit, vindictam.*] Siquidem nec ipse Deus puniens lætatur in perditione impiorum Sap. 1. sed in sua iustitia: quia iustus Dominus, & iustitias diligit, Sic D. Thom. 2. 2. quæst. 25. artic. 6. ad 3. Idémque quæst. 76. artic. 1. ait. Si aliquis imperet, vel optet malum alterius, in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens, id est, illicitum: Si autem imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum quia principalis intentio nõ fertur ad malum, sed ad bonum. Optatur auté, aut imperatur malum, alterius vel sub ratione boni iusti, id est, iustitiæ, & sic iudex optat & imperat, & sic etiam Prophetę interdum imprecãtur mala peccatoribus, quasi cõformantes voluntatem suam diuinæ iustitiæ: vel optatur aut imperatur sub ratione vtilis, vt cũ quis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipse melior efficiatur, vel vt saltem ab aliorum nocumento cesset, sic D. Thomas. Est ergo sensus, visitentur, & recitentur seu commemorentur iniquitates eorum, qui me iniquè diuexãt in conspectu tuo, ad hoc vt puniantur. Vnde ait. ¶ *Et vindemia eos, sicut vindemiasti me.*] Vindemiare, est vnumquenque operũ suorum fructum metere. Vindemiat autem Dominus hostes suos, qui sanctos eius vindemiauerunt, quando pro contritione temporali, qua illos approbatione opprimere

Psal. 57.

Sap. 1.

Vindemiare est suorũ operũ fructũ metere.

per

permissi sunt, in futuro iudicio perpetuam faciet recipere vltionem. Sic Hieronymus. Potius tamen vindemiare significat, bonis priuare & spoliare, nudúmque & sine vllo fructu dimittere: Quemadmodum fit vineæ, cùm vindemiatur. Sic supra in Lamed, vindemiauit me, vt loquutus est Dominus, in die furoris sui: Hebræi eodem sensu legunt, & fac eis, sicut fecisti mihi, id est, Redde eis retributionem iniquitatum suarum, sicut reddidisti mihi. Verbum tamen עלל etiam vindemiare significat. Vt Hieremias. 6. *Vsque ad racemum colligent, quasi in vinea reliquias Israel.* Hierem.6. עולל יעוללו כגפן שארית ישראל id est, Vindemiando vindemiabunt, sicut in vinea, reliquias Israel, id est, penitus deuastabunt. ¶ *Propter omnes iniquitates meas.*] Agnoscit populus se sui vindemiationem & deuastationẽ meruisse, eò quòd suis peccatis Dominum offenderit, & ad iram prouocauerit. Sic supra in Sade. Iustus est Dominus; quia os eius ad iracundiam prouocaui. Vel Propheta ipse confitetur, & agnoscit id quod synagoga confiteri & agnoscere deberet, vt ipsam excitet & moueat ad consimilem confessionem faciẽdam. Quemadmodum facit etiam Dan. c. 9. Dan.9. Si autẽ huiusmodi confessiones intelligantur aut accipiantur ex persona synagogæ infidelis, tunc sunt fictæ & fallaces, & non ex corde: alioqui enim reciperentur, & acceptarentur à Domino, vt supra diximus. ¶ *Multi enim gemitus mei.*] Ratio refertur ad initium versus, quasi dicat, Iudica me, Domine, & voca in iudicium inimicos meos, qui me adeò malè tractant, & affligunt, vt

cogar assiduè gemere & mœrere. ¶ *Et cor meum mærens.*] Heb. ולבי דוי id est, חולה dolens infirmum. Paraphrastes חליש id est, languidum. Nos autem verè & ex animo peccata nostra agnoscamus & confiteamur, & cùm aliorum aduersùm nos iniurias, & iniquitates cogitauerimus, & à Deo vindictam & vltioné postulauerimus, id obseruemus, vt totum iudiciũ Domino relinquamus, nec de nostro aliquid addamus: memores tamen interim, vt alij nos offenderũt conseruos, sic nos etiam sæpe Dominum offendisse. Quòd si de nobis dicere debemus: *Domine non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*: idem etiam pro proximis, quantumuis inimicis faciamus, exẽplo ipsiusmet Domini pro suis crucifigentibus orantis, atque eos excusantis: *Domine ignosce illis, quia nesciũt quid faciunt.* Quam etiam mansuetudinem nos docuit apposita & excogitata ad hoc ipsum parabola de duobus seruis, quorum alter domino debebat centum talenta, & dimissa sunt ei: alter eidem conseruo debebat decem, quæ ei dimittere noluit: ob quam iniquitatem in carceré missus, & centum talenta iam dimissa rependere coactus est.
Matth. 18. Matth. 18. Quin etiam quotidie nos orare præcepit: *Dimitte nobis debita nostra* (id est peccata & offensas) *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (id est, iis qui in nos peccauerunt, & nos offenderunt. Et subiungit legem immobilem, ne quis se fallat, dicés: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater*

vester

vester dimittet vobis peccata vestra. Matth. 6. Dimissio ergo alienorum, propriorum est dimissio. Matth. 6.

CAPVT II.

PROSEQVITVR Propheta suam lamentationem, eadem ferè mala, sed aliis verbis, commemorans, quæ passa est Hierusalem: simúlque eam ad pœnitentiam prouocans, & ipsum Dominum ad miserendum excitans. Vnusquisque autem versus ab vna litera Alphabeti deinceps incipitur, vt in superiori capite.

א *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, proiecit de cælo in terram inclytã Israel: & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.*

¶ *Quomodo.*] Id est, ob quod tam immane scelus, & qua tanta ira. Obtexit caligine LXX. quoque ἐγνόφωσεν, id est, obscurauit, hoc est, humiliauit, deiecit & ignobilem reddidit, id est, de summa felicitate in maximam miseriam deposuit & destruxit. R. etiam Selomo exponit. יאפיל id est, obtenebrauit, tenebris obtexit, citans illud, *Et*

3.Reg.18. *cæli contenebrati ſunt nubibus.* 3.Reg. 18. Nubes enim dicuntur עבים vnde verbum עיב id eſt, obnubilare R.etiam Dauid יחשיך id eſt, obtenebrauit. Tenebræ autem in ſcripturis ſignificant metaphoricè miſeriam, angorem & triſtitiam. Paraphraſtes יקוץ id eſt,abominatus eſt.Vel excidit. ¶ *In furore ſuo.*] Id eſt,per furorem ſuum, & iram ſuam, id eſt, tam graui vindicta & vltione,Ira enim & furor in Deo non ſignificant perturbationem,ſed ſimplicem vindictam, & vltionem. ¶ *Dominus.*] Non eſt nomen ineffabile,quo notatur miſericordia & benignitas,ſed ארני quod propriè Dominum ſignificat. Introducitur enim Deus iratus tanquam Dominus in ſeruum immorigerum, & inobedientem. ¶ *Filiam Sion.*] id eſt, Hieruſalem: quæ dicitur filia Sion, quia erat ædificata in monte Sion. ¶ *Proiecit de cælo in terram.*] Poſtquam exaltauit eam vſque in cælum,proiecit atque deiecit eam vſque in terram. Exaltauit autem eam, per miſericordiam maximis beneficiis eam afficiendo,& multa ei dando, ac ſingularia priuilegia, & prærogatiuas. Deiecit autem per iuſtitiam: quoniam fuit beneficiis ingrata. Iſaiæ 1. *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui:Iſrael non cognouit, populus meus non intellexit.* Sic Pſal. 101.*Cinerem tãquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebã:à facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me,&c.* Nemo enim deiicitur, qui non priùs extollitur. Vnde pecora non metuunt miſeriam, quia nec expectant fœlicitatem. Non detruduntur in tartarum,

Tenebræ ſignificãt miſeriam, & triſtitiam.

Hieruſalem quare dicitur filia Siõ.

Iſaia 1.

Pſal.101.

Deiectus poſt eleuationem.

Non deijcitur niſi eleuatus.

tarum,

tarum, quia neque talia facta sunt, vt possent in cælum ascendere. Rabbi Selomo ait: Postquam extulit eos vsque in cælum, deiecit eos vsque in terram, vice vna, seu semel, & non paulatim, ex tecto alto in cisternam profundam, &c. Tectum appellat, statum libertatis, cisternam, statum seruitutis. Item tectum, statum gratiæ & protectionis Dei: cisternam profundam, amissionem gratiæ & protectionis Dei, atque priuationem, quã describit Isa. 5. *Auferam sepem eius, &c.* *Isai. 5.*
¶ *Inclytam Israel.*] Id est, quæ erat inclyta, id est, gloriosa, excellens, & insignis totius regni Israel. Erat enim ciuitas metropolis, & in qua sola licitum erat sacrificare. Nam in ea sola templum erat. Hebraicè eodẽ sensu legitur תפארת ישראל id est, gloriam Israel, id est, Hierusalem, quæ erat gloria Israel, tanquã totius regni caput. Sic etiam LXX. δόξασμα ἰσραὴλ, gloriam, seu gloriationem Israel. ¶ *Et non est recordatus scabelli pedum suorum.*] Hierusalem vocat scabellum pedum Domini, propter statum diuini cultus, qui in ea præcipuus erat secũdùm Hieron. qui nõ explicat, quamobrẽ scabellum cultum diuinum significet: nisi fortè, quia vt in scabello stant aut acquiescunt pedes, sic in cultu Dei stant & acquiescunt fideles. D. etiam Thom. exponit: Non est recordatus, scilicet, in bonum scabelli, id est, templum in quo adorabatur, sicut Rex ad scabellum pedis. Ezech. cap. 43. *Locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel in æternum, &c.* Sic etiam Lira, dicens, templum vocari scabellum pedum Dei, quia intra ipsum erãt arca

Scabellũ pedũ Domini, status diuini cultus.

Ezech 43.

testamenti, & propitiatorium, quod erat quasi sedes Dei, & arca quasi scabellū illius sedis, sicut, inquit, dictum fuit pleniùs Exod. 25. Paraphrastes quoque habet: Et non est recordatus domus sanctuarij, quæ erat scabellum pedum eius, non est misertus eius, seu non pepercit ei. Sic etiam R. Selomo. Porro R. Dauid lib. 1. Paralip. cap. 28. apertè docet, arcam testamenti esse scabellum pedum Domini, dicens: Cogitaui vt ædificarem domum in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri, &c. Erat enim arca velut scabellum pedum, comparando, ad sedentē in propitiatorio. Eáque erat habitudo inter arcam & tabellam propitiatorij, quæ erat veluti sedes Dei. Nam arca subiecta erat propitiatorio, vt scabellum sedi: vt colligitur Exod. 25. Porro arca illa magni nominis erat, & magnę gloriæ apud Iudæos: vnde vocata est virtus, & pulchritudo eorum. Psal. 77. *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, &c.* Id est, arcam tradidit in potestatem Philistinorum, apud quos fuit septem mensibus. 1. Reg. 6. Ideò in præsenti ait, & non est recordatus scabelli pedum suorum, quasi dicat, neglexit & contempsit, ac perire permisit rem tam præclaram & tam preciosam, & sibi olim adeò charam, & per quam tot designauerat miracula. Ex quo intelligimus nihil esse tam preciosum aut tam magnificum, quod coram Deo aliquid valeat, si sit cum peccato coniunctum. Quid preciosius aut pulchrius angelo, & homine ad imaginem Dei factis? & tamen propter peccatum in

Arca testamenti veluti scabellum pedum Domini.

Arca dicta pulchritudo Israel. Psal. 77.

tartara detruduntur. ¶ *In die furoris sui.*] Id eſt, iuſtæ vltionis, & vindictæ ſuæ: quando voluit Iudæorum & populi ſui ſcelera vlciſci, non pepercit templo, non arcæ teſtamenti, in quibus non ſolùm non colebatur à Iudæis, ſed etiam grauiſſimè offendebatur. Ezech. ca. 8. Quare nos etiam caueamus, ne templum Dei viuum, quod ſumus nos, & corpora noſtra, fœditatibus, & criminibus profanemus: *Si quis enim templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* 1. Cor. 3.

Ezech 8. Non profanandũ templum.

1. Cor. 3.

ב *Præcipitauit Dominus, nec pepercit omnia ſpecioſa Iacob, deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terrã: polluit regnũ, & principes eius.*

Eandem rem, id eſt, iram, & vltionem Domini, fuſius exponit. ¶ *Præcipitauit.* Quod ſupra dixit, proiecit de cœlo in terram Heb. בלע id eſt, diſſipauit, perdidit, deſtruxit. Et hoc ipſum intelligitur in præcipitatione. Quæ enim præcipitantur, id eſt, ex alto deiiciuntur, franguntur, conteruntur, & diſſipantur. Vnde Hiero. idem verbum בלע reddidit diſſipare. Iſaiæ. 3. ibi, *Et viam greſſuum tuorum diſſipant.* Et perdere, hoc cap. 2. in cheth. ibi, Et non auertit manum ſuam à perditione, id eſt, à perdendo, & deſtruendo. Vnde R. Dauid exponit השחית id eſt, perdidit, deſtruxit, deuaſtauit, corrupit, diſsipauit &c. Et Paraphraſtes שיצא vel שיצי id eſt, deuaſtauit, conſumpſit. LXX. κατεπόντισε, id eſt, demerſit, obruit. Quomodo demergitur nauis in mari quaſi

Iſa. 3.

dicat, pessundedit. ¶ *Dominus.*] אדני nomen proprium Dominij, vt dominum in seruum iratum intelligas. ¶ *Nec pepercit.*] לא חמל Id est, & non est misertus: non est commotus misericordia. Ex quo intelligitur maxima ira & furor implacabilis, id est, vindicta irremissibilis. ¶ *Omnia speciosa Iacob.*] Ecce quibus non pepercit, sed præcipitauit & dissipauit ea: hoc est, omnia speciosa, omnia pulchra, ad quæ naturaliter mouemur misericordia, eísque parcimus, nec destrui sinimus. LXX. πάντα τὰ ὡραῖα, omnia pulchra & speciosa. Intelliguntur autem propriè nunc ædificia, ædes magnificæ atque pulchræ. Hierem. 39. *Domum Regis & domum vulgi succenderunt Chaldæi, & murum Hierusalem subuerterunt*, & cap. 51. *Incendit Nabuzardan domum Domini, & domum Regis, & omnes domus Hierusalem, & omnem domum magnam igne combussit: & totum murum Hierusalem per circuitum destruxit exercitus Chaldæorum &c.* Et Amos. 3. *Percutiam domum hyemalem cum domo æstiua: & peribunt domus eburneæ, &c.* Hebraicè est כל נאות id est, omnia habitacula, id est, domus & ædes. Vnde subiungit. ¶ *Destruxit in furore suo munitiones Virginis filiæ* בת Iuda.] id est, turres & arces Hierusalem. Deo autem adscribit destructionem factá à Chaldęis: quia Deus etiam ministerio vtebatur eorum, ipse verò erat principalis auctor: non quidem malæ voluntatis Chaldæorum, sed operis. ¶ *Et deiecit in terram.*] הגיע לארץ fecit contingere terram, quæ præ altitudine videbantur nubes, cælúmque tangere. ¶ *Polluit Regnum & principes eius.*] Ignominiosè

Hierem. 39.
Hierem. 51.
Amos. 3.

tractan

tractando regem & principes. Regem enim effoſſis oculis vinctum duxit in Babylonem, & ex nobilibus & ſanguine Regio fecit Eunuchos, vt prædixerat Iſaias Ezechiæ Regi, dicens Iſa. 39. *De filiis tuis tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis &c.* Hebraicè verbum, polluit, eſt חלל id eſt, profanauit, publicauit, hoc eſt, diripiendum tradidit. Deu, à ſaco, Luſitanè, ou, eſtragar. Aliqui Rabini exponunt, Profanauit Regnum cœli, ſeu cœleſte, id eſt, Regnum Iudęorum, quod ſpeciali quadam gubernatione regebatur à Deo, intercedentibus angelis: quare erat veluti Regnum ſanctum & diuinum, atque ſacrum. Sed Deus illud profanauit auferēdo ab eo deitatem ſuam, & angelorum curam, & miniſterium illud peculiare. Vnde Iſa. 5. ait: *nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem &c.* Vbi D. Hieron. exponit. Tollam angelorum auxilia, de quibus Pſal. 33. ſcriptum eſt, *circundat angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberauit eos, &c.* Iuxta hanc ſententiam R. Don Ioſeph. exponit: Profanauit Regnū & principes eius, id eſt, Regnum Dęi, vel diuinum, & ſupernum, quod erat generis Iſraelitici: & Regnum Mitationis, & aliorum angelorum ſupernorum aduocatorum, ſeu Patronorum populi Iſraelitici: profanauit, inquam, illud Deus, vt non ſint amplius duces & gubernatores ipſius, nec appelletur aut cenſeatur vltra ex nomine ipſorum. Sic Don Ioſeph. Rabbi quoque Selomo ait. Prophanauit Regnum & principes eius. Hi ſunt Iſrael, qui vocabatur Regnum ſacerdotum, ſeu ſacerdotale, & gens ſancta, Exod. 19. Et prin-

Iſai. 39.

Iſai. 5.

Pſal. 33.

Exod. 19.

cipes

cipes eius. Hi ſunt principes ſuperni, quos mutauit: & præfectum aëri præfecit aquis, & conſimiliter etiam alios pręfectos permutauit: propterea quòd erant inter impios Iſraëlis, qui tenebant nomen Domini ineffabile, & fiduciam habebant adiurandi principes ſupernos, vt eriperent ipſos de igne, & de aqua, & de gladio. At nunc quum adiuraret quid Principem præpoſitum igni, nomine ſuo, reſpondebat, Non eſt poteſtas hæc in manu mea. Et ſic reliqui omnes. Sic R. Selomo. Ideò ergò dixit: Profanauit, quia regnũ ſanctum erat, vt-pote ſpecialiter electum ad cultum Dei, quaſi totum eſſet ſacerdotale ſicut hodie eſt Eccleſia. Profanauit autem illud, quatenus abſtulit templum, & per conſequens ſacerdotes & ſacerdotium: nec voluit vt ſibi amplius ſeruiret gens Iudaica, ſed totum illud regnum, & modum regiminis, atque cultus quaſſauit & abrogauit, & in Eccleſiam Chriſti tranſtulit. Cui dicit Petrus Epiſtol. 1. cap. 2. *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui dę tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum &c.* Hoc eſt, id eſt, quod Iudæi, amiſſuri eſſent ſacerdotium, prædixit Hoſeas cap. 3. dicens: *Multos dies ſedebũt filij Iſrael ſinè Rege, & ſinè principe, & ſinè ſacrificio, & ſinè altari &c.* Nec te moueat, quod ait, dies multos: quaſi finitis illis multis diebus recuperaturi ſint regnum & ſacerdotium. Nunquam enim recuperabunt: ſed vocabulum, multos, ſæpe in ſcriptura ſignat multos, ita vt includat omnes, modò ipſi omnes ſint magna multitudine, vt Danielis cap. 12. *Et*

1. Petr. 2.

Hoſeas 3.

Multi in ſacra ſcriptura multoties omnes ſi ſunt multi.

Daniel. 12.

multi de iis qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitā æternā, alij in opprobrium, &c. Atque hæc Rabbinorum expoſitio ſatis placet. Inuenimus enim in ſcriptura Angelos præpoſitos, vocari principes. Ioſ. 5. *ait Angelus ad Ioſue: Sum princeps exercitus Domini.* Et Dan. c. 10. loquitur itē Angelus Danieli: *Princeps Perſarum reſtitit mihi: Et ecce Michael vnus de principib. primis venit in adiutoriū meū &c.* Hi autē dicūtur pollui aut profanari, non ipſi in ſe, ſed in ordine ad Iudæos, quorum erant principes, quatenus deſeruerūt eorū gubernationem, & reliquerunt eos immūdorum ſpirituum deceptionibus. Id quod Dominus ſignificauit, quando dixit, Luc. 13. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Angeli quoque, Ioſepho referente, dixerūt, Tranſeamus ex his ſedibus, autore Hier. in Amos. cap. 4. in principio. Idem in Matth. 12. ad illa verba, Et veniens inuenit vacantem, ait: Quia Dei & Angelorum præſidia non habebant Iudæi, & ornati erant ſuperfluis obſeruationibus legis, & traditionibus Phariſæorum, reuertitur diabolus ad ſedem ſuam priſtinam, & fiunt illius populi nouiſſima peiora prioribus. Multò enim nunc maiori dæmonum numero poſſidentur blaſphemantes in ſynagogis ſuis Chriſtū Ieſum, quàm in Ægypto poſſeſsi fuerant, ante legis notitiam &c. Et nota, Iudæos ter per ſingulos dies in omnibus ſynagogis, ſub nomine Nazarænorum, anathematizare nomen Chriſtianum, autore eodem Hier. in Iſa. cap. 5. ad illa verba, Væ! qui trahitis iniquitatē. Et dūmodo nos, id eſt, Chriſtianos interficiant, volunt igne comburi, auctore

Angeli præpoſiti Principes dicti. Ioſue. 5. Daniel. 10.

Luc. 13. Angeli quādo deſeruerūt Iudæorū cuſtodiā.

Iudæi ter in die in ſynagogis ſoliti nomē Chriſtianū anathematizare.

eodem

eodem in Amos cap. 1. ad illa verba, Hæc dicit Dominus, ſuper tribus ſcelerib. Edom. vbi idem aſſerit, de quotidiana eorum populi Chriſtiani blaſphematione, dicens: Antiquum furorem,& iracundiam tenentes, vſque hodie in ſynagogis ſuis, ſub nomine Nazarænorum blaſphemāt populum Chriſtianum, & dummodo nos interficiant,volunt igne comburi &c. Idem dicit in Iſa. cap.49.ad illa verba.Hęc dicit Dominus Redemptor:Chriſtus(inquit)abominatione eſt genti Iudæorum, cui ter per ſingulos dies, ſub nomine Nazarænorum,maledicunt in ſynagogis ſuis &c. Et idem repetit in cap.52.ad illa verba.Quia hæc dicit Dominus Deus. Ex quibus intelligi poteſt quàm pollutum ſit Regnum atque principes Iudęorum,poſtquam Deum Regem habere,& ſanctos Angelos principes deſierunt, & pro Deo diabolum & angelos eius ſuſceperunt.

ג *Confregit in ira furoris omne cornu Iſrael,auertit retrorſum dexteram ſuam à facie inimici:& ſuccēdit in Iacob quaſi ignem flammæ deuorantis in gyro.*

¶ *Confregit.*] גדע Id eſt, abſcidit, præcidit, amputauit, id eſt, כרת Vnde Paraphraſtes קִיצֵץ id eſt, detruncauit, excidit. Et ſic vertit Hier.48. ibi,Abſciſſum eſt cornu Moab. ¶ *In ira furoris.*] Id eſt,ira furibunda,id eſt,vehementi ira,vt habet Paraphraſtes.Ex quo intelligitur grauitas peccati ſynagogæ.Deus enim clemens eſt natura:nec iraſcitur vehemēter,id eſt,nō punit grauiſſimè, niſi

Hier.48.

grauiſſima peccata: quia *pro menſura delicti, erit & plagarum modus.* Deut.25. ¶ *Omne cornu Iſrael.*] Id eſt, omne robur, & omnem fortitudinem, & omnem gloriam, hoc enim ſignat cornu in ſcripturis, quia cornua ſunt robur & gloria tauri: adeò vt ſinè cornib. imbecillus ſit, & deformis. Sic Ezech.29. in fine. *In die illo pullulabit, ſeu naſcetur cornu domui Iſrael.* Vbi Hier. ait, regium genus ſignificari. Hebræi Cyrum interpretantur. In præſenti autem intelligitur, abſciſſus eſſe omnis fauor diuinus, & protectio Angelorum, à populo Iſrael: imo verò ipſemet Deus, cui dicebat Dauid Pſal.17. *Protector meus, & cornu ſalutis meæ*, id eſt, Deus potenter ſaluans me. Paraphraſtes habet, omnem gloriam Iſrael. Porro Deus erat omnis gloria Iſrael. Pſal.3. *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Eſt igitur ſynagoga & populus Iudaicus ἀκέρατος, ἄδοξος, ἄθεος, id eſt, incornis, inglorius, ſine Deo. ¶ *Auertit retrorſum dexteram ſuam.*] Id eſt, auertit ſeipſum, veluti auertens retro dexteram, ne pugnaret pro filiis ſuis. Sic R. Selomo. Vnde & Paraphraſtes: Retraxit retrorſum dexterã ſuam, & opem non tulit populo ſuo &c. Et qui ſolitus erat extendere manum ſuam contra inimicos Iſraelis, & quaſi medium ſe ſe opponere, vt Exod.14. *Stetit Angelus inter caſtra Ægyptiorũ, & caſtra Iſrael:* nunc demiſit eum poteſtati hoſtium & voluntati. ¶ *A facie inimici.*] Id eſt, non extendens eam contra faciem inimici, ſeu contra inimicos Iſraelis. ¶ *Et ſuccendit in Iacob quaſi ignem flammæ deuorantis in gyro.*] Id eſt, Ita deuaſtauit

Deut.25. Cornu in ſcript. robur & fortitudo, & gloria.

Ezech. 29.

Pſal.17. Deus omnis gloria Iſrael.

Pſal.3.

Exod.14.

ſtatum

ſtatum Iudaicum & regnū, quomodo ſolet ignis abſumere ea quæ corripuerit circumquaque, vt nullus pateat exitus ad euadendum incendium: ſed quoquo te vertas, in ignem incurras. Tropologicè quoq; Deus iratus peccatori impœnitenti, amputat cornu & robur, vt iam non valeat ſpiritualibus nequitiis reſiſtere: ſed per varia peccata captiuus trahatur: & auertit retro dexteram auxilij & fauoris ſui, non compeſcens, ſed ſæuire & decipere permittens aduerſarias poteſtates: & omnes gratias, & munera ſua per concupiſcentiarum ignem, patitur interire peccātibus, & donis ſuis abutentibus.

Ira Dei ſuper peccatorē impœnitētē

ד *Tetendit arcum ſuum, quaſi inimicus: firmauit dexteram ſuam, quaſi hoſtis: & occidit omne quod pulchrum erat viſum in tabernaculo filiæ Sion: effudit quaſi ignem, indignationem ſuam.*

¶ *Tetendit arcum ſuum.*] Id eſt, arma ſua bellica exercuit, in deuaſtanda & profliganda Hieruſalem. Olim enim plurimus vſus erat ſagittariorum in bello: vt arcus pro omni armorum genere ponatur. Vnde. 2. Reg. cap. 1. *Præcepit Dauid, vt docerent filios Iuda arcum*, id eſt, vſum armorum. Ergo tetendit, id eſt, armauit arcum ſuum, & petiit me ſagittis ſuis, atque confixit. Intelligit autem exercitum Chaldæorum à Domino excitatum, atque immiſſum in Iudæā: qui quoniā ſpiculis & ſagittis vulnerabāt, comparantur muſcis

Arcus pro omni genere armorum. 2. Reg. 1.

& apibus, aculeo infixo mordentibus, Isai.7. *Sibilauit Dominus muscæ Ægypti, & api Assur, & venient &c.* Et cap.5. *Sibilauit ad eum de finibus terræ,* id est, ad exercitum gentium. *Et festinus veniet, sagittæ eius acutæ & omnes arcus eius extenti &c.* Non satis igitur fuit furori Domini, quòd dexteram suã auertit à facie inimicorũ Iuda, sed eam etiam in ipsum Iudam conuertit. ¶ *Quasi inimicus.*] Id enim non iam ad corrigendũ & emendandũ, more paterno, sed ad destruendũ & perdendũ, more hostili. Vnde Hier. obsecrat c.10. *Corripe me Domine, verùm tamẽ in iudicio,* id est, cum iudicio & moderatè ad emendationẽ, more paterno. *Et nõ in furore tuo)* id est, non more inimici, & animo hostili) *ne fortè ad nihilũ redigas me &c.* Quare presẽs versiculus magis posteriori excidio conuenit, quàm priori: nã priori illo emãdati sunt, & in gratiã recepti: at hoc posteriori, non modò non emẽdati, nec in gratiã aut in patriã restituti: sed in dies peiores euadũt & miseriores. Qui igitur castigante paternè Deo nõ emendatur, hostiliter vlciscente, cruciabitur. ¶ *Firmauit dexterã suam.*] Vel refertur ad directionẽ sagittæ, vt certo ictu feratur, & locũ destinatũ percutiat: id quod nõ fit nisi arcus firma & non vacillante manu teneatur: Vel (quod magis placet) ad percutiendi perseuerantiam, vt intelligas sententiam irreuocabilem, & plagam insanabilem. Nam arcus, vt firmiter teneatur magis, sinistræ manus est, quàm dextræ: Dextræ autem manus est, gladio aut hasta percutere, aut flagellare: Vnde Isaiæ cap.5. vers. 25. *In his omnibus,* id est, cum his omnibus, *non est auersus furor*

Isai.7.

Isai.5.

Hier.10.

Deus vt pater despectus, vt hostis tolerabitur.

Isai.5.

eius; sed adhuc manus eius extenta, id est, parata & prompta ad percutiendum, & quasi obfirmata. Paraphrastes habet: Stetit, seu constitit manu dextra Nabuchodonosoris,& exercitus eius, veluti coangustans populum suum Israel &c. Sed magis congruit Tito & Romanis, vti diximus. ¶ *Quasi hostis.*] כצר quasi angustata, id est, in arctum cogens quod maximè intendunt hostes. Et certè in vtroque excidio Iudæi, in arctũ coacti sunt intra muros Hierusalem, arctissima circunsessione obsessi. ¶ *Et occidit omne quod pulchrum erat visu.*] Hîc pausam faciunt Hebræi. Verbum occidẽdi הרג refertur ad omnia viuentia, etiam non sentientia, id est, ad plantas vt

Psal. 77. Psal. 77. *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Vnde hoc loco etiam ad plantas accommodari potest, non solùm adolescentes, & virgines. Nec obstat quòd loquatur de arcu, quo non occiduntur nisi animalia, quia per arcum, vt diximus, omne armorũ genus intelligitur. Nam Chaldæi ita Iudæam deuastauerunt, vt quasi in desertum eam redegerint. ¶ *In tabernaculo filiæ Sion.*] Id est, in templo, vel in tabernaculis, id est, in ædibus: vt sit singulare, pro plurali: & quamuis tabernaculum אהל significet habitaculum transmutabile, sumitur pro omni domo & habitatione etiam fixa & stabili, vt ibi: *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula*; id est, in domos & man-

Luc. 16. siones æternas, & fixas, atque intransmutabiles. ¶ *Effudit quasi ignem indignationem suam.*] Admonet R. Selomo construendum sic; Effudit indi-

gnationẽ ſuam, quæ eſt veluti ignis: quia verbum effundendi, non inuenitur cóiunctum cum igne: ſed cum ira, vel indignatione, frequenter. Vt Pſal. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, &c.* Porro ira Dei, id eſt, pœna & vltio, qua vlciſcitur peccatores, dicitur effundi, quando eſt multa, atque vehemens non iam ad corrigendum, ſed ad dãnandum. De qua ſub vẽti metaphora etiam dicitur Hierem. 4. *Ventus vrens, non ad ventilandum & ad purgandum, &c.* vt ibi expoſuimus. Quam etiam propheta deprecatur: *Domine ne in furore tuo arguas me.* Pſal. 6. Et Hier. 10. *corripe me, verumtamen in iudicio.*: vt ſupra citauimus. Et eodem prorſus modo dicitur ſtillare ira aut furor Dei in aliquem. Nam vbicunque in ſcripturis verbum ſtillandi accommodatur iræ, aut furori, in Hebraico non eſt נטף quod propriè eſt ſtillare & guttatim cadere, ſed נתך quod eſt fundi, aut effundi: quomodo funduntur metalla, aut effunditur aqua. Vnde 2. Paralip. 34. dicitur: *Magnus furor Domini ſtillauit ſuper nos,* id eſt, fuſus, ſeu effuſus eſt: nam magnus furor non propriè intelligitur, niſi qui ſemel totus funditur, non qui guttatim aut ſtillatim mittitur. Et paulo poſt, *ſtillabit furor meus ſuper locum iſtum, & non extinguetur, &c.* Comparatur autem ira Dei igni, propter eius vehementiam & efficaciam. Ignis enim omnium elementorum eſt efficaciſſimus: adeò vt ferrum etiam ipſum liquefaciat, & duriſſimos lapides in puluerem diſſoluat. Sic iræ & furori Dei nulla vis, nullum robur poteſt reſiſtere. Admonet autem te locus hic, quicunque hæc

Pſal. 78.

Hierem. 4.

Pſal. 6.
Hierem. 10.

Stillare guttatim iræ nõ conuenit niſi pro effundere.

2. Paral. 34.

Ira Dei quare igni comparetur.

legis,aut audis, vt memineris conditionis & naturæ tuæ.Talis enim factus, vt posſis Deum habere & amicum,& inimicum,& tu ipſe itidem ei eſſe & amicus,& inimicus;quippe qui mente, & ratione ſis præditus,qua capax & beatitudinis & virtutis; quibus cum ipſo Deo communicationem & familiaritatem habere potes, iuxta illud Pauli ad Philipp. 3. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*, id eſt, cum Deo eſt. Nam Hebræi nomine cœli Deum intelligunt, vt cùm Dominus interrogabat,baptiſmus Ioannis de cœlo erat,an ex hominibus.Et.1.Cor.1.*Fidelis Deus,per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius.* Vnde etiam ait:*Iam nõ dicam vos ſeruos, ſed amicos meos: quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.* Ioannes.15. Qui autem Deum amicum habet, omnia bona habet: cùm amicorum omnia ſint communia,omniaque bona Dei ſint,& ipſe ſummum bonum.Contra verò qui Deum inimicum habet, omnia contra ſe habet.Omnia enim Deo parent,ad vltionem inimicorum eius;adeò vt ipſemet peccator ſibi ipſi ſit vel maximus inimicus,& ſui ipſius vltor,dum cogitur damnatus ſemper recordari, & recogitare, à quãta fœlicitate exciderit:quod ipſi eſt maximum ſupplicium. Cur enim cogitat iſta damnatus, ac non cogitationem ab eis auertit, quæ ipſum excruciant: nempe cogitur ab ipſo Deo eſſe ſui ipſius vltor & carnifex.Cùm igitur aliqua tibi inceſſerit libido, vt te à Dei amicitia alienet, veniat in mẽtem hic verſiculus,eſt enim magnæ virtutis & efficaciæ ad continendum hominem in Dei obſequio.Tetendit arcum ſuum quaſi ini-

Philip.3. *Hebræi nomine cœli Deum intelligunt.*

1.Cor.1.

Ioan.15.

Ad retundẽdam libidinem Deũ cogitare vltorem.

micus

micus:firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis. Attende Deum arcum extendentem,& ſagittam in cor tuum dirigentem, vt te occidat, ſi ipſum offenderis. Et quòd non committeres homine taliter comminãte,multò magis ne committe comminante Deo, qui ſententiæ atque iudicij ſui ſagitta,poteſt mittere animam ſimul atque corpus in gehennam, vbi nihil pulchrum manebit in tuo tabernaculo,nihil iucundum:ſed omnia fœdata, omnia mœrorem, & moleſtias adferentia perpetuas & intolerabiles, & tamen omnino tolerandas; quia Dominus Deus inimicus effundet in te,quaſi ignem, indignationem ſuam. Potius igitur operare vt amicum habeas,& conuerſatione eius iucũdiſſima fruaris; & eum diligas; mandata eius ſeruando.

ה *Factus eſt Dominus veluti inimicus, præcipitauit Iſraël; præcipitauit omnia mœnia eius; diſsipauit munitiones eius: & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.*

Eandem ſententiam inculcat ac repetit more plangentium. ¶ *Factus eſt Dominus veluti inimicus.*] Dominus nomen eſt dominij, id eſt, אדני factus eſt veluti inimicus,id eſt,geſſit ſe, in puniẽdo ſynagogam, non paternaliter & amicè, tanquam ad corrigendum & reuocandum, ſed hoſtiliter & cum rigore,ad vlciſcendum. Quæri poteſt an Deus ſit re vera inimicus peccatoribus,

an ſolum veluti inimicus, id eſt, ſimilis inimico? Ad quæ dicendum, quòd in ſcriptura ſimpliciter & abſolutè vocatur inimicus malorum & peccatorum, vtique quatenus mali & peccatores ſunt. Qua in re, tria diſtinguenda ſunt: Homo ipſe, aut angelus: peccatum, ſeu culpa: & homo peccator, aut angelus peccator: compoſitè. Culpam & peccatum Deus odio habet, per ſe. Naturam ipſam in qua eſt culpa aut peccatum, amat etiam, quia bona eſt: vnde etiam eam conſeruat. Non tamen amat eam, amore amicitiæ: quia non eſt inter Deum & talem naturam communicatio ea, quæ eſt inter amicos, id eſt, inter Deum & hominem aut angelum: in quo ineſt culpa: ſed amat talem angelum, etiam aut hominem, eo amore quo amat & bruta animãtia, & res etiam inanimatas: quatenus conſeruat ea ad vtilitatem beatorum, & ſui ipſius gloriam. Angelum verò peccatorem, & hominem peccatorem, coniunctim, Deus odio habet, vt inimicos, & verus inimicus: ſicut hominem iuſtum, & angelum iuſtũ diligit, vt amicos: quia vt horum eadem eſt voluntas, & idem velle atque idem nolle, ſic in illis aduerſariæ ſunt voluntates, & ſtudia contraria: niſi quod Deus iuſtè eſt inimicus peccatoribus, quia iniurij ſunt in ipſum, & odium re vera merentur. At peccatores, nullo iure ſunt Deo inimici, quippe quem deberẽt plus quàm ſeipſos diligere. Et idcirco ex parte Dei iuſtum eſt odium in peccatores, iuſta inimicitia, iuſta damnatio: ex parte autem peccatoris, iniuſta ſunt omnia, & impia & ingrata. Cõtemnit enim ſummam æquitatem, ſummã beni-

Culpam & peccatũ Dominus odio habet per ſe.

Hominem ſeu angelũ in quo ineſt peccatum, quo amore Dominus amat.

gnitatem, & summam beneficentiam: aduersùs iustissimum iudicem iniquus: aduersùs optimum Dominum atque parentem, impius: aduersùs bonorum omnium largitorem, ingratus. Sed vt magis intelligatur quàm maligna sit culpa, quærimus, an magis Deus naturam amet, quàm culpam odio prosequatur. Diximus enim in peccatore duo esse, naturam, quæ bona est, & à Deo amatur: & culpã, quæ mala est, & à Deo odio habetur. Ex opere rem cognosce. Si Deus adeò amaret naturã, vt etiam propter ipsam peccatorem, quia naturã bonam habet, ad gloriam perduceret cum culpa, pluris faciens amorẽ naturę, quàm odium culpæ, auderem confirmare plus Deum amare naturam, quàm odisse culpam. Nunc autem, cùm videam eum etiam bonam, tum hominum, tum angelorum naturam & substantiam, in tartara deiicere & damnare, propter consortium culpæ, cogor dicere plus Deum odisse culpam, quàm naturam amet. Cur enim, ô Domine iustissime, hominem atque angelum in infernũ damnas, & in ignem æternum, quia peccator est? At cur non potius hominem & angelum in gloriam deducis, quanuis peccator sit, eò quòd homo est & angelus? quoniam magis odi peccati malum, vt propter ipsum naturã etiam bonam damnem, quàm naturæ bonitatem amo, vt propter ipsam etiam malos angelos, aut malos homines, in gloriæ meę participationẽ adducam. Vritur igitur in igne æterno homo & angelus, quoniam culpam habet: non coronatur in cœlo, quòd naturã bonam habeat. Natura enim & pœnæ, & gloriæ

Plus Dominus odit culpam quàm amet naturam etiã si bonã, in qua inest culpa.

communis & particeps eſt:mores diuidunt,& in contraria ducũt. Igitur non ex eo quòd naturam vel humanam vel angelicam habemus, beati ſtatim ſumus:quamuis ex naturis creatis hę ſint excellentiſſimæ:ſed ex eo quod huic naturæ bonos mores coniunctos habemus ; id eſt, ex eo quod Conditorẽ Deũ diligimus, & mandata eius ſeruamus. Ergo cùm abiectiſſimum vermiculũ creueris,non ilico te extollas, quaſi ad imaginẽ Dei factus, ſed vide & caue ne peioris etiam cõditionis ſis, quàm pulex iſte,aut cimex, aut etiam pediculus.Hæc enim beſtiola cùm obierit,finem facit omnium malorũ ; nec vllum iam malum ſentit:at tum,quamuis homo ſis,quãuis Rex,quamuis Imperator,quamuis ſummus Pontifex,ſi bonos mores non habueris, malorum finem, moriendo non inuenies ; ſed principium. Vt enim delectationes omnes, & omnia gaudia huius vitæ, cum futura gloria comparata nihil ſunt, ſed gaudiũ & delectatio conſummata poſt mortem incipit:ſic omnes miſerię & dolores huius ſęculi cum futuris comparati, nullius momẽti ſunt; ſed tunc verus dolor incipit, cùm ſinè fine dolendus aduenit:Id quod ſolùm poſt mortẽ fit.Nam ante mortem vt gaudiorum, ſic etiam mœrorũ viciſſitudo eſt. *Quomodo Dominus inimicus peccatorib. ſit. Exod. 23.* Sed illud quod expectare adhuc lector videtur, cõprobemus:hoc eſt, quod Deus inimicus ſit peccatoribus. Exod. 23. Loquitur Dominus cum Iudæis, dicens, *Ego mittam angelum meum,qui præcedat te. Si audieris vocẽ eius, inimicus ero inimicis tuis,& affligã affligentes te,&c.* Et Iſa.63. *Iſa.63.* *Afflixerunt Spiritum ſanctum Dei,& factus eſt eis in*

inimi

inimicum (id eſt, factus eſt eis inimicus, phraſi Hebraica) *& ipſe debellauit eos*. Et Hiere. 30. *Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli*. Huc etiã accommodant quidam illud Sap. 14. *Similiter odio ſunt Deo, impius & impietas eius*. Vbi quamuis impietatem appellare videatur, non ipſam culpam, ſed opus ex culpa procedens, verbi gratia, idolum, tamen certè affirmat, non ſolùm opus impij Deo eſſe odio, ſed ipſum etiam impium. Quòd ſi idolum dicitur eſſe opus impij, multò magis ipſamet culpa, per quam fit idolum, impietas eſt, & opus impij. Pſalmiſta etiam dicit, *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*. Atqui, qui operantur iniquitatem, homines ſunt aut angeli: non ſolùm igitur iniquitatem odit Dominus, ſed etiam eos quibus coniuncta eſt iniquitas. Quemadmodum ſolemus cibum, aut potum aut vnguentum, quo alioqui maximè capimur & delectamur, odiſſe, & proiicere, propter muſcã, aut alium vermem, aut aliquid aliud abominabile adiunctum. Vnde Eccleſiaſtes ait cap. 10. muſcę morientes perdunt ſuauitatem vnguenti, id eſt, faciunt vt vnguentum alioqui bonum, & pretioſum, non ſit ſuaue & iucundũ, ſed ingratum & abominabile. Quod autem dicitur in pręſenti: factus eſt Dominus velut, ſeu quaſi inimicus, particula quaſi non ſemper ſimilitudinem ſignat, Sed veritatem. Vt cũ dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre*. Id eſt, vidimus maximam gloriam eius, vt pote gloriam vnigeniti à patre procedentem. Sciendum tamen quòd Deus nemini eſt in hac vita inimicus irreconciliabilis, ſed ſolùm in

Hier. 30. *Sap. 14.* *Pſal. 5.* *Eccleſ. 10.* *Ioan 1.*

futura. ¶ *Præcipitauit Israel.*] Id est, destruxit & euertit. De hoc verbo supra diximus, in Beth. *Præcipitauit omnia mœnia eius:* mœnia sunt non solùm ornamētum murorum, sed etiam ciuiū & militum tutela. Interdum capiuntur pro muris
Cicero. 3. de nat. Deo. ipsis. Vt Cic. lib. 3. de nat. deor. *Diligentiorę́q; vrbem religione, quàm ipsis manibus cingitis.* Dicta sunt à muniendo, quasi munia, quoniam veteres œ &
Ser. lib. 10. Æneid. æ & v. veteres indifferenter ponebant. v. indifferenter ponebant, teste Seruio libro 10. Æneidos, vbi Virg. mœrorum dixit pro murorum. Heb. est כל ארמנותיה id est, omnia palatia eius, id est, ædes altas & præcelsas, veluti turres & arces, & pronomen, eius, est fœm. gen. refertur enim ad Synagogam secundùm sensum L X X. πάσας τὰς βάρεις αὐτοῦ, id est, omnes turres eius. ¶ *Dißipauit munitiones eius.*] Pronomē, eius, est masc. gen. refertúrque ad Israel. ¶ *Et repleuit.*] id est, multiplicauit & cumulauit, quasi plena mensura & redundante, Heb. וירב pro וירבה id est, & multiplicauit. Sic etiam L X X. ϗ ἐπλήθυνε. ¶ *In filia Iuda.*] id est, in synagoga Israel, seu Iuda, præcipuéque in Hierusalē metropoli. ¶ *Humiliatum & humiliatam.*] id est, fecit vt multi vtriusque sexus humiliarentur, & viliter tractarentur à superbis victoribus, infra cap. 5. Mulieres humiliauerunt in Sion, & virgines in ciuitatibus Iuda. Adolescentibus impudicè vsi sunt, &c. Hebræi substantiuè legunt, תאניה ואניה id est, luctum & luctū. Sunt enim duo nomina idem significantia, vel mœrorem & mœstitiam. Eadem nomina
Isa. 29. Isa. 29. *Et erit tristis & mœrens:* multiplicauit ergo Dominus in Hierusalem luctum, mœrorem &

planctum ſenum, adoleſcentum, atque virginum, dum vbique humiliantur, & miſerè atque fœdè à barbaris & inſolentibus victoribus tractantur, præſertim quando primùm capta eſt ciuitas.

Quando diuerſo miſcentur mœnia luctu.
Exoritur clamorq́; virûm, clangorq́; tubarum,
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Virg. Æneid. 2.

Debemus igitur iuſtitiam colere, & diuinum fauorem bonis moribus promereri, ſi ſtare volumus: & ſi nos, & omnia noſtra luctu & gemitu implere nolumus. Quis enim poſſit pro dignitate, non dico explicare, ſed cogitare, quantus & qualis erit infelicium peccatorum luctus; quando audita illa horribili ſententia, Ite maledicti in ignem æternum, in tartarum præcipitabuntur? O térque quatérque infelices, qui pro tam modica, & tam breui huius vitæ voluptatum vſura, tam intoleranda ſibi ſupplicia, eáque perpetua conciliauerunt.

ו *Et diſsipauit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum: obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem, & Sabbathũ, & in opprobrium, & indignationem furoris ſui regem, & Sacerdotem.*

¶ *Et diſſipauit.*] ויחמום id eſt, כרות excidit, iuxta R. Selomo, citat Iob. 15. *Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius.* Pro quo Rabinus

Iob 15.

legit,

legit,excidet(nimirũ Deus)ſicut vitis,vuam acerbam eius. Et eſt ſenſus. Excidit tentorium ſuum, & deuaſtauit; eo modo quo ſolet hortus excidi & deuaſtari, quando leguntur, & abſcinduntur holera eius, relinquitúrque veluti deſertum & inamœnum. Sic Ioel. 2. *Quaſi hortus voluptatis terra corã eo, & poſt eum ſolitudo deſerti.* D. Thom. refert ad facilitatem, quod dicitur, diſsipauit quaſi hortum, qui facilè deſtruitur. Paraphraſtes: Eradicauit tanquam hortum. Hortum autem vocant Chaldæi גִינְתָא Ghinta, vnde nos Luſitani ſumpſimus nomen *Kinta* pro horto & pomario.

Ioel. 2.

¶ *Tentorium ſuum.*] Id eſt, templum ſuum. Vnde Paraphraſtes habet, Et eradicauit vt hortum domum ſanctitatis ſuæ (id eſt, domũ ſanctam ſuam) deſtruxit locum deſtinatum ad propitiandum populo ſuo, &c. Quaſi dicat: Quoniam repulit preces & ſacrificia Iudæorum, quibus antea placari & propitiari ſolebat. Deſtruxit etiam templum, locum dedicatum ad illa offerenda. Hieronymus tentorium accipit, illud quod Moſes in deſerto fabricauit. Tabernaculum autem, templum quod Salomon, in terra repromiſsionis ædificauit. Et certè quidem Iudæi vtrumque habebant, nunc autem neutrum habent, vtrumque perdiderunt: neutrum nec ſibi, nec aliis oſtẽdere poſſunt. Sed eſt quoddam tentorium, quod non diſsipatur: quoddam tabernaculum, quod nemo iam demoliri poteſt. Dominus enim Ieſus, poſtquam à mortuis reſurrexit, iam nõ moritur, mors illi vltra non dominabitur. Ad hoc tabernaculum confuge Iudęe, & tutus eris à turbine, & ab æſtu.

Nam

Nam ſuper omnem gloriam protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatẽ,& abſconſionem à turbine,& à pruina. Qui legit,intelligat. Iſa.4.Gloriam appellat Propheta omnem cœtum, & omnem ſocietatem, & congregationem fidelium. Nam quamuis vnuſquiſque fidelis per ſe gloria Dei ſit, multò magis gloria Dei eſt,quæcunque ſocietas,& congregatio fidelium. *Vbi enim*, inquit, *fuerint duo vel tres congregati in nomine meo,ibi ſum ego in medio eorum*. Matth.18. Nota verba,ſigna, myſteria. Cur non dixit, Vbi fuerit vnus in nomine meo? Certè ſi vnus ſolus inuentus fuerit fidelis in medio multorum fidelium, ibi erit Dominus,non in medio eorum, quaſi in medio amicorum, ſed erit cum ſuo fideli. Amat enim ſocietatem ſuam, id eſt, multos fideles in ſuo nomine congregatos: ſed non deſerit vnitatem, id eſt, vel vnum fidelem multorum infidelium impietate circunuentum. Sæpe enim vnus ſolus martyr, multorum infidelium ora pudefecit,& non ſolùm vana argumenta,ſed etiam tormenta contempſit. Vincit autem, qui contẽnit,contẽnit parua,qui maiora cogitat.

Iſa. 4.
Congregatio fidelium gloria Dei.
Matth. 18.
Amat Dominus ſocietatẽ fideliũ, ſed non deſerit vnitatem.

¶ *Demolitus eſt tabernaculum ſuum.*] שחת מועדו deſtruxit Eccleſiam ſuam,id eſt,domum ſanctam ſanctorum,in qua conueniebat filios Iſrael,& ab eiſdem conueniebatur,à verbo יעד quod eſt conuenire ad certũ tempus,aut certum locum,vnde Exod.25. ונועדתי לך שם id eſt,& conueniam te ibi, pro quo nos legimus, Inde præcipiam. Erat enim locus conſecratus Deo conueniendo aut alloquendo, ex quo reſponſa dabat: vt conſtat ex

Exod.25.

dicto loco Exodi. Et quoniam in templo præcipuè festa celebrabantur, eo destructo cessau erunt etiam ipsa. Vnde consequenter subiungit. ¶ *Obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem.*] שכח יהוה בצין מועד obliuisci fecit in Sion panegyrim,& celebritatem festorum. Paraphrastes exponit חדית יומא טבא gaudium diei boni. Bonum autem diem vocant diem festum, & festiuum. ¶ *Et Sabbathum.*] Nominatim mentionem fecit Sabbathi, quoniam erat quasi assidua Solennitas septimi cuiusque diei. Et alia etiam festa Sabbatha dicebantur. ¶ *Et in opprobrium.*] Repere verbum, tradidit. Hebræi legunt. וינאץ בזעם אפו מלך וכהן abiecit,reprobauit, abominatus est per iram furoris sui Regem & Sacerdotem. Igitur vniuersam Remp. Iudaicam deleuit. Vniuersa enim atque omnis Respub. his duabus partibus constat, id est, regno & sacerdotio. Rex enim aut princeps administrat temporalia, quæ ad regni pacem & prosperitatem pertinent: Sacerdos autem, spiritualia, id est, ea quæ pertinent ad cultum Dei. Et quoniam Reges in administranda repub. iniqui erant,& sacerdotes in sacris
Isai.1. prophani & impij, idcirco vtrosque cum suis ministeriis abiecit, & honore priuauit. Vnde Isa. 1. *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus,&c.* & infra: *Principes tui infideles, socij furum, &c.* Erat enim in vtroque statu corruptissima Respub. Iudaica & à planta pedis vsque ad
Isai.1. verticem capitis, non erat in ea sanitas. Eodem cap. 1. Isaiæ. Nos quoque vigilemus in administrando Regno nostro & Sacerdotio, vt taberna-

culum

culum corporis noſtri, quod eſt templum Dei, mundū, purum, & ſanctum cōſeruemus, & in eo Deū glorificemus, & portemus. 1. Cor. 6. Vnuſquiſque enim fidelis & Rex eſt, vt per rationē regat irrationabiles appetitus & cupiditates: & Sacerdos, vt Deo offerat quotidie ſpirituales hoſtias. i. orationes & gratiarum actiones. 1. Pet. 2.

2. Corinth. 6.

1. Pet. 2.

7 *Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius: Vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolenni.*

¶ *Repulit.*] זנח id eſt, longè fecit, procul remouit à ſe, quaſi rem odioſam, ſibi ingratam & moleſtam. Iſa. 1. *Incenſum abominatio eſt mihi: calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, &c.* ¶ *Dominus.*] Nomen dominij אדני vt iratum in malos ſeruos dominum intelligas. ¶ *Altare ſuum.*] Non recipiens, nec acceptans materiales hoſtias ex corde impuro, & manibus ſanguinolentis, id eſt, rapina pauperum & ſanguine innocentum plenis. ¶ *Maledixit.*] נאר id eſt, בטל Iuxta R. Selomo. id eſt, ceſſare fecit, ceſſauit, citat Pſal. 89. Caſſaſti pactum ſerui tui. נארתה ברית עבדך Vbi nos, Auertiſti teſtamentum ſerui tui. Et Hieron. Attenuaſti pactum ſerui tui. Et LXX. κατέστρεψας, id eſt, ſubuertiſti, aut finem impoſuiſti. Rabbi Dauid exponit, Elōgaſti, & remouiſti à corde, id eſt, הרחקת

Iſa. 1.

Pſal. 89.

והשלכת מן הלב Et est quasi repetitio superioris dicti. Repulit Dominus altare suum, proiecit de corde suo sanctuarium suum. Alij interpretantur השחית id est, destruxit, deuastauit. Paraphrastes בעט id est, pedibus conculcauit, calcauit, id est, calcandum dedit & dimisit. Atque hæc omnia in idem redeunt. Significant enim Deum abiecisse cultum Iudaicum, & templum, & altare, tanquam rem sibi ingratam & molestam. Deus autem dicitur maledicere iis rebus, quas destrui vult & perire: vt cùm maledixit ficui, & statim aruit. Sic intelligamus omnes ceremonias Iudaicas cassas esse, aridas, & maledictas. Sic Malach. 2. *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes: Si nolueritis audire; & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituũ mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor, &c.* Quid igitur proficis vel tibi, vel misero populo, Iudaice sacerdos, vel potius sacerdotij vanitas? Ecce Dominus maledicit benedictionibus tuis. Tu benedicis, Deus maledicit. Vtrum valiturum putas? ¶ *Sanctificationi suæ.*] מקדשו id est, sãctuario suo, id est, tẽplo suo, quod erat sanctum, id est, consecratum & destinatum diuino cultui. Sed Deo non capitur pulchritudine & structura lapidea, sed structura & pulchritudine cordis & conscientiæ. Vnde Marci 13. cũ Domino diceret vnus ex discipulis suis, *Magister aspice quales lapides, & quales structuræ, Templum volens commendare: respondit Dominus: vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis*

Malach. 2.

super

ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Quaſi dicat, Ne mireris, neque laudes mihi externam pulchritudinem. *Homines enim vident quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* 1.Reg.16. ¶ *Tradidit in manus inimici muros turrium eius*] הסגיר ביד אויב חומת ארמנותיה conclusit in manũ inimici, id eſt, tradidit in poteſtatẽ Chaldæorũ, ſinè ſpe euaſionis. Nam id eſt, cõcluſit. ¶ *Muros turrium eius.*] id eſt, muros turritos eius, id eſt, Hieruſalem: quaſi dicat, nihil ei profuerunt muri turriti, & firmis atque præcelſis arcibus communiti: quoniam niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilant, fruſtra muniunt homines. Sed quærat aliquis, num liceat fidelibus cingere muris vrbes ſuas: videtur enim eſſe cuiuſdam diffidentiæ, cùm Dominum habeant propugnatorem. Vnde etiam ipſe iuſſit filiis Iſrael, vt equos in bello captos ſubneruarent, & currus cremarent, Ioſue 11. vt intelligerent non eſſe confidendum in multitudine curruum & equorum, ſed in Domino, qui potuit filiis Iſrael equos & currum non habentibus, victoriam concedere, contra innumerabilem equitum & quadrigarum multitudinem. Vnde Pſal. 32. *Fallax equus ad ſalutem*, & Pſal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri innocabimus.* Dicendum tamen, quòd cùm murorum tutela orta ſit ex humana induſtria, quæ naturali lumini rationis innititur, non improbatur à Deo ipſius luminis naturalis auctore. Vnde Ariſtoteles lib. 7. politicorum, damnat quorumdam vanam opinionem, qui cenſebant non eſſe vrbes muris muniendas, ſed mili-

1.Reg.16.

Ioſu.11.

Pſal.32.

Pſal.19.

Ciuitates muro cingere nõ cõtradicit fiduciæ in Deo.

Ariſt.7.Politic.

tum robore & fortitudine. Vbi enim ſemper ciuitas & numero & robore militum eſſet ſuperior, fortè non eſſent neceſſarij muri. Sed cùm ſæpe contingat, vt qui vrbem oppugnant, ſint & numero & fortitudine multis partibus ſuperiores, neceſſaria eſt humana induſtria, id eſt, murorum tutela, vt arte ſuperentur, qui viribus ſuperant & numero: contrarium autem facere, eſſet apertè Deum tentare. Et conſilium Neſtoris ſaluti fuit Græcis, præcipientis murum duci, ad Troianorum impetum arcendum. Vnde & Iudæi, Domino approbante, murum Hieruſalem ædificauerunt. 2. Eſdræ cap. 4. Quòd autem Dominus iuſſit equos ſubneruare, ſolùm docere voluit, in ſe eſſe fiduciam habendam: non tamen damnare voluit humanam induſtriam. Oportet enim ſimul cum ſtudio & labore humano, Deum orare ſalutis auctorem: non autem dormientes, & nihil agentes ſalutem noſtram Deo commendare. Et, tamen quantumuis induſtriæ & laboris adhibeamus, niſi fauor diuinus adſit, fruſtrà fiunt omnia. ¶ *Vocem dederunt in domo Domini.*] id eſt, Hoſtes Iudæorum clamauerunt, lætabundi in templo, cùm ipſum deſtruerent & incenderent.] ¶[*Sicut in die ſolemni.*] כיום מועד id eſt, ſicut ſolebant Iudæi ipſi cantare, & vociferari præ lætitia in ſuis feſtis & ſolennitatibus. Paraphraſtes habet, Sicut in die Paſchæ. Nam eo die erat Iudæis in templo magna feſtiuitas & lætitia: ſed
Malach. 2. completum eſt in eis illud Malach. 2. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum, &c.* Et Amos 5. *Odi & proieci feſtiuitates ve-*
Amos 5.

ſtras:

ſtras: Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam,&c.& cap.8. *Couertam feſtiuitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum,&c.* Nos quoque ſi volumus vt Deus non repellat altare cordis & corporis noſtri, legitimè ei in eo ſacrificemus: alioqui maledicet ſanctificationi ſuæ, & omnis noſtra ſanctitas in abominationem couuertetur: & quidquid firmum in nobis erat, aut eſſe videbatur, in inimicorum poteſtatem traditur: qui vbi nos poſſederint, vocem dabunt & exultabunt, noſtram miſeriam ſuorum gaudiorum materiam faciẽtes.

ח *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.*

¶ *Cogitauit.*] Id eſt, decreuit ex multis iam diebus Hierem. 32. *In furore & indignatione mea facta eſt mihi ciuitas hæc, à die qua ædificauerunt eam vſque ad diem hanc, qua auferetur de conſpectu meo, propter malitiam filiorum Iſrael, &c.* ¶ *Dominus.*] Nomen eſt tetragrammaton, ſignificans miſericordiam, qua diſtulit tandiu vindictam & ſupplicium. ¶ *Diſſipare murum filiæ Sion.*] id eſt, priuare Hieruſalem & ſynagogam omni pręſidio & tutela, non ſolùm corporali, vt eſt mœnium & arcium, ſed etiam ſpirituali, & angelorum. Iſa. 5. *Auferam ſepẽ eius,&c.* ¶ *Tetendit funiculum ſuum.*]

Hiere. 32.

נטה קו extendit lineam vel funiculum. Pronomen (suum) non est in Hebraico, nec in Paraphraste, qui habet מטא משקולתא id est, extendit perpendiculum. Et LXX. ἐξέτεινε μέτρον, extendit mensuram. Propriè קו est linea, seu filum, quod fabri extendunt iuxta parietem, vt rectè ædificent. Vnde nostri vocant *huma fiada*: quantum parietis ædificatur immoto filo, & non mutato. Nunc autem huiusmodi filum accommodatur destructioni, non ædificationi: vt intelligas, Quemadmodũ fabri ad filum ædificãt, vt rectum ædificium faciãt: sic etiã Dominum ad filum destruere, quæ ædificata sunt, id est, iusto rectóque iudicio, vt non plus pœnarum irroget, quã culpa mereatur: imo etiã minus. *Iuxta mẽsurã delicti, erit & plagarum modus*. Deut. 25. Eadẽ metaphora vtitur Isa. c. 34. de Bosra metropoli Idumęorum. *Extendetur*, inquit, *super eam mẽsura vt redigatur, &c.* Vnde D. Hieron. quoque exponit: Tetendit funiculum, hoc est rectam & condignam mercedem nequitiæ suæ reddere ei disposuit. ¶ *Et non auertit manum suam.*] id est, non reuocauit, non reduxit, non remisit potentiam atque vim suam vltricem & vindicatricem. ¶ *A Perditione.*] מבלע id est, à perdendo & destruendo adulteram synagogam, & incorrigibilem. Peccatores enim Deus corrigit, & emendat, obstinatos perdit. ¶ *Luxitque.*] id est, sua ruina & diruptione luctum fecit miseris in muris cõfidentibus. Heb. ויאבל id est, & excidit, dissipauit, destruxit, subaudi Dominus, de quo etiam dicebat, cogitauit, tetendit & non auertit. ¶ *Antemurale.*] id est,

Deut. 25.
Isai. 34.

murus

murus paruus, extra maiorem ædificatus, ad eius tutelam. Lusitanè *à Barba caam.* Iuxta Hebraicum, Antemurale accusatiui casus est, sic enim legunt: Excidítque antemurale, & murum, pariter dissipata seu excisa sunt, id est, יחדו אמללו quasi dicat, omni tutela denudata est Hierusalem, & sinè vlla defensione relicta. Et iuxta Hebraicum, destructio & excidium murorum & antemumeralis Domino assignatur, quia eius nutu à Chaldæis facta est. Vnius quoque cuiúsque animæ fidelis, quę solo nomine, & non factis vocetur filia Sion, de quibus dicitur, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Ad Titum cap. 1. Dominus murum dissipat, quando per seruos suos destruit munitiones, & consilia, & omnem altitudinẽ extollentem se aduersùs scientiã Dei. 2. Cor. 10. Et quod in primis mirãdum est, tũ maximè aduersariorũ machinationes & machinas dissipat, quãdo maximè sibi vidẽtur id quod optabant obtinuisse, veluti quum filium Dei cruci affixerunt. Ipso enim facto, & diaboli, & Pharisęorum eius ministrorum consilium euertit, quo Domini nomen conabantur extinguere. Murus noster est gratia Dei, qua saluamur, & sinè qua inimicorum furori, & ludibrio exponimur. Hunc murum Dominus dissipat, quando beneficiis suis ingratis eam aufert, & adimit. Antemurale dici possunt etiam humana auxilia, & angelorum tutela. Quibus pariter ingrata anima priuatur. Nemo se erigat contra Dominum. Nemo dicat firmissimo muro & antemurali circũdatus sum. Ad funiculum factus est murus arte humana: ad

Tropolog. de anima quæ solo nomine & nõ factis vocatur filia Sion. Tit. 1.

2. Cor. 10.

Murus noster gratia Dei.

Antemurale humana auxilia & angelorum tutela.

funiculum destruetur arte diuina: qui vt est in præmiis dandis benignissimus, sic in pœnis irrogandis æquissimus, tu tamen elabora, vt benignitatem eius potius in coronãdo, quàm in vlciscendo æquitatem experiaris, siquidem alterutrum te experiri tandem necesse est.

ט *Defixæ sunt in terram portæ eius, perdidit & contriuit vectes eius. Regem eius, & principes eius in gentibus, non est lex, & Prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino.*

¶ *Defixæ sunt*] טבעו id est, demersæ sunt, submersæ sunt, obrutæ sunt, sentiunt Hebræi portas Hierusalem fuisse in terram demersas, nutu Dei: ne venirent in potestatem hostium: eo quòd essent opus Dauidis. Item quod spõte sese aperuissent adueniente arca Domini, quando audierunt: *Leuate portæ capita vestra, & introibit Rex gloriæ.* Psal. 23. sed potius intelligitur portas humi deiectas & neglectas, humi fuisse obrutas ex ruina ipsorum murorum. D. Hieron. parabolicè nomine portarum & vectium, intelligit doctores & defensores synagogæ. Et D. Thom. portas Reges, quoniam eorum erat (inquit) potestas iudicij, quod in portis exercebatur. Et vectes principes: per eos firmatur regnum, vt vectes firmant portas: vnde inquit Thom. expositoriè subiungit, Regem eius, & principes eius. Potest tamen intelligi citra figuram de portis ipsis, de quibus su-

Psal. 23.

pra omnes portæ eius deſtructæ. ❡ *In terram.*] בארץ Prępoſitio Beth hoc loco, vt alibi quoque, valet, in, cum motu. Vnde & LXX. ἐνεπάγησαν εἰς τὴν γῆν. ❡ *Portæ eius.*] Addit Paraphraſtes, quoniam mactabãt porcum, & comedebant ſanguinem eius iuxta eas: quaſi publicè violantes legem. Et pronomen (eius) in toto verſu eſt. fœm. gener. refertur ad ſynagogam ſeu Hieruſalem. ❡ *Perdidit.*] Dominus, id eſt, confregit, vt mox expoſitoriè addit. ❡ *Vectes eius.*] id eſt, Repagula, quibus eius portæ claudebantur & obfirmabantur, *as traneas* Luſitanè, quaſi dicat, nullum firmamentum eis profuit, pugnante contra Domino. ❡ *Regem eius*] Subaudi, perdidit & confregit: Vel aliud verbum accommodatum ſubaudiri poteſt, id eſt, abduxit, depoſuit, remouit. Vt illud: Diſce puer virtutem ex me verúmque laborem: fortunam ex aliis. Subaudi, quærito. ❡ *Et principes eius.*] quaſi dicat, Vniuerſum ſtatum politicum euertit. ❡ *In gentibus.*] id eſt, inter gentes, ad quas tranſmigrauit captiuos Regem & principes ſynagogæ. ❡ *Non eſt lex.*] Iuxta illud Domini: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matth. 21. Vbi Hieronymus ait: Aliquoties dixi, Regnum Dei, ſcripturas ſanctas intelligi, quas Dominus abſtulit à Iudęis, & nobis tradidit, vt faciamus fructus earum, &c. Et eodem modo exponit in cap. 12. ad illa verba, Igitur peruenit in vos regnum Dei. Sunt itaque Iudæi exleges, quod eis maximè congruit in hac ſecunda & poſtrema deſolatione. Sed nonne quotidie legem voluunt & reuoluunt in ſyna-

Virgil. 6.

Matth 21.

Iudæi exleges.

gogis suis? Certè, & tamen sinè lege sunt,& exleges sunt. Neque magis legem habent,qui vbique terrarum Iudæi sunt, quàm regnum, qui in Iudæa sunt. Sunt enim in Iudæa captiui.Sic legis literam apprehendentes,scriptum eius ignorant. Itaque non legem habent, sed legis corticem. Veluti siquis nucũ putamina omni medulla vacua possideat,non nuces habere, sed cortices dicetur. Facta est igitur mutatio. Olim cùm Iudæi fideles essent,gentes erant,& dicebantur sine Christo & sine Deo, in hoc mundo ad Ephes. 2. & proinde sine lege: sed Iudæis ad infidelitatem prolabentibus,ipsi sine Deo & sine lege esse cœperunt, gentes eorum fidem atque legem regnúmque susceperunt. Qua de re audi Paulum gentes alloquentem ad Rom. 11. *Sicut aliquando* (inquit) *& vos non credidistis Deo,nũc autem misericordiã consequuti estis propter incredulitatem illorum,* (idest,Iudæorum.) *ita & isti,nunc non crediderunt in vestram misericordiã,&c.* Deo autem disponẽte fit vt Iudæi, inimici nostri, seruent & custodiant libros legis & Prophetarum, quos & nos habemus, ne cùm inde testimonia aduersùs sapientes mundi protulerimus, obiiciant, nos finxisse illas prædictiones, & prophetias ex iis rebus quæ acciderunt, ac existiment nos ea conscripsisse tanquam futura,vt fecit Poëta Virgilius, qui multa tanquam futura conscripsit, postquam contigisse vidit.Sed id nobis obiici non potest,qui aduersarium mittimus ad codices inimicorum nostrorum, ex quibus nostra proferimus testimonia: sic ferè August.in Psal.40.in fine & sæpe aliàs.Cum

Ephes. 2.

Rom. 11.

Libros legis quare Iudæi inimici nostri seruent.

hac

hac autem expoſitione qua exponimus, non eſt lex, id eſt, Iudæi priuati ſunt ſpiritu legis, & vera eius intelligentia, conſentit etiam Rabbinorum expoſitioni. Rabbi Selomo exponit: Non eſt lex, id eſt, non eſt in eis, ſeu inter eos, hoc eſt, Iudæos: docens doctrinam. Sic iſte: Nam Hebræis lex datur תורה quod propriè doctrina interpretatur. Docet enim lex quid credendum ſit ad ſalutẽ, & quid agendum. Si igitur non eſt apud Iudæos qui doctrinam legis doceat, certè legis ignorationem habẽt Iudęi. Quòd autem doctoribus careãt Iudæi: Dominus quoque apertè oſtendit, dicens ad eos Matth. 23. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes & ſcribas*, id eſt, peritos legis & ſcripturarum, *& ex illis occidetis & crucifigetis &c.* Vnde Iſaiæ 6. *Dominus præcipit, aut prædicit, dicens: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude &c.* Si igitur cor habent obeſum & excæcatum, aures aggrauatas & obturatas, & oculos clauſos, certè nec videre poſſunt quod doceant, nec audire ſi doceantur. Sunt igitur ſinè lege, id eſt, ſinè vero intellectu atque ſenſu legis. Rabbi don Ioſeph. etiam exponit, Et Rex eius & principes eius de Sion abierunt ad exulandum in gentibus, ſeu inter gentes: Et ſinè lege, quoniam interiit ſapientia ſapiẽtum eius. Et id totum, propter magnum furorem & indignationẽ Domini, aduersùs vniuerſum genus. Sic iſte. Meritò Iudæi perdiderunt ſapientiam, & facti ſunt inſipientes: quoniam occiderunt Chriſtum Dominum, nec eum recipere volunt, qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, &

Matth. 23.

Iſai. 6.

1.Corinth.1. sanctificatio,& redemptio. 1. Cor.1. Paraphrastes auté habet: Rex eius & Principes eius exultauerunt intergentes:propterea quòd non custodierũt legem,quasi non accepissent eam in monte Sinai, &c. ¶ *Et prophetæ eius.* Hebr. etiam prophetæ eius, id est, quos antea habebat, etiam veros. ¶ *Non inuenerunt visionem à Domino.*] Id est,prophetiam,& doctrinam, & illuminationem in rebus agendis: quamuis eam quærerent, negante Domino irato. Quemadmodum Sauli noluit respondere, etiam per Prophetam vel sacerdotem rogatus.

1.Reg.14. 1.Reg.14.& cap.28. dicitur. *Consuluit Saul Dominum & non respondit ei neque per somnia,neq; per sacerdotes,neq; per Prophetas &c.* Quare Saul à Domino derelictus, ad Diabolum abiit,id est, ad mulierem dæmonium habentem. Sic hodie Iudæi à veris Prophetis destituti Rabbinos consulunt, & eis fidem habent: qui nihil aliud sunt quàm dæmonum instrumenta & officina. Nos quoque caueamus; ne nobis similia contingant. *Non est enim personarũ acceptor Deus: sed in omni gẽte,qui timet eum,& operatur iustitiam,*

Act.10. *acceptus est illi.* Act.10. *Quòd si aliqui ex ramis de sua oliua fracti sunt,tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis,*id est,locum illorum, *noli gloriari aduersus ramos: Propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time: & vide bonitatem Dei in te,si permanseris in bonitate: alioqui*

Rom.11. *& tu excideris.* ad Rom.c.11. Ait enim,Tene quod habes, id est,fidem & gratiam, vt nemo accipiat

Apocal.3. coronam tuam. Apo 3. Nisi ergo perseueraueris vsque in finem, prosternentur in terram omnes

portæ

portæ tuæ, id eſt, denudaberis omni protectione angelorum: & conterentur vectes tui, id eſt, priuaberis omni robore & fortitudine ad reſiſtendum aduerſariis. Rex quoque tuus & principes tui, id eſt, omnes potētiæ animæ tuæ captiuæ ducentur in gentes, vt iam non piè viuas & fideliter, ſed gentiliter, tánquam gentes, quæ ignorant Deum: neſciens vas tuum poſſidere in ſanctificatione & honore, ſed in paſſione deſiderij. 1. Th. 4. & conſequenter efficieris exlex, & carebis illuminatione ſanctarum ſcripturarum. Tales enim nec legere, nec audire delectantur, niſi turpia & prophana, & ſuis moribus conſentanea. *1. Theſſ. 4.*

’ *Sederunt in terra: conticuerunt ſenes filiæ Sion: conſperſerunt cinere capita ſua: accincti ſunt ciliciis: abiecerunt in terra capita ſua Virgines Hieruſalem.*

¶ *Sederunt in terra.*] Quamuis Hebraicè ſcribatur ישבו futuri temporis, & verti poſſit, ſedebunt, vel ſedeant: tamen futura Hebræis pro præteritis pronũtur, vt hoc loco. Vnde & Paraphraſtes habet יתבין על ארצא id eſt, ſedent ſuper terra: & LXX. ἐκάθισαν εἰς τὴν γῆν, ſederunt in terram, id eſt, humiliati atq; deiecti ſunt, qui in thronis ſedere, & in pulpitis ſtare ſoliti erant: meritò autem coacti ſunt in terra ſedere, qui thronis & cathedris abuſi ſunt, neque cæleſtia ex ipſis, ſed terrena quærebant & aucupabantur. Hierem. 17. *Domine, omnes qui te derelinquũt, confundentur: recedentes à te in terra ſcribentur &c.* Hoc eſt, non erunt *Hierem. 17.*

de numero & catalogo illorũ de quibus dicitur, *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo: & sic semper cùm Domino erimus,* 1. Thess. 4. Rabbi Selomo refert ex libro Agada, Nabuchodonosor cùm Hierusalem cepisset, vocasse ad se Antiochiam Sanhedrin, id est, τοὺς συνέδρους, Iudæorũ, hoc est, Senatores & Iudices ordinarios: cúmque vidisset eos homines spectabiles & reuerendos, collocasse eos in sellis aureis, atque postulasse, vt sibi legem enarrarent: atque vbi ventum est ad caput, vbi agitur de votis, rogauisse, si quis voluerit retrocedere, retrocedet ne? eósque respondisse, Eat ad sapientem, & soluet seu relaxabit ei. Tunc intulisse regem: Vos igitur relaxastis Sedechiæ iuramentum fidelitatis, quam mihi iurauerat. Tunc iussisse vt in terram deiicerentur, alligatísque capitum comis ad equinas caudas, per terram traherentur. Sit fides penes autores. ¶ *Conticuerunt.*] Etiam futuri temporis est ידמו id est, taceant, vel tacebunt, sed pro præterito vsurpatur: Tacuerunt præ verecundia & pudore, nihil habentes quod dignè & rationabiliter dicere possent: quia non habuerunt spiritualem scientiam legis Dei. Sic enim fit, vt in periculo taceant & muti sint, qui extra loquaces erant, & gloriosi. ¶ *Senes filiæ Sion.*] Id est, Senatores Hierusalem: quorũ culpa capta & euersa est. Verbum (filiæ) genitiui casus est, numeri singularis, vt clarè constat ex Hebraico, vbi habetur בת pro quo Paraphrastes posuit more suo כנישתא id est, τῆς συναγωγῆς synagogæ. LXX. quoque habent θυγατρὸς, id est, filiæ in genitiuo.

1. Thess. 4.

Quid Nabuchodonozor fecerit Senatoribus Hierusalẽ.

Quare miror cur D. Hier. exponat tanquam ſit Nominatiuus pluralis: quem ſequitur D. Thom. Et Paſchaſius. Sed apparet Hieronym. non aſpexiſſe Hebraicum codicẽ, cùm locum hunc commentaretur. ¶ *Conſperſerunt cinere capita ſua.*] Ipſi ſenes in ſignum luctus & pœnitẽtię: Ad verbum eſt העלו עפר על ראשם Aſcendere fecerunt, id eſt, proiecerunt puluerem ſuper caput ſuum. Paraphraſtes addidit, Puluerem combuſtum, id eſt, cinerem qui eſt puluis vilior quàm ſi terra eſſet pura. Solebant autem in magno luctu & calamitate puluere ſeſe conſpergere, ſignificantes agnoſcere ſe puluerem eſſe, & in puluerem reuerſuros. Hie. 6. *Filia populi mei, accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum, &c.* ¶ *Accincti ſunt ciliciis.*] iidem ſenes. Malè in quibuſdam legitur, accinctę, genere fœminino: quoniam in Hebraico hîc fit pauſa. Deinde ſequitur de fœminis. ¶ *Abiecerunt in terra capita ſua Virgines Hieruſalem.*] id eſt, præ impatientia doloris ſeſe præcipitauerunt in terram, caput humi allidentes: implentes in ſe ipſis illam Iſaiæ comminationem. cap. 3. *Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extenſo, &c.* Admonet hic locus nos humilitatis, vt noſtram conditionem agnoſcamus luteam & pulueream: etſi ſuperbia inceſſerit, quòd ſimus facti ad imaginẽ Dei, deprimat puluis & lutum, ex quo tanquam parte noſtri eſſentiali conditi ſumus. Et quemadmodum Deus noſtram naturam ex humili & celſa temperauit, ſic nos virtutem noſtram quoque temperemus, vt neque ſimus

Cinis vilior quàm puluis.

Hierem. 6.

Iſai. 3.

Tropologicè humilitas cõmendatur ex cognitione noſtri.

prorſus humiles & abiecti, tãquam toti puluerei neque rurſus toti ſublimes & elati:ſed ad vitia & res viles, atque turpes contemnendas, ſublimes & ſuperbi ſimus:& animi noſtri conditionem ſapiamus & tueamur: ad patiendum verò ea quæ pro peccatis meremur, humiles ſimus & manſueti: & cinerem ac puluerem capitibus inſpergamus,id eſt,humiliatione, & abiectione dignos nos agnoſcamus,adeò vt ipſa etiam terra,quę infima eſt, inferiores & abiectiores nos eſſe iudicemus. Mediæ quoque partes noſtri, humiliationem cilicij ſentiant,quas mollia,& ſuauia ad illicita adduxerunt.

כ *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terra iecur meum, ſuper contritionem filiæ populi mei:cùm deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.*

¶ *Defecerunt.*] Id eſt, conſumpti ſunt, כלו ¶ *Præ lachrymis.*] Præ multitudine Lachrymarum:quaſi non valentes amplius plorare. ¶ *Oculi mei.*] Qui ſunt natura humidi, vt fontes:& inter plorandum colliqueſcunt. ¶ *Conturbata ſunt.*] חמרמרו de quo verbo cap. 1. diximus in Res. ¶ *Viſcera mea.*] Partes interiores præ dolore. ¶ *Effuſum eſt in terra iecur meum.*] Dura videtur metaphora: ſignificat verò omne gaudium amiſiſſe,cuius ſedes, vt & amoris, ponitur in iecore, quaſi dicat,cõtabuit & colliquefactum eſt,atque

Gaudij & amoris ſedes in iecore.

in terram effuſum,vt in maximis morbis contingit. ¶ *Super contritionem filiæ populi mei.*] Id eſt, propter dolorem, quem cepi & paſſus ſum propter perditionem Hieruſalem & populi Iudaici contritionem. Luſitanè *Deſtroço.* Vt cùm tempeſtate plantæ vel nauigia conteruntur, id eſt, in minimas particulas franguntur, ſic ſynagoga contrita & confracta eſt, vt ſit irreparabilis: cuius particulæ per totum orbem diſperſæ, non poſſunt denuo conuenire, neque vnquã poterunt, vt rurſus populum vnum, & rempublicam vnam conſtituant: quantumuis id ſibi falsò præmittãt, & ſperent. ¶ *Cùm deficeret.*] בעטף pro בהעטף id eſt, cùm angeretur, affligaretur. Rabbi Selomo exponit vulgò פשמייר id eſt, *Paſmar* Luſitanè. Paraphraſtes כדו צחו id eſt, cùm exareſcerent paruuli &c. Subaudi præ fame, quam patiebantur in obſidione. ¶ *Paruulus.*] id eſt, paruuli, pueruli. Hebr. עולל ¶ *Et lactens.*] יונק LXX. θηλάζων *mi nino de mamma* Luſitanè. ¶ *In plateis. Oppidi.*] *Por as ruas da citade.* Quia domi nihil cibi inuenientes matres & paruuli egrediebantur in plateas, quaſi quæſituri, & nec ibi inuenientes, tandem fame peribant: Miſerabile etiam hoſtibus ſpectaculum, nedum matribus ipſis. Sed nullus dolor, nullus luctus, nulla miſeria poterit dignè comparari cum contritione, & perditione animæ rationalis, ad imaginem Dei factæ: quando pro vili voluptate, æterno ſeſe damnat interitu & ſupplicio. Hæc certè perditio eſt lachrymarum fontibus ploranda, & dolore maximo dolenda.

ל *Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triticum & vinum? cùm deficerent, quaſi vulnerati, in plateis ciuitatis: cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.*

¶ *Matribus ſuis.*] Nam ipſæ magis condolent, & tenerius afficiuntur dolorib. filiorum. ¶ *Dixerunt.*] Futurum eſt Hebraicè. ¶ *Vbi eſt triticum.*] Triticum dicunt, & non panem: propterea quòd ſi qua triticum, id eſt, grana tritici aut alterius frumenti haberet, non audebat committere molendinario; ſed grana ipſa comedebat. ¶ *Et Vinum.*] Obiter notat matres, quòd ſolitæ eſſent antea vinũ potare, & paruulis dare, peſſima conſuetudine. ¶ *Cùm deficerent.*] Fame. ¶ *Quaſi vulnerati.*] Gladio. ¶ *In plateis ciuitatis.*] Non valentes domi conſiſtere præ anxietate ¶ *Cùm exhalarent.*] Sumptum verbum ex errore multorum, putantium animam ſeu animum hominis eſſe halitum, id eſt, vaporem & aërem, & ſimul cum corpore interire. Hebr. eſt בהשתפך id eſt, cùm effunderet ſe, vel, cùm effunderetur anima ipſorum, in ſinum matrum ſuarum. Nam etiam multi putauerunt animam nihil aliud eſſe quàm ſanguinẽ. Sed ſacra Scriptura vtitur illa quidem his verbis vulgi, pro eo quod eſt mori: Non tamen errorem probat vulgi, ſed damnat. Conſtat enim ex ſcripturis animam immortalem eſſe. Sic etiam vocat ex Ethnicorum fabulis Arcturum &

Animã eſſe halitum vel ſanguinem, error.

Oriona

Oriona, Amos cap.5. Ad quem locum D.Hiero. hoc modo monet: Quando audimus (ſubaudi in diuinis literis) Arcturum & Oriona: nō debemus ſequi fabulas poëtarum, & portentoſa mendacia quibus etiam cœlum infamare conantur, & mercedem ſtupri inter ſydera collocare. Sed Hebræa nomina, quæ apud eos aliter appellantur, vocabulis fabularum gentilium in linguam noſtram eſſe tranſlata, qui non poſſumus intelligere quod dicitur, niſi per ea vocabula quæ vſu didicimus, & errore combibimus, &c. Hinc diſcāt magiſtri, vt pectus ſuum bibliothecam faciāt & cellarium Chriſti, per aſſiduā ſanctarum ſcripturarum meditationem, & bonorum operū exercitium: imitantes induſtrium patremfamilias, qui de theſauro & promptuario ſuo profert noua ac vetera, id eſt, cuius cellaria adeò plena ſunt, vt aduenientibus nouis fructibus, adhuc veteres ſuperſint, vt dicere poſſit conuiuis ſuis: hoc etiamnum eſt ex anno, aut etiam annis præteritis. Oportet enim præclaras ſententias, & doctrinas in pectore habere paratas & præmeditatas, quas mox, vbi opus erit, poſſis expromere: Quod vbi feceris, haud quanquam exhalabunt animam paruuli, id eſt, diſcipuli, in ſinu tuo. Amos. 5.

מ *Cui comparabo te, vel cui aßimilabo te, filia Hieruſalem? cui adæquabo te, & conſolabor te, virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?*

Oſtendit magnitudinẽ calamitatis, quòd nulla alia ciuitas aut reſpub. inueniatur, quæ parem, aut ſimilem paſſa ſit, vt in conſolationem dicere poſſis: ne tantum dole, nam multæ aliæ talia paſſæ ſunt. ¶ *Cui comparabo te?*] Quaſi dicat: Inter tuam calamitatem & aliarum ciuitatum aut rerum publicarum, nulla eſt proportio: ſed tua aliarum infinities excedit. Hebr. מה אעידך id eſt, Quid teſtabor tibi: ſubaudi, dicendo: teſtor tibi, multas alias ſimilia paſſas. Vnde R. Dauid exponit. Quid teſtabor tibi, quaſi dicat, quem populum adferam, vt teſter, ſeu teſtimonio comprobem tibi, quòd poſſim oſtendere tibi & teſtari, quòd flagellatus ſit ſicut tu, & quòd euenerit ei malum ſimile tuo, &c. Vnde etiam LXX. habent τὶ μαρτυρήσω, id eſt, Quid teſtabor tibi? ſeu, Quod teſtimonium reddam tibi? Poteſt etiam legi, quid admonebo te, quid aſſimilabo tibi? dicendo, Quid admiraris, & vſque adeo ægre fers contritionem tuam? nonne etiam populo illi & illi ſimilia contigerunt? Sic R. Selomo: eſt enim nonnulla miſeris conſolatio, ſi alios videant ſimilia pati. Porro, quemadmodum populus Iudaicus ſtatus gloria, & excellentia omnes alias gentes excedebat, ſic etiam ruina eius & caſus, omnium gentium ruinas & caſus ſuperauit. Incomparabili enim dignitate ſynagoga Iudæorum, temporibus legis & Prophetarum, ſub Regibus & ſacerdotibus, gentibus & nationib. excellebat: cui lex diuina, regni ducatus, & cultus pietatis erat: cuíque per angelicam oſtenſionem, & Prophetarum viſionem, ſecreta ſua ipſe Dominus reuelabat, & quę vitan-

Conſolatio miſerorum alios ſimilia pati.

da, quæ

dá, quæue agenda erant suo oraculo demonstrabat. At postquam Deum deseruit, & vano errore delusa, ad idololatriam declinauit, & tandem ad tantam infidelitaté deuenit, vt ipsum Dei filium cruci affixerit, tanto facta est eius grauior ruina, quanto erat status eius sublimior: Temporalem enim simul, & spiritualem gloriam amisit, qua gentes aliæ caruerunt, ¶ *Vel.*] Hæc coniunctio non est in Hebraico, nec in Chaldaico: sed suppleta est à LXX. & à nostro interprete. ¶ *Cui assimilabo te.*] Quasi dicat, nulla calamitas est similis tuæ, nec adeò grauis, vt tua. ¶ *Filia.*] Heb. ô filia, id est, ciuitas. ¶ *Hierusalem.*] Genitiuus casus, vt filia Babylonis, id est, Babylon. Nam quancumque rempub. Hebræi vocant filiam ¶ *Cui exæquabo te.*] Id est, cui casui adæquare potero casum tuum? quasi dicat, nulli. ¶ *Et consolabor te.*] Id est, vt in eo consoler te, dicens & monens vt æquiori animo tuum casum feras: quia & alij populi in similes inciderint. ¶ *Virgo filia Sion.*] Id est, ciuitas & resp. Hierusalem. Hebr. est virgo filiæ Sion. filiæ in genitiuo. Et omnis respub. vocatur virgo, non à virginitate & puritate, sed à sexu. Est autem virgo prudens, & virgo stulta. ¶ *Magna, est enim velut mare contritio tua.*] Id est, Quemadmodum nulla aquarum multitudo, aut magnitudo potest mari exæquari, sic tuus casus superat omnes omnium gentium casus. ¶ *Quis medebitur tui.*] Hier. 30. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Hoc autem significat vulneris magnitudiné & periculum, quòd nulla arte humana vitari possit. Vnde illic subiungit. Non est Hier. 30.

qui iudicet iudicium tuum ad alligandum:curationum vtilitas non eſt tibi:omnes amatores tui obliti ſunt tui,téque non quærẽt.Plaga enim inimici percuſſi te,caſtigatione crudeli &c.Si igitur Deus ipſe percuſſit, quis alius poterit ſanare? Conſidera,inquit,opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere,quem ille deſpexerit.Eccleſiaſt.7,Hæc igitur cauſa eſt cur tandiu durat plaga populi Iudaici:quia plaga diuina eſt,& iuſto Dei iudicio ab eo deſpiciuntur, Ipſi tamen Deo nihil eſt impoſſibile. Nos autem in his omnibus conſideremus & timeamus, atque fugiamus ſeueritatem Dei, qui tanto in nos grauius animaduertet, quanto maiora nobis beneficia contulit, quàm Iudæis: nec de noſtro etiam caſu dicatur, cui comparabo te anima fidelis,Chriſti ſanguine redempta atque potata, & corpore eius ſaturata? id quod nunquam datum eſt Iudæis.

Eccleſ.7.

Tropologicè ſeueritas ex quantitate miſericordiæ & beneficiorũ penſanda.

ב *Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & eiectiones.*

Cauſam aperit incurabilitatis plagæ ſynagogæ, quæ quidem cauſa hodiéque durat in ea. Ea autem eſt,quod medici ipſi, quorum munus erat remedia adhibere ad morbum depellendum, & ſanitatem inducendam,cõtraria faciunt, & morbum magis aggrauant: Id quod faciebant olim

pſeudo

pſeudoprophetæ, & hodie faciunt pſeudodidaſcali quos Rabbinos vocant. Et hoc eſt quod ait. ¶ *Prophetæ tui.*] Id eſt, Pſeudoprophetæ & falſi doctores, quibus magis auſcultabas: quia placentia loquebantur, licet falſa, quàm veris Prophetis, qui vera tibi dicebant, quæ tibi non placebāt. Vnde dicebant, videntibus, id eſt, veris prophetis Nolite videre: & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores &c. Iſa. 30. *Et impius Achab reijcit prophetam Domini, & odit eum: quia nunquàm* (inquit) *prophetat mihi bonum*, id eſt, iucundum & ſuaue) *ſed malum.* 3. Reg. 22. *Et Hananiam pſeudo prophetam prophetantem placentia*, id eſt, Hieruſalem non eſſe capiendam audire maluerunt, quàm Hieremiam veritatem prædicentem Hier. 28. & ideo ait, tui, quaſi dicat, non mei, non à me miſſi. Huiuſmodi enim pronomina figuram habent, & quandam vel irriſionem, vel abominationem, aut aliud eiuſmodi ſignificant. Vt illud, *Kalendas veſtras & ſolennitates veſtras odiuit anima mea.* Iſa. 1. &, *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam* Amos. 5. ¶ *Viderunt.*] Id eſt, prophetauerūt: viſiones falſas confingentes & ſimulantes: de quibus ait Dominus Hierem. 29. *falsò prophetāt vobis in nomine meo: non miſi eos, dicit Dominus &c.* Et 23. *viſionem cordis ſui loquuntur, & non de ore Domini &c.* ¶ *Tibi.*] Id eſt, vt te deciperent libenter ipſis audientem. ¶ *Falſa.*] שׁוא Id eſt, vanitatem propriè, id eſt, mendacium: vt vertit etiam Paraphraſtes. LXX. ματαια, id eſt, vana. ¶ *Et ſtulta.*] ותפל id eſt, & inſulſa,

Iſai. 30.
3. Reg. 22.
Hierem. 28.
Iſai. 1.
Amos 5.
Hierem. 29.
Hierem. 23.

propriè Paraphraſtes, inutilia. Vnde Apoſtolus monet dicens: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Coloſſ.4. Et ad Ephe. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo &c.* ¶ *Nec aperiebant iniquitatem tuam.*] ולא גלו על עונך id eſt, & non reuelauerunt ſuper iniquitate tua. Paraphraſtes exponit: Et non publicauerunt vltionem ſeu vindictam, quæ te manebat, & ſuper te ventura erat, propter peccata tua. Iniquitas ſumitur pro ipſo peccato, & interdum pro punitione & pœna peccati. Porro pſeudoprophetæ vtrumque tegebant: nam & peccatum populi commendabant tanquam virtutem, ſuadentes vt idola colerēt, & pœnam huius criminis dicebant nullam fore, nec vnquam venturum Nabuchodonoſor, neque ciuitatem capturum: quibus auſcultabant, primùm Rex & principes, deinde vniuerſum vulgus. Vnde queritur de eis Dominus Hier. 23. dicens: *In prophetis Hieruſalem vidi iter mendacij, & confortauerunt manus peſſimorum, vt non conuerterentur vnuſquiſque à malitia ſua. A prophetis Hieruſalē egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terrā &c.* Vtrūque certè aperire debet & publicare verus propheta, & verus cōcionator: id eſt, & peccatum, & vindictam. Et peccatū quidem, docēdum eſt eſſe peccatum, ſi vulgus in eo errat. Veluti ſi ſunt multi qui putent fornicationem ſimplicem non eſſe peccatū, aut ſi quiſpiam eum errorem auſus fuerit diſſeminare, aut alium quencumque ſanctę fidei, probiſque morib. alienū, debet propheta Domini veritatē docere publicē. Deinde etiam pœnam, quæ eos manet, qui

Coloſſ.4. Epheſ.4. Hier.23. Tropologicè Docendum eſſe clarè.

talia

talia vel committunt, vel docent. Magnum onus ſuſtinet cócionator, ſi benè cócionatur: & multò maius atque grauius, ſi malè. Nam boni cócionatoris onus, in hac tãtùm vita eſt, & trãſit: mali, in futura, & permanet. Et tamen difficilè inuenias bonos. Nam & vitiis frequenter adulantur, propter potentiam vitioſorũ, & bonos deſpiciunt & propter inopiã ipſorum. ¶ *Vt te ad pœnitentiã prouocarent.*] Ecce finis prophetarum, populum & auditores ad pœnitentiam prouocare: Id quod fit, aperiendis, & publicandis viciis, & proponenda pœna quæ vicioſos manet. Noſtri ſæculi concionatores, & prophetę, videant quomodo ſuum officium faciunt. Multi enim neſcio quid attendunt, aut quem ſibi finem proponunt: verba elegantia conquirunt, ſententias perpulchras conglomerant, floſculos plurimos inſpergunt: & tamen ſiquis adulter ad concionem venit, adulter redit: Si fornicator venit, fornicator abit: denique ſi à Deo alienus ingreſſus eſt, alienus redit. Et laudatur tamen cócionator, laudatur ſermo, laudatur ſublimitas ingenij, laudatur inuentio, laudatur copia, laudantur omnia: Sed Dei iudicium timendum eſt. Mihi certè ille erit concionator optimus, qui auditores ſuos compunctos, & pectus tundentes dimittit, & ad pœnitentiam prouocat: Idque in omni concione, etiam diei feſti locum ſuum habere debet. Et R. Don Ioſeph etiam hoc modo enarrat, dicens: Prophetæ tui viderunt tibi vanitatem, & inſulſitatem, id eſt, vanitatem contra veritatem: Et inſulſitatem, id eſt, ἀλογίαν, id eſt, ſermones irrationabiles. Nullam

Tropologicè de Concionatoribus ſtudentib. verbis.

enim adferebant probabilem rationẽ,quòd venturus non eſſet Nabuchodonoſor in ciuitatem. Et pro eo quod deberent populum arguere publicè, & oſtendere ei iniquitatem ſuam, non ſic egerũt,quia,inquit, non reuelauerunt iniquitatem tuam,vt te reuocarent ad pœnitẽtiam, id eſt, vt conuertereris & redires per pœnitentiam:imò contrarium faciebant, multa bona promittendo, & bene ſperare iubẽdo populum Iſrael. Et id eſt quod ait, ſed viderũt tibi vanitatem & pulſiones. Vanitatem, id eſt, rem falſam & mendacem ſeu fallacem, id eſt, ſpem quòd non eſſet venturus Nabuchodonoſor. Et pulſiones, id eſt, fiduciã & ſpem venturi boni, & quod nunquam venerat, erántque perpulſi Iſraelitę,& perſuaſi his verbis: *cogitantes quòd omnino venturum eſſet ſine mora, idque de anno in annum. Itaque dum expectarent iudicium:ecce iniquitas ſeu plaga.* Iſai.5.Sic.R. Don Ioſeph, cui expoſitioni præmittit hæc verba: Prophetæ tui &c. Malum additum malo, vt non inueniatur curatio plagæ tuæ, id eſt, pœnitentia, quæ eſt curatio peccati, quod eſt cauſa angoris & tribulationum &c.R.Selomo eodem ſenſu legit, ad reuocandum rebellionem tuam, id eſt, ad corrigendum & emendandum rebelliones tuas. LXX. verò τοῦ ἐπιϛρέψαι αἰχμαλωσίαν σου. ad reuocandum captiuitatem tuam,id eſt,vt te à captiuitate eriperent, in quam propter tuam iniquitatem eras deuẽtura: Vel captiuitatem tuam, id eſt, peccatũ tuum, quæ eſt peſſima captiuitas & ſeruitus. *Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Certè verbum Hebraicum שבות omnia hæc

Iſai 5.

poteſt

poteſt ſignificare, magis tamen ſignificat captiuitatem ¶ *Viderunt autem.*] Id eſt,ſed viderunt, id eſt,prophetauerunt,perſuaſerunt, & promiſerunt. ¶ *Tibi.*] Libenter audienti,vt deceptione tua gloriam & commodum aucuparetur. ¶ *Aſſumptiones.*] Id eſt,Prophetias משאות Vnde Paraphraſtes habet נבואת id eſt, prophetias. LXX. λήμματα,id eſt,aſſumptiones, Hebraica dialecto prophetia dicitur משא id eſt,onus, quia graue eſt onus prophetādi. Vel aſſumptio,quia aſſumitur ſeu accipitur, à Deo imponente, ſi verus eſt propheta: vel à diabolo, ſi falſus. ¶ *Falſas.*] Quia peccantibus non ſolùm impunitatem promittebant, ſed etiam pacem & proſperitatem. Iſai. 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant, &c.* Et Hier. 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia,dicentes:pax, pax: & non erat pax*,id eſt, cum miſeræ ſynagogæ captiuitas immineret, tamen falſi Prophetæ tanquam dolorem eius curantes,eam mendaciter conſolabantur, dicentes Nihil verearis, omnia tibi proſperè ſuccedent, More imperiti, vel etiã malitioſi aut ignaui medici. ¶ *Et eiectiones.*] Id eſt, cauſas eiectionis tuæ: quia propter iniquitates tuas, quas tui prophetæ obtegebant, & non reprehendebant, eiecta es de terra tua,& de gratia Domini.Sic R.Selomo,& R.Dauid,& R.Abraham. D.Thom. exponit, eiectiones hoſtium,id eſt,quòd liberaberis ab hoſtibus.Hierem.28. *Confringam iugũ Nabuchodonozor poſt duos annos*, ſed prior ſenſus germanus eſt.Paraphraſtes habet,& ſermones errore

Iſai. 3.

Hierem. 6.

Hierem. 28.

plenos, id eſt, ומלי טעותא Septuaginta ἐξώσματα, id eſt, expulſiones. Docentur Concionatores, ſi ſuo munere fungi rectè volunt, quod in ſuis concionibus ſequi debent, hoc eſt, vt auditores ſuos ad pœnitentiam prouocent quibuſcunque rationibus potuerint.

ס *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilauerunt, & mouerunt capita ſua ſuper filiam Hieruſalem: hæccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?*

¶ *Plauſerunt ſuper te manibus.*] Vel præ admiratione tantæ calamitatis, iuxta R. Don Ioſeph, & D. Thom. vel præ lætitia, iuxta D. Hieron. Ait enim. Gaudium exprimit inimicorum, quo lætati ſunt de caſu Iſraëlitarum. ¶ *Omnes tranſeuntes per viam.*] D. Thom. intelligit amicos condolentes de caſu Hieruſalem, poteſt etiam intelligi de quibuſlibet, qui ciuitatem olim ſtantem & florentē viderant, aut audierant. ¶ *Sibilauerunt.*] Quod (inquit R. Selomo.) facere ſolent homines, cùm viderint rem aliquam magnæ æſtimationis deſtructam & conſumptam. ¶ *Et mouerunt capita ſua.*] Hoc vel ad admirantes pertinet, ved ad irridentes & ſubſannantes. ¶ *Super filiam Hieruſalem.*] id eſt, ſuper caſu ciuitatis Hieruſalem: quòd tam viliter & ignominiosè ceciderit ciuitas olim tam inclyta. ¶ *Hæccine eſt vrbs, dicentes.*] Hebræi legūt, quam dicebant. ¶ *Perfecti decoris.*]

כלילת יפי id est, Omnibus pulchritudinis & elegantię numeris abſolutæ. Pſal.86. *Glorioſa dicta ſum de te ciuitas Dei.* L X X. habent, corona gloriæ. ❡ *Gaudium vniuerſæ terræ.*] Propter templum, ad quod conueniebant in ſolennitatibus ex omni terra Iſraël, quinetiam multi Ethnici. Vt Eunuchus ille Act.8. Vnde Pſal.47. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ.* Sic etiam exultant & inſultant Dæmones, cùm animam fidelem deiectam viderint, & de ſtatu pœnitentium & continentium deturbatam, cùm vice verſa gaudium ſit angelis bonis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Pſal 86. Ethn ci cōue niebant ad templū Hieruſalem. Act.8. Pſal.47.

פ *Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: Sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: deuorauimus, & iſta eſt dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.*

❡ *Aperuerunt ſuper te os ſuum.*] Tanquam leones in prædam irruentes. Pſal. 21. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* Quaſi dicat, vt leo famelicus ſinè vlla commiſeratione diſcerpit & laniat ouem quam ceperit, atque deuorat: ſic Chaldæi Hieruſalem crudeliter diripuerūt & vaſtauerūt. ❡ *Omnes inimici tui.*] Chaldæi imprimis, & Idumæi, & Moabitæ. ❡ *Sibilauerunt.*] Quaſi ſerpentes exaſperati. ❡ *Et fremuerunt dentibus.*] More aprorum, qui irritati frendent, id eſt, præ ira concuſſis & constrictis dentibus

Pſal.21.

ſtrident

ſtrident Plaut. Capt. Nimis ego illum malè formidabam: ita frendebat dentibus. Hebraicè dicitur חרק L x x. ἔβρυξαν ὀδόντας id eſt, frenduerunt, ſeu ſtriderunt dentibus: ſic Iob 16. *Collegit furorem ſuum in me, & comminus mihi infremuit contra me dentibus: hoſtis meus terribilibus oculis me intuitus eſt.* Hebræi interpretantur חרוק id eſt, collidere dentes præ ira. Sanè de Domino ſaluatore ſcimus iratum fuiſſe quibuſdam. Marc. 3. *Et circunſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, &c.* Quòd autem geſtum ferinum fecerit, nunquam legimus. Sic enim iraſci licitum eſt, vt & tu qui iraſceris, hominem te eſſe memineris, & eos in quos iraſceris, ſimiles tui. Si quis vnquam fuit in quem frendi & fremi meritò licuit, is fuit Iudas proditor: & tamen manſuetiſſimus Dominus in eum neque fremuit, neque frenduit, neque ſibilauit, ſed dulciter admonuit, & funem inducentem amicum vocauit. ¶ *Et dixerunt.*] Tanquam deſiderio ſuo potiti. ¶ *Deuorabimus*] More leonum. Heb. præteriti temporis eſt בלענו Deuorauimus. Hoc eſt, tandem præda noſtra facta eſt Hieruſalem: vt ſit præteritum, pro præſenti, more Hebraico, quaſi dicát, iam prædam diu deſideratam tenemus, iam ſanguinem quem diu ſitiuimus, haurimus, & bibimus. Vnde ſubdit. ¶ *Enim,* id eſt, *certè hæc eſt dies quam expectabamus.*] id eſt, deſiderabamus. ¶ *Inuenimus.*] id quod quærebamus. ¶ *Vidimus.*] id quod videre exoptabamus, hoc eſt, vindictam & vltionem ex hoſtibus noſtris, hoc enim dicere ſoliti erant: Nolo amplius viuere, quàm dum videam iſtos

Iob. 16.

Marc. 3.

Iraſci licitū quomodo.

meritas pœnas dare. Et est locutio diminuta, videre, pro videre vindictam & vltionem. Vt etiam Psal. 34. *Dilatauerunt super me os suum, dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.* Quam Hieremias impleuit, dicens, videam vltionem tuam ex eis, obseruauit R. Selomo positum esse in hoc versu literam Pe, quod nomen significat os, oris, ante literam Ain, quod signant oculum, quoniam, inquit, ore suo loquebantur id quod oculis non videbant. Quod referri potest ad pseudoprophetas, qui populum decipiebant, docentes id quod non sciebant, neque videbant. De quibus etiam Paulus ait: *Nescientes de quibus affirmant, neque de quibus loquuntur,* 1. Timoth. 1. Hi enim certè ponunt pe, ante ain, id est, os ante oculum, dum priùs proferunt, quàm videant quid proferendum sit. In alphabeto Hebraico ain litera ponitur ante pe.

Videre pro videre vindictam. *Psal. 34.*

1. Tim. 1. Qui loquũtur quæ nesciant ponũt os ante oculos.

ע *Fecit Dominus quæ cogitauit, compleuit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis, destruxit, & non pepercit, & lætificauit super te inimicum, & exaltauit cornu hostium tuorum.*

¶ *Fecit Dominus quæ cogitauit.*] Supra in Chet. cogitauit Dominus dissipare murũ filiæ Siõ, &c. D. Hierony. citat huc illud Exod. 32. *Dimittam* (subaudi nunc) *iuxta verbum tuum: verumtamen in die vltionis visitabo, & hoc peccatũ eorum.* Ad quem locum ait R. Selomo, nullam vltionem venire

Exod. 32.

ſuper Iſrael,in qua nõ exiſtat aliquid vltionis iniquitatis commiſſæ in adoratione vituli. ¶ *Compleuit ſermonem ſuum.*] id eſt, comminationes ſuas per prophetas factas ad rationẽ contulit, & ſupplicium intulit diu dilatũ, neque creditum. Differt quidem Dominus vltionem ſuam peccantibus, ad pœnitentiam expectans eos, ſed non in æternum: ſed tempore à ſe cognito & præfinitè cõpleuit בצע id eſt, perfecit. Vnde R. Selomo exponit כלה גזרתו id eſt, conſummauit decretum ſuum, id eſt, executioni mundauit. ¶ *Quem præceperat.*] id eſt, promulgauerat, & prædixerat.

Geneſ.7. Sic accipitur etiam Gen.7. *Ex omni quod mouetur ſuper terram, duo & duo ingreſſa ſunt ad Noe, ſicut præceperat Dominus Noe.* Paraphraſtes habet: Perfecit verbum oris ſui, quod præceperat Moſi Prophetæ à diebus antiquis: quòd ſi non cuſtodirent filij Iſrael præcepta Domini, eſſet ſumpturus ex eis pœnas, &c. ¶ *A diebus antiquis.*] מימי קדם hoc in lege Moſi, quã antiquiſſimam ſcripturam Iudæi habuerunt, vt ſæpe prædictum

Leuit.26. eſt. Vt Leuit.26. *Addam correctiones veſtras ſeptuplum.* Quem locum citat R. Selomo. ¶ *Deſtruxit.*] הרס ciuitatem & vrbem Hieruſalem. ¶ *Et non pepercit.*] ולא חמל id eſt, & non eſt cõmiſeritus: nulla motus eſt miſericordia ne tam pulchram vrbem deſtrueret. *Eendo ſen pietade, ſen ninguna piedade.* Sine vlla commiſeratione. ¶ *Et lætificauit ſuper te.*] id eſt, de te, dando ei victoriam contra te. ¶ *Inimicum.*] id eſt, inimicos Chaldæos, Moabitas, Idumæos, & Romanos. ¶ *Et exaltauit cornu.* id eſt, gloriam, honorem &

imperiū. *Hostium tuorum.* צריך Propriè angustatorum tuorum, seu, angentium te. LXX. θλιβόντων σε, id est, tribulantium te. Appellantur sic hostes Hebræis ab affectu. Semper enim desiderant hostes, inimicos, & aduersarios suos in arctum cogere. Nos autem mutato verbi tempore, sed eadem manente veritate, dicamus, & cogitemus, & credamus, faciet Dominus peccatoribus impœnitentibus, & futurum iudicium non credentibus, aut contemnentibus faciet, inquam, & exercebit, atque exequetur in eas, ea quæ cogitauit, & decreuit supplicia: non solùm in corporibus eorum, sed simul atque multò magis in animabus, ambo simul mittendo in gehennam ignis inextinguibilis. Complebit sermonem suum, id est, virificabit, qui quidē sermo vel cœlo ipso atque terra est firmior: Quem toties præcipit, & promulgat, vt saltem pœnarum & suppliciorū motu, incipiāt peccatores ad se redire, & pœnitētiam agere. Destruet eos, auferendo gratiam suā, & separando eos de cœtu iustorum & beatorū: idque sinè vlla miseratione: quia nulla misericordia faciet, vt non meritas pœnas in æternum luant, qui vsque ad vltimum spiritum in peccato perdurauerunt. Et lætificabit de eis diabolum & angelos eius, in quibus si qua species aut simulacrum lætitiæ esse potest, ea sola est, dum hominibus malefaciunt. In damnatis enim exercebunt odium suum atque inuidiam, quam habent de fœlicitate eorum, qui ipsorum sedes in beatitudine occupauerunt. Hæc igitur magis timeamus & caueamus, quàm temporalem illam murorum

Hostes dicti angustiātes quare.

Hieru

Hierusalem destructionem, & corporalem vel mortem, vel captiuitatem, quæ horæ momento transit.

℣ *Clamauit cor eorum ad Dominum: super muros filiæ Sion, Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

¶ *Clamauit cor eorum ad Dominum.*] id est, hostes Iudæorum in corde suo blasphemauerunt Dominum, putantes se esse fortiores Domino, qui dicebatur & prędicabatur protector Hierusalem. Sic blasphemabāt nūtij Senacherib. 2. Paral. 23. putantes Dominum non valiturum resistere potentiæ eius, sicut nec potuerant aliarum gentium dij. ¶ *Super muros filiæ Sion.*] id est, propter muros, seu de muris Hierusalem, quos destruxerunt inuito Domino, & defendere non valente, vt sibi persuadebant. Sic Hieron. hunc locum exponit. Lyran. quoque, Dionysius, Paschasius, & glossa interlinearis, & D. Thom. Vel aliter cor eorum, id est, Iudæorum in arcto positorum. Clamauit ad Dominum super muros Hierusalem, opem implorando, superiorem sensum attulit sermonis consequutio & contextus. Nam proximus versus de hostibus loquebatur, vt de eisdem subiungatur (clamauit cor eorum) sed quoniam clamare ad Dominum, nunquam in malum accipitur in scripturis, neque significat blasphemare, sed

2. Paral. 23.

Clamare ad Dominū nūquā in malam partē.

obsecra

obſecrare:nõ placet illa Hiero.expoſitio. Hebræi legunt hoc modo. Clamauit cor eorum ad Dominum : murus, ſeu muri filiæ Sion, deduc, &c. Nam præpoſitio illa, ſuper, non eſt in Hebraico, nec in Chaldaico, nec in LXX. ſed ab Hieron. addita, vt ſenſum exprimeret quem concupiebat. Paraphraſtes reddit. Clamauit cor eorum in conſpectu Domini, vt miſereretur ipſorum : murus gloriæ Sion, emana, quaſi torrentem, lachrymas die & nocte : ne dent conſolationes angoribus tuis ad remittendam orationem tuam, & ne taceat oculus tuus à lachrymis effundendis. R. Don Ioſeph enarrat hoc modo. Clamauit cor eorum, &c. Hoc eſt, & idcirco, ô murus filiæ Sion, qui ſunt ſenatores tui & prophetæ tui, & beatificatores tui, qui intelliguntur nomine muri, propter ſimilitudinem quam cum ipſo habent in cuſtodiendo populum ſuum, ſicut murus cuſtodit vrbem. Clamauit cor eorum ad Dominum. Eſt præteritum loco futuri, ſeu imperatiui, more ſermonis prophetici: Et vult dicere. Clamate in toto corde veſtro ad Dominũ, iuxta illud Deut. 4. *Deut. 4.* *Inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et cum omnes actiones humanæ perficiuntur, vel in cogitando, vel in loquendo, vel in operando: idcirco pœnitentia bona in his tribus debet exerceri. Et id eſt, quod aiunt Rabbini noſtri: Viæ conuerſionis, ſunt pœnitudo, confeſſio, & opus cum relictione peccati. Pœnitudo eſt fletus & dolor de peccato commiſſo, & ea exercetur in cogitatione. *Pœnitudo.* Confeſſio eſt agnitio & manifeſtatio, quòd rem turpem *Confeſſio.*

Opus. commiſeris, & ea fit ore. Opus autem, cum ceſſatione à peccando eſt, vt relinquas peccatum ipſum, & facias aſſiduè bona contraria, &c. Poteſt hîc eſſe ſenſus. Clamauit, id eſt, clamare debuit, vel clamauit, id eſt, clamaret. Cor eorum, id eſt, Iſraëlitarum ad Dominum: Non ad Idola, non ad gentium populos, aut Reges: vt ſit ſubitanea tranſitio, prophetis familiaris. Sæpe enim dum de certa re loquuntur, ſubitò de alia ſermonem inferunt. Sæpe etiã de vna perſona in aliam tranſeunt: vt hoc loco, cum dixiſſet, clamauit, ſeu clamaret cor eorum ad Dominum, ad ſecundam perſonam tranſitum facit, dicens; ô murus, ſeu muri filiæ Sion, deduc, quaſi torrentem, lachrymas, ſuper deſtructione & deſolatione tua: ſiue murum ipſum intelligas lapideum, qui ad fletum prouocetur, vt ſupra, viæ Sion lugent: ſiuè nomine muri Regem & principes, atque ſacerdotem & ſacerdotes intelligas: quorum culpa Reſpublica interiit. Ideóque ipſi præcipuè ad lachrymas & pœnitentiam prouocantur, LXX. videntur hũc habere ſenſum. Clamauit cor eorum ad Dominum, murum filiæ Siõ, id eſt, qui eſt, ſeu erat murus, id eſt, protectio ciuitatis Hieruſalẽ. Sic enim habent, ἐβόησε καρδία αὐτῶν πρός κύριον τείχη σιών, ¶ *Deduc.*] הורידי id eſt, deſcendere ſeu cadere fac, ex fonte oculorum per genas. ¶ *Quaſi torrentem.*] id eſt, tanta copia, vt torrens ex ipſis efficiatur.

Pſal. 6. Eſt hyperbole, vt Pſalm. 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Vel, per ſingulas noctes natare faciam, vt Hebræi legunt. ¶ *Lachrymas.*] vt interior dolor, &

pœni

pœnitentia extra prorumpat, & appareat. ¶ *Per diem & noctem.*] id eſt, iugiter & toto tempore vitæ, ſinè intermiſſione. Totum enim tempus vitæ preſentis non eſt deliciarum, ſed pœnitentiæ & afflictionis, cordatis: inſipientibus autem, comedamus & bibamus. Et quamuis humana infirmitas non patiatur iuges oculorum lachrymas, at certè cordis lachrymas ſemper debemus effundere, vt nunquam amplius peccando delectemur, ſed quantum poſſumus, de peccato commiſſo doleamus, & iugiter, ſi daretur, dolere velimus. Sic etiam Dominus ait, *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Et Apoſtolus. *Sinè intermiſſione orate.* Et alibi. *Gaudete in Domino ſemper:* Quoniam tale propoſitum habere debemus, & quoties datur tempus & opportunitas, exequi, nec aliquid ei propoſito contrarium admittere. Vnde etiam Dominus ait: *Beati qui lugent.* ¶ *Non des requiem tibi.*] id eſt, ne interquieſcas à fletu, ne fletum interrumpas delitiis & voluptatibus. Ne interponas remiſſionē. Hebr. אל תתני פוגת לך eſt autem פוגה remiſsio, debilitas, laſsitudo. Luſitane *non canſes.* LXX. habent in meo codice καὶ δῷς ἔκνιψιν σεαυτῇ, id eſt, & dato lotionem tibi. Fortè legendum, μὴ δῷς ἔκπνευσιν, id eſt, ne des expirationem vel reſpirationē. Infra cap. 3. Scribitur, ἔκνηψιν. vbi quidā interpretatur, requiem. Sed ibi etiam legendum puto, ἔκπνευσιν. ¶ *Neque taceat.*] id eſt, quieſcat, neque ceſſet, vt Exod. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, id eſt, quieſcetis. Ne ceſſet, inquit, à plorando. ¶ *Pupilla oculi tui.*] Fortè quia ex pupilla oriuntur la-

Luc. 18.
1. Theſſ. 5.
Philipp. 4.
Sēper habere oportet bona propoſitū & exequi quā opportunitas tulerit.
Matth. 5.
Exod. 14.
Voluntaria pœnitentiæ ſubeunda.

Voluntaria pœnitentia ſubeunda.

chrymę. Per hæc autem apertè monentur & mouentur peccatores, vt voluntariam pœnitentiam, eámque fructuoſam ſuſcipiant, ne poſtea cogantur inuoluntariam & ſterilem ſubire in Gehenna, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Matth. 8.

Matth. 8.

ק *Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde, ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leua ad eum manus tuas, pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.*

¶ *Conſurge.* [De mollicie lecti, id eſt, pigritiam & torporem excute. ¶ *Lauda.*] Creatorem, non ſolùm blandientem benignitate, ſed etiam cùm ſeueritate caſtigantem: exemplo beati Iob. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Ne ſis de numero illorum de quibus, dicitur, *cõfitebitur tibi, cum beneficeris ei.* Pſalm. 48. Heb. רני Quod verbũ ſignificat vehementer clamare ſiue laudando, ſiue gaudendo, ſiue plorando, ſiue orando, ſiue etiam præconium dando. R. D. Ioſeph laudare exponit: ait enim. Quantum ad conuerſionem ſeu pœnitentiam per loquutionem, (nam dixerat conuerſionem habere tres partes,) ſubiungit. Surge, & exalta vocem in laudationibus. LXX. ἀδολέσχησαι, id eſt, meditare vel prolixè ora. ¶ *In nocte.*] Tempus nocturnum ſemper familiare fuit ſanctis ad meditandum &

Pſal. 48.

Tempus nocturnũ opportunũ ad meditandũ.

oran

orandum, vt prophanis ad commessandum, & stertendum & libidinandum. Vnde de Domino legitur: quòd interdiu docebat, noctibus autem, exibat, & morabatur in monte Olíueti, vtique vt ibi serenius, & quietius meditaretur, & oraret Luc. 21. ¶ *In principio vigiliarum.*] Nox iuxta R. Selomo. diuiditur in tres vigilias seu custodias, dando vnicuique quatuor horas, vel quatuor partes noctis. Alij tamen quatuor faciunt vigilias. Vnde Plinius ait lib. 5. c. 22. Caspij montis tantam esse altitudinem, vt ex eo quarta vigilia, per tenebras, oriens sol aspiciatur. Et Dominus ad discipulos ægrè remigantes: *Venit quarta vigilia.* Matth. 14. Monet igitur in capite vigiliarum noctis, seu custodiarum surgere, & orare, exemplo Dauidis Regis dicentis: *media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Quod est caput tertiæ vigliæ. ¶ *Effunde sicut aquam cor tuum.*] id est, copiosè & prolixè ora. Nam effundere cor, est orare & obsecrare. Vt Psal. 61. *Effundite coram illo corda vestra, &c.* Vbi Augustinus. Effundite deprecando, confitendo, sperando: Nolite corda vestra retinere intra corda vestra. Non perit, quod effunditis, &c. Hoc etiam dicitur, effundere animam. 1. Reg. 1. *Effudi animam meam in conspectu Domini.* Et effundere orationem. Psal. 141. *effundo in cõspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio, &c.* Quod verò additur, sicut aquam, copiam & abundantiam significat, quoniam aqua, quia multa est, effunditur, & expenditur, non parcè, sed abunde. ¶ *Ante conspectum Domini.*] Vt ab eo solo audiri & videri

Luc. 21.
Noctis diuisio in 3. vigilijs, & vnaquaque vigilia in quatuor horas

Matth. 14.

Psal. 118.

Effundere cor est orare.
Psal. 61.

Effundere animam.
1. Reg. 1.
Psal. 141.

Orātes manus in cælū leuant.
Psal.140.
1.Tim.2.

velis. ¶ *Leua ad eum manus tuas.*] id eſt,ora & obſecra eum. Solent enim orantes leuare manus in cœlum.Sic Pſalm.140.*Eleuatio manuum mearum, ſacrificium veſpertinum.* Vbi Auguſtinus: Oratio purè directa de corde fideli, tanquam de ara ſancta,ſurgit in cœlum,&c.Et 1.Timoth.2.*Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, ſinè ira & diſceptatione.* ¶ *Pro anima paruulorum tuorum.*] id eſt, pro vita infantiū, vt Deus miſereatur ipſorum dans eis cibum,ne fame intereant. Liranus exponit, vt animæ recipiantur in ſinu Abrahæ: Sed hoc non erat orandum, cum is ſolus eis de lege Dei deberetur. Vel vt, more illorum, innocētum memoretur ante Dominum, ad eum prouocandum cōtra Chaldæos. Sic Liranus & Dionyſius, non attendentes verbum quod ſequitur, qui defecerunt in fame, non ſignificare quòd iam mortui eſſent fame, ſed quòd maxima fame laborarent & afflictarentur, vt penè deficerent. Vnde Hebraicè non eſt præteritum verbum, ſed nomen. העטופים id eſt, deficientium, ſeu, qui deficiunt & afflictantur. Et Paraphraſtes, רצחין id eſt,qui areſcunt.Et LXX. quoque participium præſentis temporis ponunt dicentes: τῶν ἐκλιποψύχων, id eſt,qui deficiunt ſeu diſſoluuntur. Et in contextu gloſſæ ordinariæ legitur, qui pereunt fame. ¶ *In capite omnium compitorum.*] Heb. omnium platearum, id eſt, *nas entradas ſpracas de todas las ruas.*Conueniebant enim in capita viarum vndique pueri,ſicubi aliquid cibi inuenirent,ibique paſſim fame expirabant.Compita autem dicunt, vbi duæ aut plures viæ ſeſe interſecant,

quaſi

quaſi in vnum locum competentes. Conſurgit igitur in nocte,qui in tribulatione præſentis vitę torporē à ſe excutit negligētiæ. Laudatur in principio vigiliarum, qui in omni conuerſatione ſua ſtrenuum ſe adhibet & cautum, & quidquid aduerſitatis patitur, totum ad confeſsionem laudis Dei conuertere nititur. Effundit ſicut aquam cor ſuum ante conſpectum Domini, qui ex intimo affectu cordis producit lachrymas compunctionis. Leuat ad Dominum manus ſuas pro animabus paruulorum ſuorum deficientium fame, in capite omnium compitorum, qui opera miſericordiæ pro humilibus & paruulis Chriſti membris, fame & ſiti vſquequaque inter mala mundi laborantibus curam adhibet, ex ſyncera dilectione. Nullum enim munus Deo acceptabilius eſt, quàm compunctio cordis prolata ex radice veræ dilectionis. Vnde Dominus magis lachrymas peccatricis, quàm delicias epularum Phariſæi probauit. *Tropologicè.*

ר *Vide, Domine, & conſidera, quem vindemiaueris ita: ergo ne comedēt mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram palmæ: ſi occiditur in ſanctuario Domini ſacerdos, & Propheta?*

Poſtquam Propheta ciuitatem miſeram ad pœnitentiæ & orationis lachrymas prouocauit, ad ipſum Dominum, ſi quomodo à vindicta eum placaret verba deprecationis conuertit, dicens:

¶ *Vide, Domine.*] Humano more cum Deo loquitur, quasi non attendat mala, quę patimur: & ideò non curet, nec opem ferat. Sed per hæc & huiusmodi verba, cum à sanctis dicuntur, magis hominum socordia excitatur, vt videant ipsi quæ patiantur, & quare: vt sic resipiscant, & pœnitentiam agant. ¶ *Et considera.*] והביטה id est, & aspice. ¶ *Quem vindemiaueris ita.*] quasi dicat, populum tuũ Israel olim tam dilectum, & tanquam peculiarem electum ex omnibus populis. Sic super cap. 1. in Lamed. Quoniam vindemiauit me Dominus in die iræ furoris sui. Hebraicè est

Sic quid significat. למי עוללת כה id est, cui feceris sic, id est, quam sic afflixeris, & tot malis affeceris, nimirum hæreditatem tuam, sponsam tuam, &c. Synagoga enim dicebatur hæreditas Domini, & sponsa. *Sed hæreditas proferendas huius tulit labruscas & spinas.* Isa. 5. *Idcirco abominatus est hæreditatem suam.* Psal. 105. *Sponsa autem facta est fornicaria & adultera, idcirco repudiata est.* Isa. 50. Eodem modo beatissima mater dicebat: *Fili, quid fecistis nobis sic.* ¶ *Ergo ne comedent mulieres fructum suum.*] id est, adeò ne te negligere miseriam & afflictionem meam quam à fame patior, vt sustineas matres deuorare suos ipsarum filiolos? Nam hoc in Hierusalem contigisse per tempus obsidionis hic locus apertè significat, & sub Tito etiam euenisse narrat Iosephus: vt hic refert. D. Hieronymus. ¶ *Paruulos ad mensuram Palmæ.*] Epexegesis est, eius quod dixerat fructum suum, id est, fructum vteri sui, id est, paruulos suos. Et addit, ad mensuram palmæ, vel palmi, vt admodum paruulos

Isa. 5. Psal. 105. Isa 50. Luc. 2.

signifi

ſignificet. Dionyſius exponit, ad menſuram palmæ, id eſt, quotidie comedendo certã menſuram. Hebræi legunt עוללי טפוחים id eſt, paruulos educationũm, hoc eſt, qui adhuc à matribus educabantur, nec poterant per ætatem adhuc cibum ſumere, facti ſunt cibus matrũ. Vnde R. Selomo exponit, paruulos tenellos, qui adhuc nutriebantur à matribus, quaſi dicat paruulos alumnos ſuos. Propriè טפח eſt metiri, mẽſurare. Et quoniam nutrices cùm infantem pannis inuoluunt, ſolent ipſum quodammodo menſurare, membra ipſorum tenera tractantes & componẽtes: ſignificat etiam nutrire & educare. Vnde mox in vltimo verſu, vbi dicitur, quos educaui, Hebraicè eſt אשר טפחתי Paraphraſtes habet, paruulos deſiderabiles, quos ſolebant inuoluere ſindonib. &c. LXX. habent, ἐπιφυλλίδα ἐποίησε μάγειρος, φονευθήσονται νήπια θηλάζοντα μαστοὺς id eſt, racemulum fecit coquus, occidentur infantes ſugentes vbera. Complexi ſunt duplicem lectionem, vnam עוללי טבחים id eſt, racemos coquorum, Alteram, quæ eſt in contextu, עוללי טפוחים id eſt, paruulos nutritionũ, id eſt, qui ad vbera nutriuntur. D. Hieronymus ſequutus eſt ſignificatum nominis, טפח quod ſignificat menſuram palmi, ſeu quatuor digitorum. R. Selomo ait Rabbinos exponere de Doeg, filio Ioſephi, quem mater ſolebat quotidie palmo metiri, vt offerret in templo tantùm auri, quantùm adoleuiſſet, & tandem comedit eum. ¶ *Si occiditur.*] id eſt, numquid occidetur? an patieris vel pateris vt occidatur. ¶ *In ſanctuario Domini.*] Id eſt, in ipſomet templo tuo,

quòd solebat omnibus esse asylum & tutela. ¶ *Sacerdos.*] Sacerdotes in templo fuisse occisos narrat Iosephus. Paraphrastes addit id factũ fuisse propter Zachariam filium Addo, sacerdotem magnum, quem iniquè occiderunt. Rabbi etiam Selomo ait quasi exponens. Nunquid decuit vos occidere Zachariam filium Iocadæ? vt scribitur in libro Paralipomenon lib. 2. 24. quòd argueric eos, quando conuenerunt ad adorandum Ioas, tamquẽ Deum: Tunc spiritus induit Zachariam filium Ioiadæ, qui erat sacerdos & propheta, & occiderunt eum in atrio templi. Sic R. Selomo. Idem prorsus ait. R. Don Ioseph. Hic Zacharias vocatur etiã filius Barachiæ, Matth. 23. Vbi Dominus ait Iudæis, *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui fusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter tẽplum & altare, &c.* ¶ *Et propheta.*] Id est, Prophetæ, quia nulli ætati, nulli sexui, nulli dignitati parcitum est: præsertim in vltima destructione. Nam in priori Hieremias seruatus est, eique concessa libertas quoquo vellet eundi. Licet autem hinc intelligere, in quantas miserias homines inducantur propter peccata. Nec enim aliter intelligi plenè potest, quanta sit peccati grauitas & turpitudo, nisi ex proportione & comparatione vindictæ.

Matth. 23.

Ex cõparatione vindictæ cõijci potest grauitas peccati.

ש *Iacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ & iuuenes mei ceciderunt in gladio, interfecisti in die furoris tui:*

ris tui: percußisti, nec misertus es.

¶ *Iacuerunt in terra foris.*] שכבו לארץ חוצות Paraphrastes: cubuerũt in terra, seu super terram platearum, paruuli & senes: qui soliti erant dormire super culcitras de molli lana, & in lectis eburneis. Septuaginta, ἐκαμήθησαν εἰς γῆν ἐξόδων, id est, dormierũt in terra exituum, id est, viarum, per quas exitur ab vrbe. Nos etiam Lusitani vocamus *Saidas*. Hebræi intelligunt de cubatione & dormitione: quòd in tanta vrbis calamitate non sustinerent in lectis suis & cubiculis dormire: sed per plateas humi cubitarent. Alij intelligunt de mortuis, quòd insepulti iacerent: prior expositio cõuenit voci Hebraicæ שכב quæ non dicitur de mortuis. ¶ *Puer & senex.*] Si de mortuis esset sermo, nihil referebat mentionem facere ætatis, sed ad commiserationem facit, quòd pueri tenelli, & debiles senes, humi & in plateis cubarent. ¶ *Interfecisti in die furoris tui.*] Quasi dicat. Vltimo supplicio affecisti, non iam ad correctionem castigando affectu paterno, sed ad vlciscendum iudiciali vindicta, & quasi hostili, in die furoris tui, id est, in die quem expectaueras & decreueras ad iustam vindictam sumendum de contemptoribus tuis. ¶ *Percussisti.*] Hebræ. טבחת id est, mactasti, iugulasti, more victimarum. ¶ *Nec misertus es.*] id est, non es commotus misericordia, vt eis parceres, & vitam condonares. Nam misericordia non est contraria iusticiæ. Aliquid tamẽ misericordiæ semper admiscet Deus in vlciscẽdo, nõ vt vltionẽ penitus omittat,

Misericordia Dei etiã in vlciscẽdo reperitur, quomodo.

sed

ſed vt vel differat, vel mitius quàm peccator meretur, cum eo agat. Miſeretur etiam, dum occidit eum, quem nouit in dies futurum fuiſſe peiorem, ſi diutius viueret.

ת *Vocaſti quaſi ad diem ſolennem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur: quos educaui, & enutriui, inimicus meus conſumpſit eos.*

¶ *Vocaſti.*] Id eſt, inuitaſti, tamquam ad epulum ſacrum. Hebr. futuri temporis eſt, ſed ponitur pro præterito, vt etiam monet R. Selomo. Nam id ſolenne eſt Hebræis. ¶ *Quaſi ad diem ſolennem.*] Id eſt, quaſi ad feſtum aliquod celebrandum, in quo mactari ſolent multa animalia, & multæ victimæ iugulari & immolari. Deus enim cùm per ſuam iuſtitiam occidit iniquos, vtitur eis tanquam victima & ſacrificio, in honorem ſuum, quo placatur ira eius, & ſatisfit iuſtitiæ ipſius. Sic Iſa. 34. *Victima Domini in Boſrâ, & interfectio magna in terra Edom,* Et Hier. 12. *Congrega eos quaſi gregem ad victimam: & ſanctifica eos,* id eſt, præpara eos, *in diem occiſionis.* Et Ezechielis. 39. *Concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis: vt comedatis carnem, & bibatis ſanguinem, &c.* Sic Sopho. 1. *Præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit,* id eſt, deſtinauit, parauit, *vocatos ſuos,* id eſt, inuitatos ad epulum. ¶ *Qui terrerent me.*] Id eſt, hoſtes meos. Hebr. מגורי id eſt, Ti-

Inſtar victimæ & ſacrificij eſt punitio malorum.

Iſai. 34.

Hierem. 12.

Ezech. 39.

Sopho. 1.

mores meos,hoc eſt,hoſtes quos timebã. R.Selomo exponit,vicinos meos peſſimos, vt cõgregentur contra me ad deſtruendum me. LXX. *παροικίας μου*, id eſt, peregrinationes meas. ¶ *De circuitu.*] Vel,vocaſti de circuitu,id eſt, vndique. Vel qui terrerent me vndique, ita vt nullum haberem effugium. ¶ *Et non fuit in die furoris Domini.*] Id eſt,furoris tui. Tranſeunt enim Hebræi de perſona in perſonam, & loco pronominis relatiui ponũt antecedens. ¶ *Qui effugeret.*] פליט id eſt, vel vnus ſuperſtes, qui plagam euaderet mortis. Sed eſt Hiperbolè quia comparatione multitudinis pauciſſimi euaſerunt mortem:nam Palit, proprie ſignificat eum qui ſolus euadit ex prælio,reliquis interemptis. ¶ *Et relinqueretur.*] ושריד id eſt, & reſiduus. Nam idem repetiit alio verbo. Quamquam R.Don Ioſeph exponit, Qui effugeret mortem.Et relinqueretur,ab exilio, id eſt,nullus euaſit mortem,aut captiuitatem. Paraphraſtes priorem partem verſus,præter cõtextus conſequentiam, refert ad tempus Meſſiæ, ſeu Chriſti, hoc modo: Eris Vocans, id eſt,vocabis, id eſt, adduces, libertatem populo tuo domui Iſrael per manum Meſſiæ, ſicut feciſti per manum Moſis,& Aaron, in die Paſchæ:quãdo congregati ſunt iuuenes mei circum,id eſt, vndique, ex omni loco, in quem diſperſi erant in die duræ iræ tuæ, Domine, & non fuit in eis reſiduus, & reliquus.Quos inuolui ſyndonibus, & quos enutriui deliciis regiis, deuaſtauit hoſtis meus.Iuxta tropologiam,iacet in terra foris puer & ſenex,cum ij qui innocentiam puerilem ſimu- *Tropologicè.*

labant,

labant, vt illi, qui videbantur consilio plebem regere, terrenis desideriis incumbẽtes, propter facinorosam vitam, de ciuitate Domini eiecti, terræ, cui animo inhæserant, coæquabuntur. Similiter & qui continentiam virgineam videbantur habere, & robur iuuentutis in operatione bona exercere, propter hypocrisim, quam coram oculis hominum gesserant, gladio futuræ damnationis occidentur. Quasi ad solennitatem verò vocati veniunt hostes, cum maligni spiritus, in die iudicij, ad puniendos peccatores exultantes conueniunt: Gaudent illi de ruina animarum, quia non ignorant ad suppletionem supernæ ciuitatis, vnde illi corruerant, creatum esse humanum genus: & ab hoc se priuatos æterna fœlicitate conspicientes: homines ne paradisum habeant, toto visu per inuidiam præcipitare festinant: Id quod non sinè grandi dolore sancta Ecclesia sustinet, cum filios suos, quos baptismate genuit, & sacramentis diuinis imbuit, sub inimicorum manu per diuersa scelera quotidie cadere videt.

CAPVT III.

ℵ *Ego vir videns paupertatem meus, in virga indignationis eius.*

ℵ *Meminauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.*

ℵ *Tantùm in me vertit & conuertit manum ſuam tota die.*

In hoc cap.3. ſingulæ literæ ternos inchoant verſus: in ſuperioribus duobus vnaquæque litera vnicum verſum incipit, qui tamen verſus, iuxta D.Hieronymum, triplici colo, ſeu commate continetur: iuxta quam hoc capite primùm calamitatem gentis Iudaicæ, ſeu potius humani generis deflendo pronuntiari: Deinde ſacramentum Dominicæ incarnationis ac paſſionis exprimi: & Iudæorum perſecutionem Chriſtique innocentis pœnas mortemque diſcribi fatendum eſt. D. Thom. ait Hieremiam hoc capite lamentari, & loqui in perſona ſua. Cui expoſitioni fauet, quòd vbi genus diſtingui poteſt, maſculinũ eſt. Vt cum ait, Poſuit me deſolatum, id eſt, שומם genere maſculino, non שוממה id eſt, deſolatam. Hieremias enim grauiſſimos labores tulit in medio nationis prauæ, idque non ad horam, ſed diutiſſimè. Ideoque nihil mirum, ſi dolorem ſuum exprimit, non murmurando, ſed humano affectu: vt omnes intelligant, quàm grauia mala, laboréſque pertulerit, cùm ſanctus eſſet & innocens: & diſcant etiam ipſi tolerare, neque protinus exiſtiment ſe à Deo deſertos eſſe, aut contemptos ſi in hoc mundo grauia patiantur. Quis enim credat quempiam grauiter dolere, quamuis id iureiurando affirmet, niſi videat eum gementem, ſeſe conſtringentem, & alia doloris iudicia exequentem? Verè noſtri Luſitani dicunt. *O mal o ben al roſtro vem*, hoc eſt animi vel gaudiũ, vel ægritu-

Gemere & lamẽtari ex primit verus dolores.

do in vultu cernitur. Denique ipſe Dominus, ſi ſingulare omnis virtutis, & maximè patientiæ & humilitatis exemplum, in cruce pendens, clamat *Pater mi, pater mi, vt quid dereliquiſti me?* ne quis putaret eum, cum tam grauiſſimos dolores pateretur, phantaſticum corpus habere, & non paſſibile & humanum, ſi nulla doloris grauiſſimi ac acerbiſſimi, quem patiebatur, ſigna oſtenderet. At imperiti, & ruſtici homines, cum viderint hominem, quem aliàs perfectum exiſtimabant, in dolore gemere, protinus deſpicere incipiunt, & bonam de eo opinionem abiicere; perinde atque ſi humana perfectio lapidea eſſet, non humana. Noſter igitur Hieremias, non ex impatientia gemit, aut conqueritur, ſed tamquam homo, quamuis ſanctus & perfectus, amabilis & venerabilis, dolorē ſuum exprimit: Sed ita, vt in ipſa expreſſione, cordatum virum atque fortem, non vecordem aut ignauū, poſſis perſpicere, vt in progreſſu oſtendemus, iuuante Domino. Sed tu caput hoc confer cum iis, quæ idem de ſe lamentatur in ſua hiſtoria cap. 15. *Væ mihi, mater mea, quare genuiſti me &c.* Et cap. 20. *Seduxiſti me, Domine, &c.* Et infra. *Maledicta dies in qua natus ſum*, &c. Qua de re nonnihil ibi attingimus in noſtra comentatiuncula. Nos itaque Prophetam ſanctiſsimum ſua etiam mala gemētem audiamus, vt diſcamus, qualiter etiam noſtra gemere & tolerare, qualémque vtilitatem ex afflictionibus noſtris capere debeamus. Id quod ego, vel imprimis vtile in hac vita eſſe exiſtimo, vt, quoniam in ea ſinè labore & afflictione viuere non poſſumus, tāquam

Chriſtus Dominus lamētabatur ad exprimēdū veros dolores.

Hier 15.
Hier. 20.

pruden

prudentes & ſpirituales, etiam ex malis bonum excerpamus: cum ſoleant carnales & inſipientes, etiam ex bonis, damnationem ſibi conciliare. Ait igitur Hieremias. ¶ *Ego vir videns paupertatem meam.*] Alij quidem prophetæ paupertatem & afflictionem Hieruſalem, & populi Iudaici præuiderunt & prædixerunt: mihi autem vni cōtigit & futuram præuidiſſe animo, atque prædixiſſe, & præſentē oculis cernere, atque lamentari. Ex quo meus eſt multò grauiſſimus dolor. Vnde pius Rex Ezechias, cum cognouiſſet futurā Hieruſalem captiuitatē, ſubiunxit, dicens: *Bonum verbum Domini, quod loquutus eſt: Et dixit tanquam ſingulare petens beneficium: fiat tantùm pax & veritas in diebus meis*, quaſi dicat, hoc opto, ne in diebus meis tantam videam iniquitatem & miſeriam. Iſai. 39. & Eccleſiaſtes ait ca. 4. *Laudaui magis mortuos quàm viuentes, & fœliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub ſole fiunt, &c.* Quæ quidem mala in dies creſcunt, abundante iniquitate, & frigeſcente charitate multorum. Quantùm enim incaleſcit cupiditas, tantùm frigeſcit charitas. Cupiditas, febris eſt animi: charitas, ſanitas ipſius: veluti & contemperatus, atque vitalis calor. Hebræi ſinè pronomine legunt ſic אני הגבר ראה עני id eſt, Ego vir ille, qui vidit afflictionem, hoc eſt, ex omnibus prophetis, qui prophetauerunt de deſtructione templi & ciuitatis, ſolùm in diebus meis ea facta eſt. Quare eam afflictionem, non ſolùm animo vidi, vt alij, ſed etiam oculis cernere coactus ſum: quod eſt multò acerbius. ¶ *In virga indignationis eius.*] Id eſt,

Iſai. 39.

Eccleſ. 4.

vidi paupertatem & afflictionem, ortam in virga, id eſt, propter plagam & flagellum, non patris, blandè caſtigantis, ſed iudicis, vel inimici indignantis, & ſeuerè atque rigidè vlciſcentis. Eſt igitur virga Domini: altera benignitatis & pietatis, de qua dicitur, *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Altera iræ & indignationis, de qua deprecatur iuſtus. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua caſtiges me.* ¶ א *Me minauit.*] Id eſt, adduxit. נהג Vnde eandem rem alio verbo repetit, dicens: *Et adduxit.* ויולך ¶ *In tenebras.*] Id eſt, in angores, dolores, & miſeriam. Nam quamuis Hieremiæ à victoribus data ſit libertas, & facultas quocũque vellet eundi, tamen multa mala etiam poſt vrbis excidium paſſus eſt: tum in Iudæa, tum in Ægypto: vbi dicitur fuiſſe à Iudæis lapidibus obrutus. ¶ *Et non in lucem.*] Id eſt, non in gaudium aut requiem. ¶ א *Tantùm in me.*] Id eſt, in me ſolum, ex omnibus prophetis, qui populum commonebant, & captiuitatem prædicebant, niſi reſipiſcerent. Vnde non habet locum adnotatio D. Thomæ, loqui Hieremiam more afflictorum, qui ſolùm ſuas plagas conſiderant, Vel dicit. Tantùm in me, quoniam alij ſuas quiſque miſerias ſentiebant, Hieremias autem omnium. Et erat enim tamquam pater, dolebátque nihil profuiſſe ſuas exhortationes. Et ſic videtur exponere. R. Selomo, dicens: Ego ſolus flagellor aſſiduè, quoniam omnes reuerſiones plagarum & verberum eius ſuper me, ſeu in me redundant &c. Sic etiam loquebatur Iacob. Geneſ. 42. *In me hæc omnia mala reciderunt.* *Geneſ. 42.*

Poteſt

Poteſt etiam legi,ſed in me, vt conſtruatur cum ſuperiori aduerſatiuè:me adduxit in tenebras, & non in lucem: ſed in me vertit &c. Et ſic habet Paraphraſtes, ברם בי id eſt,verum in me. Et LXX. πλὴν ἐν ἐμοὶ.id eſt,imo in me:vel aſſertiuè, certè,ſeu profectò in me. Nam hæc omnia ſignificant אך ¶ *Vertit.*] Dominus. Nam verbum שב interdum eſt actiuum etiam in Col: quantumuis repugnent R. Dauid, & R. Iona. Poteſt tamen etiam legi paſſiuè, conuerſus eſt ſeu verſus eſt:qui vſus eſt frequentior. Tantùm in me verſus eſt, id eſt, in me vnum iram ſuam effundit. ¶ *Et conuertit manum ſuam.*] יהפוך ידו Id eſt, reuoluit flagellum ſuum. *Sobre mi carregou ſuas manos.* Vnde Paraphraſtes יגלגל עלי מחתיה id eſt, reuoluit ſuper me plagam, ſeu percuſſionem ſuam. D.Thom.rectè exponit:vertit & conuertit,percutiēs,& iterum percutiens. Miror autem D. Hieron. commentarium. Vertit(inquit) manum ſuam Dominus,quando iuſtè in reos debitam vltionem immittit. Et conuertit manum ſuam, quando miſericorditer à vindicta ſententiam ſuſpendit. Certè enim hoc loco non videtur locum habere id diſcrimen. Sola enim mala hîc lamentatur, & nōdum beneficia commemorat:ſed diuerſis verbis eandem rem repetit, more prophetarum. Vnde etiam addit. ¶ *Tota die.*] Id eſt,iugiter & aſsiduè. Nam iuxta illud diſcrimen non quadrat,vt Deus in aliquem vertat manum ſuam,eandémque conuertat tota die.

ב *Vetuſtam fecit pellem meam, &*

carnem meam, contriuit ossa mea.

ב *Ædificauit in gyro meo, & circundedit me felle, & labore:*

ב *In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.*

¶ *Vetustam fecit.*] Explicat effectus suæ afflictionis & paupertatis: vetustam (inquit) fecit pellem meam, id est, præ angoribus & laboribus senescere me fecit ante tempus, ita vt caro mea, & cutis mea cōtracta & rugosa appareat: cùm nondum per ætatem sim senex, sic Psal. 6. *Inueteraui inter omnes inimicos meos*, id est, præoccupauit me senectus propter iniurias inimicorum, inter quos maneo. Hebraicè priori loco ponitur caro. Sic, vetustam fecit carnem meam, & cutem meam. Ex eo enim quòd caro intus tabescit & consumitur, fit vt cutis contrahatur & corrugatur. ¶ *Contriuit ossa mea.*] Id est, malum vsque ad ossa serpuit. *hasta los ossos.* quasi dicat. Videor mihi habere ossa contrita & confracta, id est, tabefacta. sic. Psal. 31. *Inueterauerunt ossa mea*, id est, tabida & putria facta sunt, D. Thom. parabolicè de populo exponit, hoc modo: Hîc, inquit, ponit effectum diuinæ percussionis. Primò consumptionem virium in toto populo: quia, pellem, in qua plebs intelligitur, quasi exterius circunstans; carnem, in qua delicati & teneri: ossa, in quibus fortes de populo bellatores: totum vetustate tabefecit. Sic D. Thom. qui intellectus licet verus

Psal. 6.

Psal. 31.

in se

in ſe ſit: tamen quando contextus ſinè parabola intelligi poteſt, parabola non debet habere, nec habet locum. Quamquam D. etiam Hieronym. de populo Iudaico interpretatur. ¶ *Aedificauit in gyro meo.*] בנה עלי ædificauit contra me, ſubaudi, muros, ſeu arces & munitiones, id eſt, כרבומין vt addit Paraphraſtes, id eſt, vndique preſſuris me coarctauit, exponit D. Hier. ¶ *Et circundedit me felle & labore.*] Id eſt, amaritudine & labore repletum coanguſtiauit, vt dicere poſſim illud Dauidis, *ex omni parte me anguſtiæ premunt*. 1. Paralip. 21. quaſi dicat. Quocúnque me vertam vel loco, vel cogitatione, omnia occurrunt & obiiciuntur triſtia, & moleſta & acerba. In libro Agada (vt refert R. Selomo) fellem interpretantur Nabuchodonoſor, quando captiuum duxit Ioachim & bonã partem populi: laborem, Nabuzardam, qui plagã abſoluit & conſummauit in diebus Sedechiæ. ¶ *In tenebroſis collocauit me.*) Id eſt, omni ſolatio deſtitutum, nullam ſinit de preſenti vita conſolationem ſperare afflictum. R. Don Ioſeph refert ad tempus, quando Hieremias miſſus eſt in lacum. Tunc enim re vera in tenebroſis locis fuit veluti ſepultus, & in lutum demerſus. Hier. 38. ſed melius generaliter intelligitur, collocauit me in tenebroſis, id eſt, in rebus aduerſis atque in miſeriis & tribulationibus, vt ſupra, adduxit me in tenebroſis, & non in lucem. ¶ *Quaſi mortuos ſempiternos.*] כמתי עולם id eſt, ſic derelictus ſum in mea miſeria & angoribus, vt ij qui priorib. ſæculis iampridem mortui ſunt, quorũ nulla iam extat memoria, nec eſt iam ami-

1 Par. 21.

Hier. 38.

cus,cognatus,aut affinis,qui ipsorum recordetur.
Psal.142. Sic Psal. 142. *Collocauit me in obscuris sicut mortuos*
Psal. 30. *saeculi.*Et Psal.30.*obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde.*Est autem hyperbolica Hieremiæ exaggeratio, habebat enim nonnullos qui eius recordarentur,& eum consolarentur, vt Abdemelech eunuchū, Hier.38. & ipsummet Nabuchodonozor.Hier.40. sed tāta erat malorum magnitudo,vt nullam reciperet consolationem. Vt neque Iacob de perditione Ioseph,Genes.37.

Hierem.38.

Genes.37.

ג *Circum ædificauit aduersùm me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum.*

ג *Sed & cùm clamauero, & rogauero, exclusit orationem meam.*

ג *Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit.*

Perstat adhuc in exaggeratione malorum & angorum suorum,eandem rem inculcās diuersis verbis. ¶ *Circum ædificauit.*] Id est, alto atque firmo muro me conclusit. ¶ *Vt non egrediar.*] Id est,vt inde exire non possim,sic supra cap.1.in Num. Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere, quasi dicat. Tantis malis circunuallatus sum, vt totum nullum finem videam, nullum exitum inueniam. Atque hæc quamuis Hieremias de se dicere videatur,tamen etiam de populo & synagoga dicit, cuius mala in ipsum

redun

redundabant, tamquam filiorum in parentem. ¶ *Aduersùm me.*] Quaſi deſtinatò, & ex induſtria. ¶ *Aggrauauit compedem meum.*] Non ſolùm muro me concluſit, ſed inſuper grauiſſimis cathenis & compedibus pedes meos alligauit. Per quæ ſignificat difficultatem, imo impoſſibilitatem effugiendi. ¶ *Sed & cum clamauero & rogauero.*] Quoniam fit interdum, vt qui per vim non poteſt ruptis cathenis & muris effugere, liberationem tamen precibus conſequatur. Sed neque precibus (inquit) mihi vllus relictus eſt locus, apud iratum & implacabilem iudicem. Vnde Hieremias ter prohibitus eſt pro illo populo orare. Hier. 7. *Noli orare pro populo hoc, &c.* *Hierem. 7.* Et cap. 14. *Noli orare pro populo iſto in bonum, cùm* *Hier. 14.* *ieiunauerint, non exaudiam preces eorũ &c.* Et ca. 11. *Hier. 11.* *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, &c.* ¶ *Et rogauero.*] Hebr. ואשוע id eſt, & clamauero, ſeu vociferatus fuero. Nam Hebraicè duo ſunt verba idem ſignificantia. Sic etiam LXX. *καί γε ὅτε κεκράξομαι καὶ βοήσω.* ¶ *Excluſit.*] Id eſt, ingredi vetuit & prohibuit, id eſt, non admiſit. Nam id ſignificat excludere & non ſolùm foras pellere, id quod iam introgreſsũ eſt. Infra Samec, oppoſuiſti nũbem tibi, ne tranſeat oratio &c. Deus aliquando non audit ſanctos etiam pro ſeipſis orãtes, quoniam nouit eis melius eſſe, vt non impetrent. Sic non exaudiuit Paulum, orantem vt auferretur à ſe ſtimulus carnis, quo valde cruciabatur, cum per idipſum rogaſſet. 2. Corinth. 12. Quem ſtimulum carnis Aug. in Pſalm. 58. videtur de carnali

Deus aliquando non exaudit ſãctos pro ſeipſis orantes gratiam.

2. Corin. 12.

concupiſcentia intelligere: ſępe etiam orationem non iratus excludit, ſed placidus & beneuolus differt, vt tempore faciat commodiore. ¶ *Orationem meam.*] תפלתי Id eſt, preces meas ¶ *Concluſit*] גדר Id eſt, obiecto pariete impediuit, ne abire poſſem. ¶ *Vias meas.*] Id eſt, omnes rationes & modos euadendi. ¶ *Lapidibus quadris.*] *De cantaria*, Luſitanè, vt firmior eſſet murus. ¶ *Semitas meas ſubuertit.*] Id eſt, diſsipauit omnes rationes meas, & conſilia quibus poſſem euadere: vt qui vias deſtruunt, & obſtruunt, ne quis tranſire poſsit. Hebr. עוה id eſt, ſinuauit, tortuoſam fecit, & in anfractum redegit, quaſi dicat, ſi quà coner effugere, id non poſſum per vias ſtratas & publicas, ſed per anfractus, cum maximo periculo & labore. Hæc omnia ſignificant peccatorem nulla arte, nullo conſilio, nullis technis euadere poſſe, de manu & vinculis Domini, quin meritas luat pœnas, vel temporales, vel ſempiternas. Vna omnino eſt effugiendi via, pœnitentia, vt vltro potiùs te ipſe punias, quod tibi erit valde fructuoſum, quàm vt inuitus crucieris, & ſinè vllo tuo fructu. Deus enim, vt eſt ſeuerus exactor pœnæ aduersùs impœnitentes, ſic eſt benignus condonator culpam agnoſcentibus, & confitentibus, & in ſeipſis ſponte ſua punientibus.

Peccator nulla via poteſt euadere manus Dei.

ד *Vrſus inſidians factus eſt mihi, leõ in abſconditis.*

ד *Semitas meas ſubuertit, & confregit me, poſuit me deſolatam.*

Teten

ו *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.*

Eandem rem proſequitur, id eſt, difficultatem, imo impoſſibilitatem euadendi. ¶ *Vrſus inſidians factus eſt mihi.*] Dominus, id eſt, conuerſus eſt mihi in vrſum inſidiantem in via, quaſi dicat, ſi qua via tento effugere, obuiam ſeſe mihi offert Dominus, tanquam vrſus deterrens me à progrediendo. Hoc autem Dominus facit, non per ſe, ſed per creaturas ſuas variis modis, vt per angelos bonos, vel malos, per homínes itẽ bonos, aut malos, per vẽtos, per tempeſtates. Veluti Balaam viam interclusit & inuertit, per angelum euaginato gladio obſiſtentem. Numer. 22. & Ionan fugientem inhibuit, immiſſa in mare tempeſtate ſubita. Et ſic mille modis nobis occultis impedit ſæpe vias & cogitationes hominum, vt non perficiant ea quæ proponunt, ſed ea quæ ipſe vult. Sic Oſeæ 13. ait: *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & diſrumpam interiora iecoris eorum, &c.* ¶ *Leo in abſconditis.*] Factus eſt mihi Dominus, occurrens mihi terribilis vt leo, & deterrens me à fugiendo, & intra meam pœnam manere cogens. Oſeæ 13. *Conſumam eos ibi quaſi leo, beſtia agri ſcindet eos, &c.* Quod autem addit, inſidias & in abſcõditis, hoc ſignificat, quòd non poteſt humana infirmitas Dei iudicia præuidere, aut præcauere ratione vlla, aut conſilio. ¶ *Semitas meas ſubuertit.*] id eſt, abſtulit omnem rationem euadendi Heb. סורר id eſt, ſpinis & tribulis conſtrauit, iuxta R. Selomo. Don Ioſeph, R. Dauid quoque

Intercludit Dominus viã peccatoribus per creaturas rõnabiles & irrationabiles.

Num. 22.

Oſea 13.

Oſea 13.

Infirmitas humana præcauere nõ poteſt iudicium Dei, id eſt, præuidere.

admittit eam expoſitionem. Sed exponit etiam peruertit ſeu inuertit, ſeu tortuoſas ac deuias fecit. Paraphraſtes quoque habet סרב id eſt, peruertit, ſeu inuetit. LXX. Videntur legiſſe דרכי pro דרכני habent enim κατεδίωξεν ἀφεστηκότα id eſt, inſecutus eſt abſcedentem. ¶ *Et confregit me.*] Per arduos anfractus & deuia loca fugientem, quaſi dicat, plus laboraui, & plus damni feci in ipſa tentata fuga, quàm ſi manſiſſem: vt interdum contingit fugientibus, vt dum ex alto ſaliunt, aut per ſalebras & abrupta decurrunt, crura frangant. Heb. ויפשחני id eſt, rupit ſeu perfregit me. Qui enim tranſeunt per viam aſperam, oportet vt interdum plus æquo dilatent greſſus, & crura diſtorqueant, & rumpant. Sic R. Selomo, R. Don Ioſeph, Paraphraſtes: ישסעני id eſt, diſcerpſit, diſcidit, ſic etiã R. Dauid. ¶ *Poſuit me deſolatam.*] id eſt, redegit me in deſertum, & ſolitudinem, id eſt, deſtruxit ac deſolauit me. LXX. ἔθετό με ἠφανισμένην. Poſuit me deletam; id eſt, deleuit me & in nihilum redegit. Et ſunt verba ſynagogæ. Hebraicè maſculino genere legitur. שמני שומם id eſt, poſuit me deſolatum ſeu deſtructum. Et LXX. in eodem verſiculo dixerunt, ἀφεστηκότα, non, ἀφεστηκυῖαν. Poſſunt eſſe verba Hieremiæ vel pro ſe, vel de populo, vel de ſynagoga. ¶ *Tetendit arcum ſuum*] Vt fortius eiacularetur, quaſi dicat, non remiſsè neque blandè me caſtigauit, ſed aſperè & rigidè. Tetendit arcum ſuum, id eſt, intendit iudicium ſuum, diligenter examinando grauitatem criminum meorum. Quod ſi etiam in hoc ſęculo, vbi adhuc miſericordia locum habet,

tantus rigor cernitur iudicij diuini, quid expectandum putas in futuro? Nam omnis rigor, omne flagellum, omnis vltio, & omnis cruciatus præsentis sæculi, vmbra sunt, præ futuri. ¶ *Et posuit me quasi signum ad sagittam.*] id est, Quemadmodum solent sagittarij se exercentes, multas sagittas in album mittere, eúmque pro se quisque ferire: sic Dominus in me suas misit sagittas, id est, varios cruciatus, & numerosa afflictionum genera, quibus pũgor atque crucior. Solent enim apud quosdam sagittis configi malefici. Quęcunque igitur in hac vita patimur, sagittas esse Domini cogitemus, pro nostris nos sceleribus ferientis: scelera deponamus, & ipse sagittas arcúmque de manu sua abiiciet & deponet.

ה *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.*

ה *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.*

ה *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.*

Cum superiori connectitur. Tetendit arcum suum, & misit, id est, iecit, iaculatus est. ¶ *In renibus meis.*] id est, in viscera mea. Sed ideò renes nominauit: quia sedes sunt libidinis, ex qua varia scelera oriuntur. ¶ *Filias pharetræ suæ.*] id est, sagittas suas, Periphrasis Hebraica. Consimiliter lamentatur Iob cap. 30. *Pharetram suam aperuit,*

Renes sedes sunt libidinis ex qua omnia mala.

Iob. 30.

& affi

Pharetra Dei occultũ iudicium.

& *afflixit,me,&c.* Pharetra Dei, iuxta D. Hieron. est occultum Dei iudicium vel consilium. Sagittam verò, de pharetra eiicit, quando de occulto iudicij cõsilio apertam sententiam emittit. Quòd enim flagellatur quisque, agnoscimus: sed ex qua causa flagellum veniat, ignoramus. Cùm verò post flagella vitæ correctio sequitur, aut non sequitur, consilij ratio aperitur. Aliquos enim feriendo corrigit & emendat, alios duriores reddit, vt iustius damnet, vt Pharaonem: pharetra igitur clausa, est consilium occultum, sed sagitta emittitur, cùm consilium aperitur, & per quod post vulnus sequitur, quo consilio vulnerati simus, cognoscitur. Cùm peccata Dominus videt, & non ferit, quasi clausam pharetram tenet: Cùm autem ferit, indicat quantum sibi in nobis displicuit hoc, quod diu videndo tolerauit. ¶ *Factus sum in derisum omni populo meo.*] Derisionẽ populi sui propheta passus est, quando verbis eius non crediderunt, imo repugnabant, dicentes ad eum

Hier. 43.

cap. 43. *Mendacium tu loqueris: nõ misit te Dominus.* Sic D. Hieron. ex quo constat, ipsum quoque hęc intelligere, de ipsa Hieremiæ persona, suos labores lamentante. Id quod confirmatur ex eodem

Hier. 20.

Hieremia in sua historia cap. 20. Vbi ait eisdem verbis. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum: factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me: Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisum tota, &c.* Vnde prophetiam eius sub quadam æquiuocatione irridentes, vocabant, onus Do-

Hierem. 23.

mini, cap. 23. vt ibi exposuimus. Sed tamen sub persona Hieremiæ intelligitur vnusquisque iu-

ſtus,& omnis cœtus fidelium. Quicunque enim voluerit piè viuere in Chriſto, perſequutiones, ne dum irriſiones, patiatur neceſſe eſt. ¶ *Canticum eorum tota die.*] Factus ſum. Hoc eſt, componunt & cantillant de me cantilenas, infamantes deridentes me. Sic infra in Sin. Ego ſum Pſalmus & eorum, id eſt, ſum materia canticorum, quæ de me componunt & pſallunt. Sic Pſalm. 68. *In me pſallebant, qui bibebant vinum, &c.* Hos autem imitantur qui viros iuſtos & innocences libellis & ſimilibus cantilenis infamant. ¶ *Repleuit me.*] השביעני Saturauit me, quaſi dicat, vſque ad ſatietatem me repleuit Dominus, permittens me ludibriis impiorum. Sic infra in Iod. *Saturabitur opprobrijs.* Id eſt, multis contumeliis afficietur. ¶ *Amaritudinibus.*] Hebraicum verbum. מרורים ſignificat propriè intinctum, & veluti ius ex multis herbis amaris expreſſum: quale erat embamma illud & condimentum, in quo intingebant agnum Paſchalem. Pro quo D. Hieron. Exod. 12. & Nu. 9. vbi eſt idem verbum Hebraicum, tranſtulit lactucas agreſtes, earum ſuccum volens intelligere, & aliarum ſimilium, id eſt, amararum herbarum. Vnde in cœna Domini dicitur, *Qui intingit mecum manum in paropſide, &c.* Quod non de aceto intelligẽdum eſt, ſed de amaro illo embammate, quod lex præcipiebat. Vt enim recordarentur amaritudinum, quas in Ægypto pertulerant, vnde agni immolati beneficio fuerant liberati, iubebantur agnum ex amaro illo embammate & intinctu, manducare: Ad quod alludere videtur Hieremias, dum ait, ſaturauit me, &c

Pſal. 68.

Ius ſeu embamma in quo intingebãt agnum Paſchalem.

Exod. 12. Num. 9. Matth. 25.

Eſus agni Paſchalis cũ amaritudine, quare.

¶ *Inebriauit me.*] הרוני id eſt, ſatiauit me. ¶ *Abſynthio.*] id eſt, potione ex abſynthio expreſſa. Nam hoc verbum nunquam inuenitur dictum, niſi de re ſatiante per modum potus. Si igitur Hieremias ſanctus & innocens, & iam inde ab vtero ad prophetandũ ſanctificatus & deſtinatus, talia patitur, & amaritudinibus ſatiatur, nos non debemus in hoc mundo delicias & pretioſa vina deſiderare. Quæ certè tanto auidius concupiſcimus, quanto minoris meriti ſumus, & peccata noſtra non cogitamus. Si enim cogitaremus, facilè intelligeremus, quales deliciæ nobis conueniant.

ו *Et fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.*

ו *Et repulſa eſt à pace anima mea, oblitus ſum bonorum.*

ו *Et dixi: periјt finis meus, & ſpes mea à Domino.*

Et fregit. ויגרס id eſt, comminuit, contriuit. ¶ *Ad numerum.*] id eſt, omnes quaſi eos numeraſſet, ne quis fracturam euadat. Hebr. בחצץ id eſt, calculo, hoc eſt, calculis ſeu lapillis, quales ſunt arenæ. Quia ſcilicet cogebatur comedere panem ſordidum & arenoſum. Vnde R. Selomo. de populo exponens, ait, quòd coquebant captiui panem ſuum in foueis, quas in humo faciebant: itaque adhæreſcebant conſperſioni atque maſſæ la-

pilli

pilli & arenæ, quibus dentes offendebantur. Sic Prouerb. 20. *Suauis est homini panis mendacij.* Et postea ימלא פיהו חצץ id est, implebitur os eius calculo. Vt etiam ibi vertit D. Hieronymus, & hoc modo interpretatur. In quocunque membro quis amplius peccauerit, in eo ampliora in vltione patietur tormenta. Vnde rectè, qui in lingua magis delinquit, in ea plus arsurus esse perhibetur, dum os eius calculo, qui est lapis ignitus, implendum esse refertur, &c. Sciendum tamen, quòd nec vocabulum Hebraicum חצץ neque Latinum calculus, lapidem ignitum significat, sed simpliciter & absolutè lapillum. Vnde locus sic intelligitur. Qui delectatur suaui pane mendacij, postea cruciabitur, & cogetur cum dolore manducare lapillos, quibus dentes eius conterantur. Vnde etiam in præsenti, quod dicitur, fregit ad numerũ dentes meos, exponit, id est, abstulit mihi vsum edẽdi, & pauit pastu inutili, &c. addere potuit inutili, molesto, atque acerbo: LXX. quoque habent, καὶ ἐξέβαλε ψήφῳ ὀδόντας μου, id est, & excussit calculo dentes meos. Quoniam verò calculis solemus numerare, idcirco in præsenti Hieronymus pro ablatiuo, calculo, vertit, & interpretatus est, ad numerũ, quasi dicas, ad calculũ. Sed melius sumi videtur in sua propria significatione, propter verbum frãgendi, cui cõnectitur, Vnde etiã addit alterum ablatiuũ. ¶ *Cibauit me cinerũ.*] הכפישני באפר id est, cõtexit, cooperuit me cinere, iuxta R. Dauid. Et exponit, posuit me vas in cinere, quousque operuit seu obruit me. Vel, inuoluit & volutauit me in cinere.

Prouerb. 20.

Cinerẽ substernebãt Iudæi in luctu.

Sic

Isai.58. Sic R.David. Nam in magnis calamitatibus ſolebant cinerem ſubſternere, & in eo ſe volutare: Vnde illud Iſa. 58 Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi, ſaccum & cinerẽ ſternere? Paraphraſtes habet כנעית id eſt, humiliauit me. R. Selomo & R. Don Ioſeph, כסני id eſt, operuit me. LXX. ἐψώμισέ με, id eſt, nutriuit me. Verbum Hebraicum hoc ſolo loco inuenitur. Idcirco pro loci commoditate exponi poteſt, ac magis conuenire videbitur. Satis autem conuenit ea ſignificatio, quam D. Hierony. amplexus eſt. Et iuxta Rabbinorum ſenſum non ſignificat, cibauit, ſimpliciter, ſed ingurgitauit, id eſt, vſque ad guttur

Pſalm. 101. repleuit. Sic Rex Dauid ait. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Nimirum, cum dolorem, &

Tropologicè. pœnitentiam agerem de peccatis meis. Nota hic elegantem beati Hieronymi tropologiam de dentibus. Miſticè, inquit, in ſcriptura ſacra, den-

Dentes prædicatores in ſacraſ. & ſenſus interni. tes aliquando prædicatores, aliquando verò interni accipi ſenſus ſolent. De ſanctis enim prædicatoribus ſponſæ, dictum eſt (Cant.4.) *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Hoc autem loco Hieremias pro interioribus ſenſibus dentes accipit, per dentes enim cibus frangitur ne glutiatur. Sic interni ſenſus ſingula quæ cogitant, quaſi mandunt, & comminuunt, atque ad ventrem memoriæ tranſmittunt, Quos propheta ad numerum fractos dicit: quia iuxta menſuram vniuſcuiuſque peccati, intelligentiæ cæcitas generatur in ſenſibus: & ſecundùm quod quiſque egit exterius, in eo obſtupeſcit: quod interius, atque in inuiſibilibus intelligere potuit.

Vnde rectè ſcriptum eſt: omnis homo qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcunt dentes eius. Quid nanque vua acerba, niſi peccatum eſt? Vua quippe acerba eſt fructus ante tempus. Quiſquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat, &c. Neceſſarium eſt igitur, vt plebs detrimentum patiatur, & minus ſana ſit, ſi diuini cibi præmãſores ipſi edentuli ſint, id eſt, ſi epiſcopi & alij prælati atque prædicatores dentes vel nõ habeant, vel obtupeſcẽtes habeãt. i. ſi ſint imperiti, aut huius ſæculi delectationibus dediti. ¶ *Et repulſa eſt*] id eſt, elõgata eſt, remota eſt, lõgè facta eſt ותזנח LXX. in tertia perſona & actiuè legũt καὶ ἀπώσατο ἐξ εἰρήνης ψυχήν μου, id eſt, & expulit à pace animam meam. Sed Rex Dauid verbum abſolutum eſſe dicit. Paraphraſtes habet, & ceſſauit pacem petere anima mea, id eſt, omnino pacem deſperat. ¶ *A Pace.*] id eſt, à proſperitate. Nam omnia bona nomine pacis intelligunt Hebræi, & certè felicitas, & beatitudo, ſeu beata vita nihil aliud eſt, quàm perfecta & conſummata pax, & omnis reſiſtentiæ vacuitas. ¶ *Anima mea.*] id eſt, ego, per metonymiam. ¶ *Oblitus ſum bonorum.*] id eſt, tanta eſt magnitudo præſentis mali, vt omnem mihi præteritorum bonorum memoriam abraſerit. Sic Geneſ. 41. *Sequentur ſeptem anni tantæ ſterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia, &c.* Sic contra fit, vt tanta ſit bonorum abundantia, vt obliuioni tradantur præterita mala. Vnde Ioſeph in Ægypto exaltatus, primogenitum filium vocauit Manaſſem, dicens: *Obliuiſci* Geneſ. 41.

Ibid. v. 51. *me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.* Quaſi dicat, non ſolùm malorum quæ pertuli, poſtquam de domo patris exiui, ſed etiam bonorum, quæ in ipſa paterna domo habebam, oblitus ſum: tanta eſt præſentis boni copia. Sic damnatorum tanta erit miſeria, vt omnium deliciarum obliuiſcantur, quas in hac vita habuerunt: quòd ſi ipſarum recordabuntur, id erit maiori cruciatui: beatorum verò tanta erit fœlicitas, vt omnium huius ſæculi laborum obliuiſcantur: & ſi in memoriam venerint, id cedet in gaudium. D. Hieronymus ait: Si hæc iuxta hiſtoriam conſiderentur, magna anguſtia Iudaici populi exprimitur: qui ſe repulſum ab omni fœlicitate terrena, & oblitum præteritorum bonorum propter imminentem captiuitatis tribulationem aſſerit: nec iam finem præſentis tribulationis vllum, vel conſolationis ſpem habere ſe dicit. Sic Hieron. & citat ſimilem locum Iob. cap. 7. *Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea: deſperaui, nequaquam vltra iam viuam, &c.* Suſpendium autem myſticè interpretatur ſublimium contemplationem: oſſium verò mortem, mortificationem eorum quibus in mundo valebamus, per humilitatem. ¶ *Et dixi.*] id eſt, mecum reputaui, & mihi perſuaſi, tot malis obrutus. ¶ *Periјt finis meus.*] id eſt, nullus erit tribulationis meę finis. Sic Hieronymus: quod dicitur vel ex perſona infirmorum, qui ſolùm præſentia conſiderant mala, cùm tamen Scriptura dicat, Eccleſiaſtici cap. 11. *In die* Eccleſ. 11. *bonorum ne immemor ſis malorum: & in die malorum, ne immemor ſis bonorũ, &c.* Vel ſi ex perſona etiam

iuſtorum & robuſtorum accipiatur, hyperbolen habet, magnitudinem mali exprimẽtem. Quemadmodum Paulus de ſe ait. 2. Cor. 1. *Supra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere, &c.* Hæc autem cognoſcere vtile eſt infirmis, vt diſcant etiam ipſi maiorum exemplo, mala huius vitæ tolerare, Hebraicè eſt אבד נצחי id eſt, periit fortitudo mea: vigor meus, virtus mea. Quomodo Paulus ſe grauatum eſſe dixit ſupra virtutẽ, ſcilicet, ὑπὲρ δύναμιν, id eſt, ſupra vires nimirum proprias. Vnde Paraphraſtes habet תוקפי id eſt, robur meum, fortitudo mea. Sic etiam R. Dauid quaſi dicat, conſumptus eſt mihi atque defecit ſpiritus vitalis. vnde etiam ſanguis, quoniam eſt ipſum robur atque vis, qua præcipuè viuimus, etiam vocatur נצח vt Iſa. 63. *Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* R. Selomo exponit, ſæculum meum, id eſt, ὁ αἰών μου, id eſt, periodus vitæ meæ. Vnde ſæpe legitur לנצח id eſt, in ſæculum, LXX. τὸ νῖκός μου, id eſt, victoria mea. Vnde quod Paulus ait, *Abſorpta eſt mors in victoriam*, ſignificat in ſæculum, in æternum. ¶ *Et ſpes mea.*] ſubaudi, periit, intelligitur quantum ad liberationem de præſentibus malis, & ſecundùm ordinem ſecundarum cauſarum. Quomodo medici dicuntur deſperare de ſalute ægroti: ſic etiam de Dauid dicitur, quòd deſperabat ſe poſſe euadere. Deſperare autem, id eſt, ſpem amittere bonorum æternorum, nullo modo licitum eſt: nec etiam temporalium, ad Dei potentiam referendo, quaſi potens non ſit de præſenti periculo liberare. ¶ *A Domino.*] מיהוה

2. Cor. 1.

Iſa. 63.

2. Cor. 15.

id eſt, iam non ſpero à Domino, vt me eripiat: non quin id facere poſſit, ſed quia video ex rerum proceſſu non eſſe eius voluntatem vt euadam. Sic Actor.27. *Iam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ,* & Iob.19. *Deſtruxit me vndique & pereo: & quaſi euulſæ arbori abſtulit ſpem meam, &c.* Vbi Iob latè exponit miſerias & dolores ſuos, adeò vt blaſphemus videatur, niſi piè intelligatur. Ait enim: *Intelligite quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, &c.* Quamquam Iob poſtea cap.39. à Domino redargutus arrogantiæ veniam petit. Quare cauendæ ſunt eiuſmodi querelæ, & omnia verba, quæ quouis modo ſpeciem pręferant alicuius indignitatis Dei Optimi Maximi. Cùm tamē viderimus viros, alioqui iuſtos, in eiuſmodi verba prorumpere: cogitemus doloris magnitudinem, & agnoſcamus humanam imbecillitatem, quæ nobis cum illis communis eſt: qui fortaſſe multo etiam peiora diceremus, ſi perinde, vel etiam minus affligeremur, neque ſtatim viros, aliàs iuſtos, condemnemus prorſus, & contemnamus. Vnde Dominus non aſperè, ſed valde leniter Iobum caſtigauit, eúmque in ſuam gratiam recepit, & omnia bona quæ abſtulerat, duplo reſtituit: Amicos autem eius, ipſum aſperius corripientes, obiurgauit. Refertur tamen in hiſtoria Iobum verba eiuſmodi protuliſſe, vt verè hominem fuiſſe intelligas, nec rem fictam cogites: vt falsò nonnulli putauerunt. Si enim vbique, dicens inuenietur, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum:* tunc communem hominum ſenſum, ac prorſus humanitatē vllā habuiſſe non

Actor.27. Iob.19.

Querela aduerſus Deū & omnes ſpecies indignitatis cauendæ.

Iob refertur & exprimitur dolens quare.

crede

crederetur: vt etiam ſupra diximus de Domino Saluatore, qui humanam fragilitatem non ſolùm verè ſuſcepit, ſed etiam veris, & minimè fictis ſignis declarauit.

ז *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis.*

ז *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*

ז *Hæc recolens in corde meo, ideo ſperabo.*

¶ *Recordare.*] Non quòd in Deum cadat vlla obliuio, vt nec ignoratio: ſed quia dum non ſuccurrit, quaſi oblitus videtur. Eſt ergo ſenſus, recordare, id eſt, tāquam memorem te gere, & ſubueni. ¶ *Paupertatis meæ.*] עניי id eſt, afflictionis meæ, vt etiam ſupra in primo verſu expoſuimus. Afflictio autem latius patet quàm paupertas. Ait ergo, recordare afflictionis meæ, id eſt, cura afflictionem meam, libera me ab afflictione mea. ¶ *Et tranſgreſſionis meæ.*] Subaudi, recordare. Quæ petitio mirabilis eſt: cùm Propheta dicat, *non intres in iudiciū cum ſeruo tuo Domine.* Pſal. 142. Et ſupra tanquam imprecando dicebat cap. 1. in Tau. Ingrediatur omne malum eorum coram te, &c. Et Tobias obſecrat cap. 3. *Ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea vel parentum meorum, &c.* Et Iſa. 43. vt ſingulare beneficium optabilem illam ἀμνηστίαν vltro promittit, dicens: *Peccatorum tuorū non recordabor, &c.*

Pſal. 142.

Tobias 3.

Iſa. 43.

Denique nō recordari peccatorum,eſt in gratiam redire,aut recipere, vt Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitētiam omninm iniquitatū eius,quas operatus eſt, non recordabor,&c.*Et ſæpe aliàs.Quomodo igitur orat in præſenti peccator , Recordare tranſgreſſionis meæ?Hunc nodum D.Hieronymus tranſiliuit. Lyranus verò ita ſoluit,vt eruditis nō ſatisfaciat. Ait enim:Accipitur hîc tranſgreſſio paſſiuè,id eſt,paſſionis meæ,quam Chaldæi intulerūt mihi vltra modum. Sic Lyranus.Dionyſius verò hoc modo:Tranſgreſſionis,id eſt, maximi exceſſus , ſeu doloris:vel tranſgreſſionis, qua de terra propria ad alienam profectus,ſiue trāſlatus ſum. Vnde aliqui textus habent, tranſmigrationis.Sic Dionyſius. Vterque tranſgreſſionem non pro culpa , ſed pro pœna interpretatur.Sed repugnat Hieronymus , qui apertè tranſgreſſionem legit, & pro culpa accipit , eius verba ſunt : Recordare, &c. Mutata loquutione ad ipſum Dominum pro populi calamitate Propheta orationis verba conuertit : vt ipſe qui flagella peccantibus iuſtè intorſit, afflictis opem miſericorditer impendat. Propter tranſgreſſionem ergo ad paupertatem venerunt,&c.Paſchaſius mira ſubtilitate nodum ſoluit,accipiens ex perſona Chriſti.Quærendum, inquit,cur trāſgreſſionis ſuę recordari petat,cùm neque Chriſtus tranſgreſſionem admiſerit peccati , neque rectè tranſgreſſionem ſuam aliquis offerat iudici, qua puniatur : imò rogat eum Dauid : *Auerte faciem tuam à peccatis meis , & omnes iniquitates meas dele.* Ecce oſtenſus nodus. Accipe nunc ſolutionem. Sed eſt,inquit,quod Chri-

Ezech.18.

Pſal.50.

ſtus

ſtus tranſgreſſionis ſuæ orat recordari, quia cùm tranſgreſſionem legis, tum præceptorum Dei nullam admiſerit, tranſgreſſio pro nobis factus eſt. Hinc ſanè & Apoſtolus: *Pro nobis peccatum factus eſt, & maledictum, &c.* D. Thomas tranſgreſſionem pro culpa exponit: ſed nodum non attigit. Iuxta Hebræorum lectionem nulla eſt difficultas, qui legunt ומרודי id eſt, נענועי Inſtabilitatis meæ, id eſt, quòd inſtabilis & incerta ſede vagor, exul per alienas terras. Sic R. Selomo ſupra verſiculo cap. I. in Zain, vbi nos habemus, & præuaricationis, & Hebraicè eſt, ומרודיה exponit, צער id eſt afflictionem, angorem, anguſtiam, quæ ſignificatio etiam hoc loco quadrat. R. Dauid exponit דלותי ושפלותי id eſt, paupertatis meæ, & humilitatis, ſeu humiliationis meæ. Et eodem modo exponit Iſaias 58. vbi eſt, ועניים מרודים תביא בית id eſt, & pauperes depauperatos, ſeu extenuatos duc domũ. Sic in radice מרד Porro in radice רוד ait nõnullos exponere תנודה id eſt, planctum, & gemitũ, qualis fit circa dolẽtem ęgrotum, aut tribulatũ & in angore poſitũ. Sed poteſt (inquit) etiã exponi, טלטולי id eſt, tranſlationis meæ, ſeu tranſmigrationis meę. Sic R. Dauid. Paraphraſtes exponit, & acerbitatis meæ. Legebat enim מרורי meruri, id eſt, amaritudinis meæ. At omnes codices nunc habent מרודי merudi, per Daleth in poſteriori loco. LXX. habent ἐμνήσθην ἀπωσμῶν (?) ταλαιπωρίας μου καὶ ἐκδιωγμοῦ, id eſt, recordatus ſum depauperationis meę, & expulſionis. Corruptè enim meo iudicio legitur, ἀπὸ ταλαιπωρίας καὶ ἐκδιωγμοῦ ſeparatis præ-

Iſai. 58.

poſitionibus. Et eodem ſenſu ſupra cap.1.in Zain expoſuerũt, Recordata eſt Hieruſalẽ &c. ומרודיה id eſt, καὶ ἀπωσμῶν αὐτῆς, i. & eiectionũ ſeu expulſionũ ſuarũ. Vbi etiã de hoc verbo diximus. Colligamus interpretationes. Et inſtabilitatis meæ, ſeu, vagationis & palationis meæ, vt ita dicã, vel afflictionis, ſeu anguſtię męę, vel paupertatis, depauperationis, ſeu attenuationis meæ, aut humilitatis, ſeu humiliationis meæ, vel planctus mei, vel tranſmigrationis, tranſlationis, ſeu, exilij mei. Quæ omnia pœnam & cruciatum ſignificant, cuius petitur vt Deus recordetur: non autẽ peccatum aut culpam, quæ non video quomodo peti poſſit, vt Deus recordetur. Cúmque mihi non ſatisfaciant expoſitiones quas ſupra retuli, mihi tamen adhuc nulla occurrit, quæ arrideat. Si autem pro tranſmigratione dicámus inſtabilitatis, afflictionis, depauperationis, luctus ſeu planctus, aut tranſmigrationis meæ, nulla manet difficultas, & commodè ſubiunguntur alia duo verba, tanquam expoſitoria. ¶ *Abſynthij & fellis.*] Vnde hæc D. Hieronymus exponit, amaritudinem vaſtationis, & captiuitatis. Vt quod dixit, recordare paupertatis, ſeu depauperationis, ſeu afflictionis, exponat Abſynthij, id eſt, deuaſtationis. Quod verò dixit, & inſtabilitatis &c. Exponat & fellis, id eſt, captiuitatis. Boni conſule ſtudioſe lector prolixitatem. Vix enim poteſt aliter fieri in locis difficilibus. ¶ *Memoria memor ero.*] Hebręi commodius legunt, Memoria ſeu memorando memor erit. Nempe anima mea, id eſt, hæc mala & afflictiones, quas adhuc paſſus ſum, & quarum

te recordari peto, ego ipſe in memoria habeo, & ſæpe mihi in memoriam veniunt: quæ recordatio me excruciat. Sic ſupra cap. 1. in Zain. Recordata eſt Hieruſalem &c. Vnde illud: *Infandum regina iubes renouare dolorem.* Et, *Animus meminiſſe horret, luctúque refugit.* Porro futura hebraica ſignificant actionem continuatam, & frequentatam. Vnde exponimus, memorando memorabor, ſeu, memoria memor ero: id eſt, ſæpe recordor, & frequenter memoria repeto, & reuoluo miſerias meas. Illa etiam repetitio eiuſdem verbi, epitaſin quandam & vehementiam ſignificat. D. Thom. exponit, Memor ero beneficiorum acceptorum. Sed non quadrat cum ſequentibus: & D. Hieronym. exponit, memor ero peccatorum meorum: ait enim exponendo: Qui ſemetipſum diligenter inſpicit, & pro peccatis ſuis carnem macerare, & deſideria mortificare non deſpicit, non ſolùm veniam delictorum, ſed & ſupremum præmiũ ſperare à Saluatore debebit &c. ¶ *Et tabeſcet in me anima mea.*] Id eſt, ego ipſe apud me tabeſco & conſumor cogitatione peccatorũ, & miſeriarũ, quæ propter ipſa patior. Sic Ezech. 14. *Tabeſcetis in iniquitatibus veſtris, &c.* Et ca. 33. *Iniquitates noſtræ ſuper nos ſunt, &c.* Quomodo ergo viuere poterimus? Hebr. eſt ותשיח עלי נפשי .i. & humiliabitur ſuper me, vel in me anima mea, id eſt, humiliat & deiicit ſe corã Deo. Sic R. D. Ioſeph, deducẽs à verbo שחח cũ iamin, qđ eſt incuruari, & humiliari. Sic etiã R. Dauid, q ſcribit תשוח in cõiugatione cal. Nã duplex eſt lectio. Ideò ſcribitur Iod, vt legi etiã poſſit תשיח

Futura Hebraica ſignificant actionẽ frequẽtatam.

Ezech. 14. & cap. 33.

Paraphraſtes habet ותצלי עלי נפשי על סיגופא id eſt, & inclinauit ſe ſuper me ſeu in me anima mea propter afflictionem. LXX. legerunt תשיח cùm ſemel, id eſt, & meditabitur, orabit, loquetur &c. Habent enim καὶ καταδολεσχήσει, id eſt, & confabulabitur, meditabitur &c. Quidam etiam Hebræi, vt refert R. Selomo, legunt: Memorando memor eris, & humiliabitur in me anima mea, id eſt, noui quidem, quòd aliquando recordaberis mei, ô Domine, & afflictionis qua afflixiſti me: ſed interim humiliabitur anima mea, expectãdo tempus eius recordationis. Quem intellectum etiam patitur Hebraicus ſermo, quoniã verbum תזכור ſignificat, memor eris, genere maſculino, & memor erit genere fœminino. Sed prior ſenſus eſt germanus, vt ad animã referantur. ¶ *Hæc recolens in corde meo.*] Hæc, id eſt, peccata mea, & miſerias meas quas propter ipſa patior, in animo reuoluens, & cauſam intelligens punitionis & caſtigationis meæ. Hebrai. eſt זאת אשיב אל לבי id eſt, hoc reſpõdebo cordi meo, id eſt, poſtquam dixit mihi cor meum, periit ſpes tua à Domino, reſpondeo, & reſpondere ſoleo, & id quod ſequitur: Miſericordiæ Domine, quia non ſumus conſumpti. Sic R. Selomo. Paraphraſtes etiam habet: Hanc conſolationem reducam in cor meũ, idcirco ſperabo. Hanc conſolationem, nempe miſericordias Domini. ¶ *Ideo ſperabo.*] Id eſt, ſpem non amittam. Quidam legunt, In Deo, ſed in Hebraico eſt על כן id eſt, propterea, idcirco. Et in Targum, בגין כן & LXX. διὰ τοῦτο, id eſt, propter hoc: videtur tamen Hier. ſuppleſſe illud in Deo

& omiſiſſe particulam ideo, quæ cum participio, recolens, parum conuenit.

ח *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.*

ח *Noui diluculo, multa eſt fides tua.*

ח *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.*

¶ *Miſericordiæ Domini.*] Subaudi, ſunt, id eſt, ex miſericordia Domini procedit, miſericordia Domini cauſa eſt, non noſtra merita, quæ magis interitum & conſumptionem merebãtur, ſi Dominus iuxta ea nos vellet iudicare. Domini Nomen eſt tetragrammaton, quo declaratur miſericordia & benignitas. ¶ *Quia.*] Id eſt, quòd ¶ *Non ſumus conſumpti.*] Id eſt, penitus deleti, & in nihilum redacti. *Quia non defecerunt miſerationes eius.*] Id eſt, quia quãtumuis peccata noſtra multiplicauerimus & auxerimus, tamen multò plures & multò maiores ſunt miſerationes eius, & neque numero vincuntur, neque grauitate ſcelerum noſtrorum. Quæ ſententia veriſſima eſt, & ſemper memoria tenenda, non vt ſecurè peccemus, ſed vt firmiter veniam ſperemus. Sic Iſai. 1. *Iſai. 1.* *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus,* id eſt, penitus interiiſſemus, & deleti eſſemus. ¶ *Noui.*] Eſt pluralis numeri, maſculini generis à nouus, a, um, Hebraicè,

חדשים Vnde imperitè in gloſſa interlineari exponitur, Noui patientiam tuam & confeſſionem tuam,id eſt, dilexi,& te cognoſcere feci. Quem etiam intellectum ſequi videtur Lyran.quod mirum eſt,cùm videaturHebraicè ſciuiſſe.In eodem etiam errore eſt D. Thom. & Dionyſius , & Paſchaſius , putantes noui eſſe verbum præteriti, à noſco, noſcis , iuxta Hebræos genere fœminino legendum,Nouæ,ſubaudi,miſericordiæ,& miſerationes Domini ſunt.¶ *Diluculo.*] Heb.לבקרים id eſt , temporibus matutinis, id eſt, per ſingula matutina tempora, quaſi dicat, De die in diem inuocantur , & veluti nouæ exoriuntur miſericordiæ tuæ,ideo nunquam deficiunt. Ait tamen diluculo,vt celeritatem oſtendat.Quia Deus non differt miſerationes ſuas, quando eſt tempus miſerendi.Porro celeritatem Hebręi ſignificant per diluculum,ſeu matutinum vt, *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*,id eſt,ſinè mora. Hebraicè verò miſericordiæ, id eſt, חסדים & miſerationes, id eſt , רחמים ſunt generis maſculini: ideo ſubiunctum eſt etiam maſculinum adiectiuum חדשים ſed Latinè debet eſſe fœmininum. LXX. rectè habent *τὰ ἐλέη κυρίου, ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με*, id eſt , miſericordiæ Domini; quod non dereliquit me. Deinde ſubiungitur, *καινὰ εἰς τὰς πρωΐας*, id eſt,nouæ in tempora, ſeu per tempora matutina, ſubaudi,miſericordiæ,id eſt,per ſingulos dies,ſeu de die in dië. Nam id ſignificat Hebraica dicto לבקרים vt Pſalm. 72. *Et fui flagellatus omni die, &c.*id eſt, de die in diem.Nã quod dixerat, omni die , repetiit dicens , per tempora

Celeritas pro diluculo ſignificatur apud Hebr. Pſal.100.

Pſal.72.

matu

matutina. Vbi nos habemus,& fui flagellatus tota die,& increpatio mea in matutinis. Sic Iſai. 33. *Domine miſerere noſtri: te enim expectauimus. Eſto brachium noſtrum per tempora matutina* (vbi nos habemus, in mane) id eſt, eſto fortitudo noſtra omni die,ſeu ſingulo quoque mane, vt etiam ibi exponit vir doctiſſimus Frater Franciſcus Ioretius. Et Pſal. 62. *In matutinis meditabor in te*, id eſt, per ſingula mane,per ſingulos dies. Paraphraſtes autem ſuppleuit,hoc modo: Signa noua multiplicat per ſingula mane. D. Hieron. refert ad tempus Eccleſiæ primitiuæ. Ait enim, loquitur Propheta ad primitiuam Eccleſiam in Hieruſalem, laudans ſpeciem eius: quæ poſt diluculum reſurrectionis Chriſti veterem hominem exuens, noui hominis pulchritudinem ortu ſuo declarabat,&c. Intelligit ergo, noui homines exiſtent, id eſt,per gratiam renouati,diluculo,id eſt,in reſurrectione Chriſti. Sed ſimplicior eſt & germanior expoſitio quam poſuimus. Iuxta quã etiam dici poteſt,noui modi miſerendi ſunt Dei,diluculo,id eſt, celeriter, vel aſſiduè. ¶ *Multa eſt fides tua.*] Apoſtrophe ad Deum,id eſt, eximia & ſingularis,atque excellens eſt veritas tua in præſtandis promiſsis: qui vt compleres ea, quæ patriarchis promiſeras, populum Iudaicum non penitus deleſti, quamuis id ſuis ſceleribus mereretur. Iuxta quem ſenſum Paulus ait ad Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum*, id eſt, Iudæorum, *fidem Dei euacuauit? abſit*, quaſi dicat, Num quid potuerunt Iudæi per ſuam infidelitatem tantum peccare in Deum, & eum offendere, vt eorum

Iſai. 33.

Pſal. 62.

Rom. 3.

victus.

victus scelere, non præstaret fidem, quã Patribus dederat? Minimè: quia multo maior est veritas Dei ad præstandum, quàm hominum iniquitas ad auferẽdum: quantóque peiora sunt hominum merita, tanto præstantior & excellentior ostenditur Dei virtus, & veritas & fides. Vnde rectè ait, multa & magna est fides tua, ô Deus. Vnde & Apostolus obiicit, *Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat.* Id est, excellentem & laudabilem ostendit &c. Hanc commendationem fidei & veritatis suæ, quam non possunt euacuare, neque cassare peccata nostra, Dominus ipse latius declarat Psal. 88. dicens: *In æternum seruabo illi* (nempe Dauidi) *misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi: si autem dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea,* id est, non maculabo veritatem meam & promissorum meorum. Vnde subdit: *Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis,* id est, promissa mea, *non faciã irrita, &c. semel iuraui in sancto meo,* id est, per sanctitatem meam. *Si Dauid mentiar,* id est, quod Dauidi non mentiar. Et multis aliis scripturarum locis prædicatur hæc Domini constantia in pręstanda fide, & promissis implendis. Vnde ad Hebræos 6. Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus &c. Sed notandũ quòd promissiones Dei, aliæ sunt destinatæ & decretæ,

Psal. 88.

Constantia & veritas Domini in præstandis promissis. Heb. 6.

quas

quas Deus omnino decreuit implere. Vt fuit promissio de mittendo Christo ad redemptionẽ generis humani: Aliæ sunt conditionales, quæ non absolutè & omnino promittũtur, sed stante conditione: de quibus Hieremias 18. De illo priori genere dicitur. 1. Reg. 15. *Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectemur:* nec enim homo est vt agat pœnitentiam, id est, non mutat propositum & promissum, more hominum, qui non præstant promissa per iracundiam, vbi viderint eum cui promiserant, alieno esse animo aduersùm se. Illud etiam notandum, quòd Hieremias cùm præposuisset, misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: subiunxit, multa, seu magna est fides tua, id est, veritas tua: coniungẽs ex parte Dei veritatem cum misericordia: quoniam vt Deus promitteret, misericordia fuit: vt autem promissa prestaret, veritas. Quoniam verò promissio de futura saluatione per Christum, fuit specialiter Iudæis facta, & non gentibus: Dei respectu, gentium præcipua est misericordia: quòd salutem fuerint consequutæ sibi non debitam, neque promissam. Vnde Dominus dicebat: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Et Apostolus ad Rom. 15. *Dico Christum Iesum ministrum fuisse Circuncisionis,* id est, ministrauisse salutem Iudæis, *ad confirmandas,* id est, præstandas, *promissiones patrum,* id est, Patriarchis olim factas, *Gentes autem,* subaudi dico, seu iubeo, *super misericordia,* sibi facta) *honorare Deum, &c.* Nos autem hinc discimus non temere fidem frãgere, leuitérque promissa mutare, Deum imitantes, sed

Promissiones Dei aliæ destinata & decreta: aliæ conditionales.

Hier. 18.
1. Reg. 15.

Misericordia & veritas in promissis Dei.

Matth. 15.
Rom. 15.

Præstanda promissa nisi varietur rerum conditio.

re præstare, nisi necessaria causa aliud suadeat: videlicet, quando id quod honestè & iustè promisimus, honestè & iustè facere non possumus, propter variatam rerum conditionem. ¶ *Pars mea Dominus.*] id est, hæreditas mea, quasi dicat, totum bonum meum, & tota seu vniuersa possessio mea, Dominus est. Sic Psalm. 72. *Deficit cor meum & caro mea: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, &c.* Illius verò hominis Deus est pars in hoc sæculo, qui se majestati ipsius & credulitati consociat, & probabili actione commendat: in venturo autem, qui eum videt facie ad faciem. Hoc autem dicit fidelis in sua tribulatione sese cõsolans. Pats mea Dominus, quasi dicat: Quamuis mihi omnia bona huius mundi adempta sint, tamen hæc vna res me pro omnibus consolatur, quòd Dominus, mea pars est, & mea possessio: quam mihi nulla res poterit eripere: iuxta illud fidelissimi Pauli: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Sic vt scriptum est. Psalm. 43. *Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis,* hoc est, perinde occidimur, quia te diligimus & te confitemur, & te solùm partem nostram habere volumus, ac si essemus oues aut arietes macello destinati. Et vide fiduciam Apostoli & omnium fidelium. Subiungit enim, respondens interrogationi: quis nos separabit à charitate Christi? certus sum enim, quando neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo

Psal. 72.

Rom. 8.

Psal. 43.

tudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Sic Paulus. Quòd & Philoſophus neſcio quis laudatur, & cum plauſu excipitur, dicens, omnia mea mecum porto, cùm nudus patria capta euaſiſſet, propter nonnullam ſapientiæ ſpeciem, qua præditus erat: quandò meliori iure quicunque fidelis debet cum ſancta quadam arrogantia, dicere: nihil amiſi, nihil perdidi, omnia mea mecum porto, quia pars mea Dominus in æternum. Vnde & ipſe Dominus Abraham confirmas, ait: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis:* ſubaudi, ego ipſe ſum, vt dicere poſſis, pars mea Deus in æternũ. Ex quibus arguuntur carnales Iudæi, qui dicunt, pars mea, lac & mel, &c. ¶ *Dixit anima mea.*] Id eſt, ego ipſe apud me & mecum dixi, in mediis calamitatibus & perditionibus bonorum huius ſæculi, quia vt nihil prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, Dei verò ſui detrimendum patiatur: ſic nihil obeſt ei, ſi totum mundum perdat & amittat, dum tamen Chriſtum lucrifaciat & lucretur. Quid autem dixit? Nempe id quod præceſſit, Pars mea Dominus. ¶ *Propterea expectabo eum.*] על כן אוחיל לו expectabo vt teneam per ſpeciem, quem teneo per ſpem. In hoc enim ſæculo quamuis hæredes ſimus Dei, & ipſe noſtra pars ſit, & noſtra hæreditas, vt etiam Paulus docet ad Rom. cap. 8. dicens: *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quia ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: ſi tamen*

Geneſ. 15.

Rom. 8.

compatimur, vt conglorificemur, &c. Tamen paruuli adhuc ſumus, necdum nobis tradita eſt hæreditas. Vnde ibi ſubiungit, *Spe ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quòd ſperat. Si autem quod non vidimus ſperamus: per patientiam expectamus, &c.* Vt enim qui erant ſub veteri lege ad nouam comparati, dicebantur paruuli, ad Gal. 4. Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cú ſit Dominus omnium: ſed ſub tutoribus & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus à patre &c. Ita nos ad beatos comparati paruuli ſumus, hæreditatis ſupernæ ſpem habentes, non adhuc poſſeſſionem. Et quemadmodum hæres paruulus, quamuis ſit Dominus omnium bonorum paternorum, tamen traditur à patre ſeruo pædagogo, vt ei obediat, & quodammodo ſeruiat, & ab eo caſtigetur & verberetur: ſic Deus nos tradit in hoc ſęculo flagellandos iis, qui non ſunt filij, ſed ſerui: id eſt, malis hominibus, & etiam cacodæmonibus, vt ſint noſtri pædagogi, & nos præparent ad ineundam ſuo tempore hæreditatem. Rectè igitur ait Propheta nomine cuiuſcunque fidelis. Quanuis interim vſque ad præfinitum tempus à patre, ſeruiam quadantenus & quodammodo Nabuchodonoſori, id eſt, malis & tyrannis huius ſæculi, ſcio tamen quòd filius ſim Dei, & ipſe eſt pars & hæreditas mea: propterea expectabo eum, quouſque finiatur tempus pueritiæ meæ, & pædagogiæ meæ, patienter interim ferés dominationem ſeruorum & improborum. Atque hinc diſcimus, quomodo nos gerere debemus in hoc ſæculo,

Galat. 4.

cum nos senserimus à potentioribus opprimi, & tamquam seruituti subiici: Vt videlicet patienter feramus, & meliora futura expectantes, ista præsentia, quæ aduersa videntur, sancta quadam superbia contemnamus, & nihili faciamus, dicentes: Pars mea Dominus, propterea expectabo eum. Vide autem, pie lector, quomodo prophetica lamentatio, incipit esse aperta morum & pietatis eruditio. Non enim more mulierculatum verba inania fundit, sed vbique docet, nunc latenter, nunc apertè, omnia quæ in hoc mundo chara, pulchra, atque pretiosa habentur, vanitatem esse; & subitò auferri: solam autem pietatem solidam esse & stabilem.

ט *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.*

ט *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.*

ט *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.*

Et hoc apertam eruditionem continet. ¶ *Bonus est.*] Id est, suauis, iucundus, benignus & beneficus, etiam quando flagellat, quando percutit, quando iratus videtur Sed hoc est non omnibus, id est, non improbis, non desperatis, non infidelibus, qui dum flagellantur, non corriguntur, sed blasphemant, & indignantur. Sed est bonus. ¶ *Sperantibus in eum.*] Id est, piis & fidelibus, &

Tob.2. paternam manum agnoſcentibus. Qualis erat Tobias, de quo cap.2. dicit ſcriptura eius, quod cum ab infantia ſua ſemper timuerit Deum, & mandata eius cuſtodierit, non eſt cõtriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus dieb. vitę ſuæ, &c. Vnde etiam irridentes pietatem eius, increpabat, dicens: Nolite ita loqui, quia filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt iis, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo, &c. Quaſi cum noſtro propheta diceret, Pars noſtra Dominus, idcirco expectemus eum. Sic Pſal.72. *Quàm bonus Iſrael Deus iis, qui recto ſunt corde.* Quid igitur? aliis non eſt bonus Deus? Siquidem ſummũ bonum nemini poteſt eſſe malum. Audi eundem pſalmiſtam Pſal.17. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruèrteris.* Et rationem vel expoſitionem ſubiungit, dicens. *Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis, &c.* Dicitur ergo Deus bonus eſſe, iis quos ſaluat, & quibus vitam largitur æternam. Non bonus autem, iis quos propter ſua ſcelera damnat, & mittit in ignem æternum. Deus igitur ſecundùm ſuam eſſentiam ſummum bonum eſt, & nemini eſt, aut poteſt eſſe malum, ſed ſecundùm ſuos effectus, dum malũ pœnæ damnatis & peruerſis infligit, malus, id eſt, moleſtus eſt, & odio habetur à corruptis voluntatibus. Vnde Auguſt. contra Adimantum c.26. tractans illud Amos 3. ſi eſt malum in ciuitate, quod Deus non fecerit,

Pſal.72.

Pſal.17.

Dominus bonus bonis, malis autẽ non bonus apparet, propter mala pœna.

ait:

ait: Diuina prouidentia cuncta moderante, ita homo malefacit quod vult, vt malè patiatur quod non vult. Ita ergo Deus malum facit, quod non ipsi Deo malum est, sed eis quos vindicat. Itaque ipse, quantum ad se pertinet, bonum facit, quia omne iustum bonum est, & iusta est illa vindicta: Quamuis enim malum sit Gehenna damnato, iustitia tamen Dei bona est, & ipse fructus est ex arbore bona. Hæc Augustinus. Et in illud: Quàm bonus Israel Deus Psal. 72. ait: Quàm bonus Israel Deus, sed quibus? rectis corde. Peruersis quid? Peruersus videtur. Nam vt sol oculos puros habenti tranquillus apparet: in oculos autem lippos quasi tela aspera iaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat: non mutatus, sed mutatum: sic cùm cœperis esse peruersus, & tibi Deus peruersus esse videbitur, tu mutatus es, non ille. Ergo erit tibi pœna, quod bonis gaudium &c. Id est, erit tibi malum, quod bonis bonum. ¶ *Animæ quærenti illum.*] Subaudi, bonus est Dominus. Et rectè spei subiũxit quęsitionem: omnis enim qui sperat, quærit, & operam dat vt inueniat, & obtineat id quod sperat. Alioqui temeraria erit & stulta spes, ac potius præsumptio. Quæritur autem Deus, & inuenitur: si vadas per viam rectam mandatorũ eius. Ergo animæ quærenti illum, id est, homini seruanti mandata eius, bonus est & benignus Dominus: quia dat eis se ipsum & vitam æternam in alio sæculo: licet in hoc auferat bona temporalia & caduca, ad exercitium virtutis. *Bonum est.*] Honestum vtile, & delectabile. Honestũ quidem: quia opus virtutis

Qui sperat quærit.

eſt,ex ſpe & fide procedens cum charitate. Vtile autem,quia ſummum bonũ homini parit & conciliat.Et eadem ipſa ratione ſuaue eſt & delectabile. Vnde Apoſtolus ait : *ſpe gaudentes.* ¶ *Præſtolari.*] Id eſt, expectare quamuis differri videatur. *Non enim tardat Deus promiſſionem ſuam.* 2.Petri.3.Et Habacuc 2. *Si moram fecerit,expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* ¶ *Cum ſilentio.*] Id eſt,ſine querelis,& murmurationibus,& blaſphemiis aduerſus Dominum. Non vt Iudæi, qui vbi primùm res ad votum non ſuccedebat, ſtatim in murmurationes prorumpebant, in Ægyptum redire cupientes. Vnde Apoſtolus monet.1.Co.10. *Ne murmuraueritis,ſicut quidã eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore, &c.* Et ad Phil. 2. *omnia facite ſine murmurationibus,&c.* Murmuratio enim eſt tinea & corruptio patiẽtię. ¶ *Salutare Dei.*]Id eſt,ſalutẽ,& ſaluationẽ ac liberationẽ à Domino ex omnib. malis & periculis. Quæ ſalus in hoc ſæculo inchoatur per patientiam. Quia in patiẽtia veſtra poſsidebitis animas veſtras.¶ *Bonum eſt viro.*]Id eſt,vnicuique vtile eſt & cõmodum.Nam Hebræis nomen (vir) ſiue dicatur איש ſiue גבר ſumi ſolet diſtributiuè,pro eo quod eſt vnuſquiſque, non habita ratione ſexus. ¶ *Cum portauerit iugum.*] Id eſt, quod aſſuefactus ſit obedire legi Domini,& ſeruare mandata eius: proprie enim iugum obedientia intelligitur. ¶ *Ab adoleſcentia ſua.*] Quoniam , quo ſemel eſt imbuta recens,ſeruabit odorem teſta diu.Et Salomon Prou.22.Prouerbium eſt, *adoleſcens iuxta viam ſuam,etiam cum ſenuerit,non recedet ab ea.* Pu-

Rom.12. *2.Petr.3.* *Habac.2.* *1.Cor.10.* *Philip.2.* *Murmuratio tinea patientiæ.* *Iugũ obediẽtia dicitur.* *Prouerb.22.*

det,

det, imo verò horror eſt, dicere noſtri ſæculi morum corruptionẽ. Ipſimet parentes filiolis etiam dum infantibus vitia imprimunt, & teneram ætatem malis moribus inficiũt, vſque ad vltimum ſpiritum duraturis. Vix dum ſciũt quid ſit aqua, & iam vinum potant, idque cum riſu, & plauſu parentum. Vix fari norunt, & iam diſcunt conuicia dicere parentibus. Vix dum prima rudimenta attigerunt ſcholæ Chriſti, & in ſchola Diaboli iam ſunt magiſtri. Et hi quidem ſic educati, tales & ipſi poſtea filios educant: quia non poteſt facere filius niſi quæ viderit patrem faciẽtem. Atque eo modo infœlici quodã orbe & ſucceſſione vitia per manus traduntur, & ex pollutis fontibus polluta flumina egrediuntur. Vnde ſupra Propheta paruulos inducebat de vino quærẽtes. Ex hac Prophetæ doctrina D. Thomas laudat conſuetudinem Eccleſiæ, qua pueri in religionibus recipiuntur, vt ibi educentur, & bonis moribus imbuantur: exemplo Ioannis Baptiſtæ, qui etiamnum puer ſeceſſit in deſertũ 22. quæſt. 189. art. 5. Hac de re, id eſt, quàm religiosè & honeſtè ſint educandi pueri, multa & prudenter docet etiã Quintilianus libro primo ſuarum inſtitutionum, vt erubeſcant Chriſtiani in ea re offendere & negligentes eſſe, in qua etiam Ethnici adeò vigilantes erant. Multíque alij Ethnicorum poëtæ & magiſtri ſummopere commendant puerorum educationem.

Puerorum peßima inſtitutio quæ pariat vitia.

Educatio puerorũ in religionibus

› *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſe ſuper ſe.*

Ponet in puluere os suũ, si fortè sit spes.
Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.

¶ *Sedebit solitarius.*] ישב בדד Cum superiori connectitur. Is qui sese assuefecit ab adolescentia portare iugum Domini, abstinebit se à sæcularibus negotiis, & desideriis, atque confabulationibus, & ab omni turba & tumultu vitæ, quãtum in ipso erit: & sola Dei sui conuersatione & confabulatione contentus erit. Aut enim orãdo cum Deo suo loquetur, aut legendo ipsum audiet loquentem, dicens ac sentiẽs illud Prophetæ: *Mihi adhærere Deo bonum est, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Quam quidem speciem conuersationis, vt hoc loco notat beatus Hieronymus, boni eremitæ & monachi, qui voto monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contẽdunt. Sed rara est (inquit) & paucissimis dono Dei hæc perfectio concessa. Is enim verè & non ex parte perfectus est, qui & in eremo squallorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat, &c. Et nota, pie lector, illud verbum: voto manasticæ disciplinæ obligati sunt: cõtra hæreticos impudẽter asserẽtes, tẽporib. Aug. & Hier. monachos nõ se obligasse voto, sed esse id nostri sæculi nouum inuẽtum. Neque verò monachi solùm, qui à solitudine nomen habent, solitudinem amare debent, & turbas fugere: sed etiam omnes, quibus sua salus est curæ: vt solitudinem quidem semper in votis habeant,

Solitudo ad vacandum Deo & monachis.

Votum monasticæ disciplinæ tempore Hieronymi.

& ſequantur, atque teneant ex inſtituto: turbæ autem ſeſe dedant ex neceſſitate, vbi id fratrum ſalus poſtulabit. Vnde Dominus, tanquam ſingulare beneficium promittit animæ fideli, dicens. Oſeæ 2. *Ego lactabo eam* (id eſt, alliciam) *& ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius, &c.* Quoniam videlicet in turbis nec Deum alloqui poſſumus, neque loquentẽ audire. Quamobrem idem ipſe Dominus, qui nullum aut certè non magnum ex ſolitudine habebat emolumentum, vt nec ex turba perturbationem aut impedimentum, tamen notabiliter dicitur. Matth. 14. quod dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Quid? quòd etiam ab ipſis ſuis diſcipulis, tres elegit duntaxat, cum quibus in hortum ſecederat: atque ab ipſis etiam auulſus eſt, quantum iactus eſt lapidis, vt poſitis genibus oraret, dicens: *Pater, ſi vis, transfer calicem hunc à me*, Luc. 22. Matth. 26. An non pudefaciunt exempla iſta monachos, quibus cella & monaſterium oneri, turba & plateæ voluptati ſunt? Tu, pie Lector, imitare Dominum tuum, nec te tranſuerſum agant multorum praua exempla. Cum paucis te ipſum ſaluum fac. ¶ *Et tacebit.*] וידום Paraphraſtes quoque habet וישתוק & tacebit ſeu ſilebit. & LXX. ϰὶ σιωπήσεται, id eſt, & ſilentium aget. R. Selomo exponit וימתין id eſt, & expectabit. Vterque intellectus bonus eſt. Et tacebit, vt cum ſilentio audiat loquentem ſibi Dominum, tacebit, id eſt, quietus & ſinè cogitationum turbis & tumultu, & ſinè querelis & murmurationibus, ſedebit ſolus cum ſimplicitate & humilitate corã Domino

Solitudo apta ijs quibus ſalus curæ eſt.

Oſeæ 2.

Matth. 14.

Silentiũ Religioſis ad audiendum Deum.

ſuo, dicens: audiam quid loquatur in me Dominus meus. Vides quomodo leges dat,& inſtitutiones condit Religioſis? qui vt ſolitudinis,ſic etiam ſilentij debent amatores eſſe? ❡ *Quia leuauit ſe ſuper ſe.*] Leuauit ſe,quoad animum: ſuper ſe, quoad corpus:cogendo corpus ſuum obedire animo & ſpiritui. Et quoniam hoc iuſtus,vel iuſtitiam diligẽs, & ad perfectionem aſpirans continenter facit, idcirco poteſt ſolus ſedere atque tacere:quia corpus ſpiritui iam ſubditum habet. Caro enim vult turbam & plateas: vult fabulas & garrulationes: ſpiritus contra, amat ſolitudinem & ſilentium. Qui deiiciunt ſe infra ſe,ij ſequuntur ludos,iocos,riſus,confabulationes,turbas,plateas, ſecundùm carnem viuentes, & eam tanquam Dominam colentes, ſpiritum autem, & animum ſuppeditantes, & ſeruire facientes. Quibus, vt verè atque eleganter dixit quidam corpus voluptati, animus oneri eſt: Oneri eſt, propter conſcientiam, quæ ſemper remordet, nec ſinit voluptuoſos omni ex parte & ſinè aliqua interpellatione voluptatibus frui. Duplicem igitur hominem propheta in vnoquoque homine agnoſcit, quorum alterum ſuper alterum leuantes, ad fœlicitatem vel ad miſeriam peruenimus. Nam ſi veterem hominem nouo,exteriorem interiori ſubiicimus,beati:contra,miſeri ſumus. Vnde Apoſtolus quoque ait ad Rom. 6. *Veterem hominem noſtrum ſimul cum Chriſto crucifixum eſſe, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato,&c.* Veterem hominem,appellans carnem ſpiritui dominantẽ. Et rurſus cap.7.

Duplex homo in homine interior & exterior, nouus & internus.

Rom. 6.

Con

Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis (id est,in homine exteriori) *repugnãtem legi mentis meæ,&c.* Et 2.ad Corinth.4.ipsum corpus simpliciter vocat exteriorem hominem, aut ipsum hominem: quatenus animaliter viuit,dicens: *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est,renouatur de die in diē.* Hoc est,quamuis corpus attenuetur per ieiunia,chamæunias, cilicia, solitudinem,& varios alios labores, tamen animus his rebus nõ minuitur,sed in dies magis ac magis vigescit, & nouas vires accipit. Aliqui codices habēt:Quia leuauit super se.Illud alterũ pronomē, (leuauit se)non est expressum in Hebr.vbi habetur כי נטל עליו id est, quia tulit super se,nec in LXX. ὅτι ἦρεν ἐφ᾽ ἑαυτῷ, id est, quia tulit seu eleuauit super se.Et R.Selomo legit; Quia leuauit seu imposuit super ipsum,id est,quia autor decretorum seu legum(id est,Deus,Optimus,Maximus) imposuit ei decretum hoc : nempe , vt solus sedeat & taceat.Sic R.Selomo.R.Don Ioseph,exponit , quia tulit super se , partem suam tribulationum, *quas non licet effugere habitantes domos luteas.*Iob.4. Mihi melius videtur supplere iugum, de quo dixerat. Quia tulit super se , seu leuauit super se iugũ Domini , id est, quia semel manum ad aratrum misit , & iugo Domini collum submisit , idcirco retro non respicit , sed in cœpta exercitatione inuictus perseuerat,separãs se à turbis & confabulationibus. ¶ *Ponet in puluere os suum.*] יתן בעפר פיהו id est,profundissima corporis humiliatione , humilitatē sui cordis declarabit,

Rom.7.

2.Cor.4.

Iob. 4.

Cõpositio corporis externa deuotionem internam adiuuat & generat.

rabit, & excitabit. Nam motus corporales, vt tunſio pectoris, extenſio manuum, genuum flexio, totius corporis proſtratio, non ſolùm ex deuotione, & humilitate vera procedunt, ſed eam etiam excitant, & augent. Sic etiam de Domino legimus: quòd patrem oraturus procidit ſuper faciem ſuam Matth. 26. Vbi Hieronymus. Humilitatem mentis habitu carnis oſtendit, &c. Quare non ſunt contemnendi, aut negligendi huiuſmodi geſtus corporales ex pietate procedentes: ſed potius imitandi, & exercendi: præſertim in loco ſecreto, vt Dominus fecit in horto coram tribus ſolis diſcipulis, & ab eis etiam puſillum, id eſt, quantum iactus eſt lapidis, ſeparatus. Humum ergo & terram ore tangere, corpore proſtrato inter orandum, pietatis & humilitatis eſt opus, quo homo nominis admonetur ſui, atque conditionis: quòd ſit ex puluere factus, & propter culpam in puluerē redigendus ſiue pauper ſit, ſiue diues, ſiuè etiam Rex & orbis monarcha.

¶ *Si fortè ſit ſpes.*] אולי יש תקוה fortè eſt ſpes, quaſi dicat, debemus nos ex noſtra parte humiliare coram Deo, & pœnitentiam agere: quod faciēdo, fortè placabitur, & non inferet iram quam minatur, vel iam illatam mitigabit, aut penitus auertet. Id quod intelligitur de malis præſentis vitæ, à quibus interdum non liberamur, etiam vbi nos humiliauerimus, & omnem pœnitentiā egerimus. Aliquando tamen Dominus etiam miſeretur, & liberat, irámque ſuſpendit. Vnde ait

3. Reg. 21. ad Eliam. 3. Reg. 21. *Nonne vidiſti humiliatum Achab corā me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa,*

non

non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius, &c. Hoc etiam patet in exemplo Niniuitarum. Sic etiam loquitur Ioel cap. 2. dicens: *Scindite corda vestra,&c.* Quis scit si conuertatur & ignoscat, &c. & Ionæ 3. *Operient saccis homines,&c. Quis scit si cōuertatur & ignoscat Deus?&c.* De bonis autem æternis consequendis, & malis euadendis, nulla debet esse apud fidelem dubitatio, si veram pœnitentiam egerit. Id enim ad infidelitatem pertineret, cùm Dominus apertè reuelauerit se pœnitentibus veniam concessurum. Ex nostra tamen parte dubitare licet, an verè pœnitentiam agamus: quoniam quidquid agamus, tamen ignoramus odio an amore digni simus: quamuis iusti simus atque sapientes. Ecclesiastę 9. ¶ *Dabit percutienti se maxillam.*] יתן למכהו לחי Dabit, id est, porriget, non auertet, offeret. Quis nam; sperans in Dominum, & quærens illum, & præstolans cum silentio salutare Domini, & portans iugum eius ab adolescentia, & sedens solitarius atque tacens, atque ponens in puluere os suum: is, inquam, non solùm hæc ipse molesta humanæ fragilitati, & grauia pœnitentiæ opera vltro assumet, sed etiam iniurias & humiliationes ab aliis illatas, æquo animo feret, qualis est maxillæ percussio, quæ intolerabilis iniuria censetur. Et tamen verè pœnitens, & per pœnitentiam Dominum placare, & in eius gratiam redire optans, etiam hanc sustinebit patienter & mansuetè. Atque hoc Hieremias prius fecit, quàm docuit, cùm eum percussit impius Phassur. cap. 20. Inter

Iona 3.

Si pœnitentia adsit, nō est dubium quin venia sequatur.

Eccl. 9.

Verè pœnitens libenter suffert iniurias illatas.

inter

Alapæ iniuria. iniurias quoque à Domino saluatore toleratas
Isai.50. dicitur Isaias 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus*, & in Euangelio alapas non semel dicitur atque colaphos accepisse. Vnde etiam Apostolus fideles laudat dicens:
2.Corint.11. 2. Corinth.11. *Sustinetis, si quis in faciem vos cædit. Siquis verò percutiatur, propterea quòd vera doceat aut dicat, aut alioqui benefaciat ægre quidem ferat, non suam ipsius iniuriam, sed veritatis & iustitiæ.* Vnde Dominus cum vera dicens, & iustè agens,
Ioan.18. alapam accepisset, respondit, *Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo*, (id est, ostende in quo peccauerim) *Si autem benè, quid me cadis?* Et tamen multas alias alapas tacens pertulit. Et Paulus, cum ob prædicationem veritatis percussus fuisset, respondit: *percutiet te Deus paries deal-*
Act.23. *bata*. Act. 23. Qui tamen multas alias grauiores
Iniurias æquo ferre animo, & tamen quales contumelias ferre non oporteat. iniurias, & denique mortem ipsam cum silentio pertulit. Iniurias igitur tum verborũ, tum etiam factorum, debemus esse animo parato vt taciti feramus, vbi expediens fuerit. Interdum tamen oportet contumeliam repellere: vel propter vtilitatem eius, qui contumeliam dicit, ne nostra taciturnitate fiat audacior, sed potius nostra responsione eius audacia reprimatur, & cesset, iux-
Prouerb.26. ta illud Prouerb. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur, &c.* Quandiu enim sibi sapiens videtur, & aliquid esse, superbit: si autem sua agnoscat, humiliatur, & tacet: vel ob vtilitatem aliorum, quorum spiritualis commoditas impeditur ex contumeliis nobis il-

latis

latis, aut dictis. Vnde Gregor. Homil.9. super Ezech. dicit. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: & ita in prauis moribus remanētes, benè viuere contemnāt, &c. Quare beatus Ioannes cuidam minatur, dicens: *Si venerò, commonebo eius opera, quæ facit verbis malignis garriēs in nos, &c.* Epistola 3. vide D.Thom. 22. quæst. 72. artic. 3. ¶ *Saturabitur opprobris.*] Post alapas ponit opprobria, id est, iniurias verborum, quæ aliquando sunt alapis grauiores, dicens: ישבע בחרפה satiabitur, seu saturabitur opprobriis, id est, conuiciis, & contumeliis. Ait autem saturabitur, vt copiam significet, & auiditatem, quasi dicat, non vnum aut alterum opprobrium sustinebit, sed vsque ad saturitatem, & ingurgitationem sese explebit, tanquam cibo non fastidito. Vnde de Apostolis legitur, *quòd ibant à concilio gaudentes, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act.5. Quid est, gaudentes? Quasi fuissent opiparo & lauto epulo excepti, exibant bono stomacho, & recreati, & auidi amplioris. Vnde subiungit. *Omni autem die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & euangelizantes Iesum Christum, &c.* Quid hoc rei est? Non ne iam semel propter hoc estis flagellati! At hæc fuit nobis quædam prægustatio: non vna vice; non vno die, non semel, satiamur pro nomine Iesu contumeliam pati: sed vna eiusmodi passio alteram inuitat, quandam huius cibi βουλιμίαν patiamur: & impletur in nobis quod

Ioā. Epist. 3.

Cū æquanimitate seu potius hilaritate ferēda opprobria.

Act. 5.

Domi

Dominus dixit: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Iuſtitia enim maxima eſt, pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quam iuſtitiam ſemper debemus eſurire, & nunquam faſtidire, quaſi dicentes: pro nomine Ieſu hæc feram, alia non feram, abſit, abſit talis ſatietas, tale faſtidium, talis ſtomachi rationalis imbecillitas & infirmitas: Cur igitur dicit Propheta, ſaturabitur? qui enim ſatur eſt, amplius edere non poteſt. Sed iam diximus ſenſum eſſe ſaturabitur, id eſt, auidè ſumet, & plus atque plus ſumere optabit. Innuitur enim comedentis auiditas, non faſtidium. Poteſt etiam intelligi ſaturabitur opprobriis, id eſt, hoc vno cibo delectabitur, & non vanis laudationibus, ſed obiici poteſt, quòd nulla res poteſt hominem ſatiare, aut ſaturare, niſi Deus: iuxta illud, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quomodo igitur iuſtus ſaturatur opprobriis? Ad quæ dicendum, quòd ſatietas illa pertinet ad futurum ſęculum: In hoc autē, ſaturatur iuſtus opprobriis, quoniam auidè ſumit, & patitur omnia mala, vt obtineat illam gloriā: veluti ægrotus ſumit omnia pharmaca, quamuis moleſta, vt obtineat ſanitatem. Sic ſumit Iob cap. 16. dicens; *Exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis*, id eſt, *multas pœnas mihi cum auiditate irrogauerunt.* *Iob. 16.*

כ *Quia non repellet in ſempiternum Dominus.*

כ *Quia ſi abiecit, & miſerebitur, ſe-*

cundum

cundum multitudinem misericordiarum suarum.

כ *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.*

¶ *Quia non repellet.*] Idcirco pœnitens perseuerat in operibus pœnitentiæ, quamuis interim non videatur ei Dominus placari, nec cesset ira & vindicatio eius, sed in eisdem afflictionibus permaneat: quoniam nouit ingenium, & naturam Domini esse, vt non repellat peccatores à facie sua in sempiternum: sed aliquandiu, dum, videlicet, plenè agnoscant, quantum malum sit à Domino per culpam recessisse, & flagellis erudiantur, & aliquatenus satisfaciant: deinde verò reconciliari, & in pristinam gratiam pœnitentes recipere, & faciem hilarem eis ostendere. Sic etiam sancta illa, virgo sacra cõfitetur, ac laudat, dicens: Tob. 3. *Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, exultationẽ infundis, &c.* Tob. 3. Vnde & Dauid ait. *Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam, &c.* Non repellet: לא יזנח id est, non remouebit, non abiiciet seruos suos in sempiternum, relinquendo eos in afflictionibus, & in potestate inimicorum. *Fidelis enim est Dominus: non patiens nos tentari supra id quod possumus, sed faciens cum tentatione prouentum,* seu exitũ, *vt possimus sustinere.* 1. Cor. 10. 1. Corint. 10. ¶ *In sempiternum.*] לעולם Hoc autem intelligitur de pœnitentibus. Nam obstinatos in sempi-

ternum repellet,& mittet in ignẽ æternũ. ¶ *Dominus.*] אדני Nomen propriũ Dominij. ¶ *Quia si abiecit.*] id est, si repulit & afflixit peccatorem propter culpam, vt sese cognosceret, & aliquatenus satisfaceret per dolorem, qui offenderat per voluptatẽ & delectationẽ.Heb. כי אם הוגה id est, Quoniam si afflixit. Et,id est, etiam miserebitur, id est, consolabitur, & in gratiam reducet. Non quidem ob merita ipsius peccatoris: sed secundum multitudinem misericordiarum suarum. Vt enim ex iustitia castigat & punit,sic ex misericordia reconciliat, & iram remittet. Peccator enim non potest suapte vi resurgere, sed per manum Dei, quem offenderat. ¶ *Non enim humiliauit.*] כי לא ענה Quoniam non afflixit. ¶ *Ex corde suo.*] id est, ex animo,& per se, quasi delectatus pœnis nostris, quasi dicat, ipse enim suapte natura benignus est & beneficus, & ad benefaciendum pronus & inclinatus. Castigat autem, & punit quodammodo coactus, & contra suum ingenium & naturam. Non enim mouetur ex se ad puniendum, sicut ex se mouetur ad parcendum, & benefaciendum etiam iis, qui non solùm nulla habent bona merita, sed etiam mala multa. Nunquam autem punit, nisi meritos. Idque etiam citra merita: multùm enim etiam de merita pœna remittit, & condonat. ¶ *Et abiecit.*] Repetenda negatio,& non abiecit ex corde suo,id est, non afflixit ex animo suo, & ex ingenio suo. Sic repetitur negatio, cùm Dominus ait, *Si non venissem, & locutus eis fuissem*. id est, & si non locutus eis fuissem. Ioan. 15. &

Dominus benignus ex sua natura castigat coactus.

Ioan. 15.

Psal.

Pſal.43. iuxta Hebraicum. *Et non receſſit retrò cor noſtrum,& declinauit ſemita noſtra à via tua,*id eſt, & nō declinauit. ❡ *Filios hominum.*] id eſt, homines. Hoc tamen loco nō ſcribitur Heb. בני אדם id eſt, filios Adam, ſed בני איש id eſt, filios viri, fortè vt inſinuetur filios viri,id eſt,homines fortes,ſtrenuos,& viriles,qui pœnitentiam viriliter agunt, neque verecundia vincuntur, aut alio quouis metu, quominus ſua peccata planè confiteantur, & emendent,atque caſtigent, dignóſque pœnitentiæ fructus agant,eos,inquam, non abiici à Domino. Et hi propriè ſunt filij viri. At vero filij Adam, id eſt, ignaui, & pigri ad agendam pœnitentiam, hi abiiciuntur, & in ignem mittuntur æternum ex culpa, & ignauia ſua. Facit autem ſcriptura diſcrimen inter iſtos modos loquēdi:vt Pſalm.48. i. גם בני אדם גם בני איש id eſt,tam filij Adā,quàm filij viri:vt ſit (viri) genitiui caſus. Nec placet Hieron. interpretatio, tā filij Adā,quàm ſingulorū: quoniam nulla apparet ſpecies antitheti, quam propheta intendit:vt etiam cum addit, ſimul in vnum diues, & pauper:vt enim diuitem,& pauperem, alterum alteri oppoſuit,ſic filios Adam,& filios viri:quaſi diceret,nobiles & ſtrenui,ignaui & ignobiles.

Pſal.43.

Fortitudo ad pœnitētiā, & vincendam verecundiam.

Pſal.48.

ל *Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ.*

ל *Vt declinaret iudicium viri, in conſpectu vultus altiſſimi.*

ל *Vt peruerteret hominem in iudicio*

suo, Dominus ignorauit.

¶ *Vt contereret.*] Hic prior versiculus connectitur cum præcedenti, iuxta: R. Selomo, hoc modo: Non humiliauit, seu non afflixit ex corde, nec abiecit filios hominum: vt contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ, &c. scilicet more ferarum, quæ quadam rabie percitæ prædam pedibus calcant, cum quadam voluptate, quasi dicat, Rex non est tyrannus, & iniquus oppressor hominum. Vt contereret, id est, conculcaret, & contumeliosè tractaret. ¶ *Sub pedibus suis.*] Pedes Dei hoc loco intelligi possunt tyranni, iniquíque homines, atque Dæmones, quorum ministerio Dominus vtitur ad castigandum suos, vel vlciscendum improbos. Nam ipsos etiam improbos per alios improbos vlciscitur, & punit. Vt per Nabuchodonosor, & Chaldæos, flagellauit alias gentes: & postea per Persas, & Medos ipsos etiam Chaldæos flagellauit, & deinde Persas, & Medos per Græcos, & tandem Græcos per Romanos. ¶ *Omnes vinctos terræ.*] כל אסירי ארץ septuaginta similiter πάντας δεσμίους γῆς, id est, omnes ligatos terræ, & est, terræ, genitiui casus. quasi dicat, omnes vinctos seu ligatos qui versantur in terram: *todos os presos da tierra*: Et est periphrasis hominum, non tamen otiosa, sed vt intelligant omnes homines cuiuscunque status aut conditionis sint, quamuis sibi videantur & solutissimi, tamen vinctos esse, & in carcere positos, nec ex eo exituros, nisi morte, & vltimo supplicio. Omnes enim ligauit illa sen-

Omnes homines vincti in corpore, & morti obligati.

tentia,

tentia, quacúnque hora comederis ex eo, morte morieris: vt etiam omnes inquinauit,& reos fecit illa culpa, qua comederunt parentes noſtri vuam illam acerbiſſimam, qua comeſtione omnes poſteriorum dentes obſtupuerunt. Noli igitur ſuperbire homo: vinctus & in carcere naſceris, vinctus & in carcere viuis, non niſi per mortem inde exiturus, atque vtinam non in alterum multo tetriorem carcerem tranſiturus. Poſſunt etiam omnes hi tres verſiculi pendere ex vltimo verbo, Dominus ignorauit, id eſt, Dominus ignorat, id eſt, non approbat, nec eſt ſecundùm cor, & ſecundùm ingenium atque naturam eius, vt conterat ſub pedibus ſuis homines mortales, & morti obligatos, id eſt, non delectatur pœnis, & malis atque miſeriis ipſorum: ſed propter peccata cogitur quodammodo contra naturam ſuam malefacere, & punire: ceſſent, atque deſinãt peccata, ceſſabunt, & deſinent flagella. Tunc, autem ceſſant, & deſinunt peccata, quando non ſolùm noua non committimus, ſed etiam commiſſa voluntaria, & ſpõtanea afflictione in nobis ipſis punimus. Omni enim peccato pœna aliqua debetur, vel ſponte, vel inuitis ſubeunda. Chriſtus verò paſſione ſua ab æterna pœna nos liberauit, non à temporali: Cur enim non liberauit à morte etiam temporali, à morbis, à doloribus, à tot miſeriis huius ſæculi, quas vtique propter peccatum incurrimus, ſi pro nobis perfectè ſatisfecit? Sed intelligant, vt nõ venit Chriſtus in hunc mundum vt nobis bona temporalia, & caduca daret, ſed æterna: ſic etiam non veniſſe, vt nos

Ceſſãt peccata, quando non ſolũ noua nõ cõmittimus, ſed etiam vetera punimus.

Quemadmodum Chriſtus non venit in mundũ dare bona temporalia, ſic etiam nec remittere pœnas tẽporales.

à malis liberaret trãſitoriis,ſed æternis:ac proinde nullam iniuriam fieri eius paſſioni, & ſatisfactioni, ſi temporaliter in nobis noſtra peccata puniamus,& caſtigemus. ¶ *Vt declinaret iudicium viri.*] id eſt, vt aliquem iniquè,& iniuſtè damnaret, vel immeritum puniendo, vel vltra quàm mereretur, Dominus ignorauit, id eſt, alienum eſt hoc à moribus,& ingenio eius,vt etiam profiteatur Abraham Geneſ. cap. 18. dicens: *Abſit à te, vt rem hanc facias,& occidas iuſtum cum impio, fiatq́; iuſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum,qui iudicas omnem terram,&c.* D. Hieronymus videtur intelligere,vt declinaret iudicium viri,id eſt,vt non curaret, quaſi prouidentiam non gerens rerum humanarum:ſed declinare iudicium, quod Hebraicè dicitur השות משפט non id ſignificat in ſcripturis,ſed peruertere iudicium, & inclinare in partem iniquam,vt Deut. 27. *Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, &c.* Vbi eſt idem verbum Hebraicum. Et Iſaias 10. *Vt opprimerent in iudicio pauperes.* להטות מדין דלים & Exod. 23. *non declinabis iudiciũ pauperis.* לא הטה משפט vbi quidam legunt, in iudicium, mendosè, vt arbitror. Nam nec in Hebraico eſt, nec in LXX. qui habent, οὐ διαστρέψεις κρίμα πένητος, id eſt, non peruertes iudicium pauperis: tuetur igitur propheta iuſtitiam Domini contra blaſphemos, & murmurantes, qui dum in hoc mundo grauius affliguntur,non conſiderantes,multò etiam grauiora ſibi deberi ſupplicia,in blaſphemiam prorumpunt aduerſus Deum,quaſi ab eo grauius afflicti quàm mereantur. ¶ *In conſpectu vultus al-*

Alienũ eſt à Domino vel punire plus quã mereãtur, vel eos qui non merentur. Geneſ. 18.

Declinare iudiciũ ſem per in malã partem, pro peruertere iudicium. Deut. 27. Iſa. 10. Exod. 23.

tissimi.] id est, in tribunali Dei, vt Psalm. 16. *De vultu tuo iudicium meum prodeat*: & more scripturarum, pro relatiuo repetiit antecedens. Erat enim alias dicendum, vt declinaret, nempe ipse Dominus seu altissimus, iudicium viri in conspectu suo, id est, in suo tribunali. ¶ *Vt peruerteret hominem.*] לעות אדם id est, vt prauam sententiam ferret, & iniquam aduersus quemquam. ¶ *In iudicio suo.*] בריבו id est, in lite sua, quam homo habet, vel audet habere cum Deo: iuxta illud ad Rom. 2. *Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum, &c.* & Hierem. 2. *Quid vultis mecum iudicio contendere?* vel quam Deus ipse habet cum hominibus. Iuxta illud Hierem. 2. *Iudicio contendam vobiscum dicit Dominus & cum filiis vestris disceptabo, &c.* Est autem eadem sententia aliis verbis repetita: quod addidit, vt peruerteret hominem, id est, iudicium seu causam hominis, in iudicio suo. Nam idem est quod dixerat, vt declinaret iudicium viri in conspectu altissimi, qua repetitione valdè delectantur Prophetæ. ¶ *Dominus ignorauit.*] id est, non approbauit tales prauitates, & peruersitates iudicij, id est, non est hoc de moribus, & ingenio, atque natura eius, cum sit summa bonitas. Hebraicè eodem sensu legitur. אדני לא ראה Dominus non vidit, id est, Domino hoc non est visum: *no parece ben à Dios.* Lusitanè.

Psal. 16. *Rom. 2.* *Hierem. 2.* *Ibidem.*

ם *Quis est iste, qui dixit vt fieret, Domino non iubente?*

Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona.

Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?

Omnia casu & fortuito fieri, negãtes prouidẽtiã: error.

Ab altera, & diuersa blasphemia Dominum defendit: superiores enim querebantur, quod Deus iniquè, & peruersè res humanas iudicaret, homines immeritos, vel vltra merita affligendo: Hi autem dicunt, Deum prorsus nemini benefacere, neque malè, neque curare quid quisque agat, sed omnia temere, & casu cõtingere. Quem errorem manifesto experimẽto deprehenderunt etiã infideles Philisthæi, qui cum fuissent à Domino grauissime flagellati, & afflicti, quòd arcam ipsius tanquam captiuam detinuissent, eam tandem remiserunt impositam plaustro, quod duæ vaccæ nondum iugum expertæ, sinè duce ducerent, reclusis etiam ipsarum vitulis domi, quo difficilior vaccis via fieret: quã arcam si sic vaccæ nullo gubernante ad Iudæos reduceret, satis apertum iudicium haberent, diuinæ prouidentiæ, séque non casu, sed certè iudicio à Domino fuisse flagellatos: vaccę igitur mugientes desiderio vitulorum, tamen recta ibant, ducẽte Domino, donec in terram Israël arcam perduxerunt.

1. Reg. 6.

1. Reg. cap. 6. ¶ *Quis est iste?*] tam imprudens, aut imperitus. ¶ *Qui dixit vt fieret.*] i. aliquid fieri. ¶ *Domino non iubente.*] i. nõ disponente, & gubernante. Aliqui legunt, quis est iste qui dixit, quòd aliquid factum sit? &c. siuè bonũ sit, siuè malum,

dummodo

dummodo aliquam habeat ſubſiſtentiam, vt venenum. Venenum enim ſubſiſtentiam habet, & cum ſit vita ſerpenti, eſt mors homini, tanquam diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum. Defectuum etiam naturalium, vt cæcitatis etiam natiuæ, ſurditatis, claudicationis, & aliorum huiuſmodi Deus eſt author. Exod. 3. *quis fabricatus eſt mutũ, & ſurdum, videntem, & cæcum?* nonne ego? &c. Hebraicè eſt מי זה אמר ותהי אדני לא צוה id eſt, quiſnam dixit, & extitit, Dominus non præcepit. Exponit R. Selomo. Si dixiſti, & cogitaſti, non de manu Domini eueniſſe ſibi malum, & afflictionem, ſed caſu accidiſſe, falleris: imo ſiue bonũ ſibi eueniat, ſiue malum, quiſnam dixit, & extitit, ſi Dominus non præcepit? & quis dixit ex ore altiſſimi non egredientur nec mala, nec bona? &c. Sic iuxta R. Selomo. & eſt ſenſus, quis dixit, & extitit? id eſt, quis dixit morte Dei, qui dicendo facit, & extitit, ſubaudi res dicta. Hic enim eſt modus Diuinus iuxta Illud Gen. cap. 1. *Dixit Deus, fiat* ſeu exiſtat *lux: & facta eſt* ſeu extitit *lux:* & ſic de reliquis rebus creatis, de quibus generaliter dicitur Pſalmo. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Quis igitur eſt tantæ potentiæ, vt ſolo dicto faciat rem exiſtere, eámque de nihilo ad eſſe producat, niſi ſolus Dominus? Cum ipſe igitur ſit vniuerſalis, atque primus author exiſtẽtię rerum, ad ipſum pertinet non ſolùm bona facere, ſed etiam mala, quæ aliquam habeant exiſtentiam, vt ſunt mala pœnę. Nam peccatũ, & culpa nullã habent ſubſiſtẽtiam. D. Tho. 1. part. quæſt. 49. art. 2. LXX. recte habẽt τίς οὗτος εἶπε, καὶ ἐγενήθη, κύριος

Exod. 3.

Geneſ. 1.

Mala pœnæ Dominus facit quòd habent ſubſiſtentiã, non culpa quòd nullã habẽt.

οὐκ ἐνετείλατο, id eſt,quis hic,ſeu quiſnam dixit,& factum eſt,Dominus non pręcepit?& ſubauditur relatiuum, more Hebraico, quod Dominus non præcepit,ſeu non mādauit, quaſi dicat,quantũuis homo,aut etiam Angelus dicat, & præcipiat rei non exiſtenti,exiſtere,nunquam exiſtet, ſed hoc eſt proprium & incommunicabile opus potentiæ Dei,qui vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt: ad Rom. 4. vnde ſtellæ nondum exiſtentes,tamen à Deo vocatæ, dixerunt, *adſumus*, id eſt,ilico extiterũt.Baruc.3.Sic igitur etiam exponemus.Quis eſt iſte?id eſt,quis nam eſt? Nam pronomen זה ſeruit interrogationi. Qui dixit,id eſt, qui iuſſit, aut mandauit, vt fieret aliqua res, ſubaudi, & facta ſit, Domino non iubente? Et hic eſt germanus ſenſus.Et nota verbum illud, vt fieret, in Hebraico eſſe generis fœminini, quo Hebraici vtuntur, tam in nominibus, quàm in verbis,pro neutro,quo carēt.*Vt cum dicitur,vnam petij à Domino, hanc requiram:*pro vnũ petij à Domino, id requiram. ¶ *Ex ore.*] Id eſt, ex imperio,ordinatione, diſpoſitione, &c. ¶ *Altiſſimi.*] Id eſt,Dei, qui ſimpliciter altus, & excelſus dicitur:cætera omnia ad eum comparata,non ſolùm alta non ſunt, ſed penitus nihil ſunt. Et repetendum eſt verbum,quis nam dixit?id eſt,quis affirmat.Quamuis in ſuperiori verbum,dixit, ſignificet, imperauit, ſeu mandauit. ¶ *Non egredientur.*] Id eſt,non procedunt,non exiſtunt,non fiunt. ¶ *Neque mala.*] Id eſt, afflictiones, vulnera,depauperationes,mutilationes, calamitates ſegetum, naufragia, fragores plantarũ, & cætera

Solus creat & verbo ad eſſe producit.
Rom. 4.
Baruc.3.
Fœmininũ pro neutro Hebrais.
Pſal.26.

huiusmodi. ¶ *Neque bona.*] Id est, consolationes, restitutio, vel donatio sanitatis, diuitiarũ, & aliorum bonorum, quibus homines delectantur, & iuuantur: quasi dicat, quicunque hoc dicit, aut sentit, pessimè errat. ¶ *Quid murmurauit.*] Id est, cur murmurat, & blasphemat contra Deum, dum affligitur, dum malis afficitur huius vitæ. ¶ *Homo viuens.*] אדם חי quasi dicat homo animalis, & non spiritualis, solum viuens secundùm animam sensitiuam, & non secundùm spiritum. Et subaudi quid murmurauit, seu murmurat. ¶ *Vir.*] Id est, quisquam qui sibi videtur vir & robustus, & spiritualis. ¶ *Pro peccatis suis.*] Id est, Dum affligitur, & punitur pro peccatis suis: quasi dicat, si placet tibi murmurare, ô homo, & irasci, atque indignari, dum affligeris, murmura, & indignare, & irascere peccatis tuis, hæc destrue, hæc dele: nam ea causa sunt afflictionũ tuarum. Hebraicè est מה יתאנן אדם id est, quid mentitur homo, &c. Id est, cur in mendacia prorumpit? vel quid luget homo, seu quid affligitur? Sic Rabbi Dauid. R. Selomo in pręsenti non exponit vim verbi. At Numerorum ca. 11. vbi est participium מתאוננים exponit, occasionem quærentes, seu captantes; vt sit idem quod מתאנים ab אנה similiter ibi Paraphrastes מסתקפין id est, causantes, aut occasionantes, id est, causam vel occasionem quærentes recedendi à Domino. LXX. verò, γογγίζων, id est, murmurans. In præsenti, quoque, εἰ γογγίσει ἄνθρωπος, id est, num murmurabit homo. Paraphrastes verò מה ממון ישכח אנש id est, quas diuitias inuenit homo. Quidam etiã red-

dunt,

dunt,quo fidit homo viuēs?ſtrenuus ſcilicet peccatis geſtis. Varietatis ratio eſt, quod verbum התאונן deducitur à nomine און ſeu און quod ſignificat mendacium, laborem, dolorem,angorem, id eſt, שקר עמל יגיעה וצער Item nihil, id eſt, אין Item vim, robur, fortitudinem, id eſt, כח ואמץ Item luctum, & infortunium, id eſt, אבל ואל Item ſubſtantiam, ſeu diuitias, id eſt, הון Et quoniam fere qui in afflictione, & angore ſunt queruli ſunt, & murmurant,ideo LXX. & Hieronymus etiam pro murmurare acceperunt,id eſt,conqueri.

נ *Scrutemur vias noſtras, & quæramus: & reuertamur ad Dominum.*

נ *Leuemus corda noſtra,cum manibus ad Dominum in cælos.*

נ *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es.*

¶ *Scrutemur.*] נחפשה Id eſt,diſcutiamus, & diligenter examinemus: ¶ *Vias noſtras.*] Id eſt, mores noſtros,& noſtram vitam,atque conſcientiam. *Et quæramus.*] ונחקרה Id eſt, inquiramus,perueſtigemus, exploremus, perſcrutemur: repete, vias noſtras, id eſt, vnuſquiſque dum in calamitatem,& afflictionem inciderit,cogitet de ſe, quoties & quàm grauiter Deum ſuum offenderit,& in eum peccauerit,& ſic non murmura-

bit,

bit,ſed intelligit ſibi etiam grauiora ſupplicia deberi,& gratias aget Deo pro ſua pietate,& æquitate in puniendo. ¶ *Et reuertamur ad Dominum.*] Quoniam hic eſt finis flagellorum eius. Vt qui per delicias ab eo defecimus,per dolores reuocemur. Vnde alibi conqueritur dicens:Populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe. Iſai.9.& Hier. 2. *Fruſtra percuſſi filios veſtros:diſciplinam non receperunt,*id eſt mores ſuos non emendauerunt. Igitur ex recogitatione vitæ & diſcuſſione conſcientiæ ſequitur agnitio peccatorum: & ex agnitione peccatorum,pœnitentia,& conuerſio, ſeu reuerſio ad Dominum, vt iterum ambulemus per vias eius, & ſeruemus mandata eius. Hoc loco comprobatur examinatio, & diſcuſſio conſcientiæ, quam non ſolùm Prophetæ docent, ac ſuadent, ſanctique Doctores, ſed etiam. Ethnicorum ſapientes. Qua de re audi aurea verè Pythagoræ carmina.

Finis flagellorum, eſt vt reuertamur ad dominum. Iſai.9. Hier.2.

Examinatio & diſcuſſio conſcientia à prophanis obſeruata.

Μηδ᾽ ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ᾽ ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν·
Πῆ παρέβην; τί δ᾽ ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ᾽ ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι· καὶ μετέπειτα,
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δὲ, τέρπου.
Ταῦτα πόνει, ταῦτ᾽ ἐκμελέτα· τούτων χρὴ ἐρᾷν σε·
Ταῦτά σε τῆς θείας ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.

Hoc eſt,nec ſomnũ mollibus in oculis ſuſcipe Priuſquam diurnorum operum ter vnumquódque reuoluas:quo tranſgreſſus ſum?quid verò feci? quid à me, quod oportuit, non perfectum eſt? Exorſus autem à primo, percurre etiam deinde.

Mala quidem operatus, tristare: bona verò, lætare. Hæc labora, hæc meditare, seu exerce, hæc te oportet amare. Hæc te diuinæ virtutis in vestigia ponent. Sic Pythagoras. Quæ Virgilius noster in Epigrammate de viro bono sic reddidit.

Virgilius.

Non prius in dulcem declinat lumina somnum:
Omnia quàm longi reputauerit acta diei:
Quà prætergressus, quid gestum in tēpore, quid non?
Cur isti facto decus absfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit.
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem:
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile, honestum;
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu,
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quàm.
Disciplina trahit? Sic dicta, & facta per omnia.
Ingrediens, ortuque à vespere cuncta reuoluens,
Offensus, prauis dat palmam, & præmia rectis.

Sic Virgilius. Quid his documentis ac præceptis sanctius? quid? an non tibi videris Augustinum, vel Ambrosium, vel Bernardum nouicios in religione instituentes audire? Haud dubiè, si hæc instituta in vita seruarentur, non tot incommodis iactaremur. Scrutemur igitur vias nostras, & quæramus: & reuertamur ad Dominum. ¶ *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum.*] Cor cum manibus leuat, qui orationē suam operibus roborat. Valde namque apud Dominum vtráque hæc sibi necessariò congruunt, vt ex oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Qui autem orat quidem, sed operari negligit, cor leuat, & manus non leuat. Qui vero operatur, &

Oratio cum operibus.

non

non orat, manus leuat, & cor non leuat. Hebraicè est, נשא לבבנו אל כפים leuemus cor nostrum ad manus, seu ad palmas. Et R. Selomo exponit, ad palmas, id est, ad nubes, hoc est in cœlum. Sicut dicitur 3. Reg. 18. *Ecce Nubes parua quasi palma hominis, &c.* Et Iob. 36. *In manibus abscondit lucem*, id est, nubibus. Heb. על כפים in Midras, id est, in commentariis veterum Rabbinorum, exponitur, inquit, leuemus cor nostrum in veritate ad Dominum, veluti qui lauat purè manus suas, ac proiicit de eis omnem immūdiciam. Sic qui confitetur, & relinquit, subaudi, peccata, misericordiam consequetur: qui autem confitetur, & nō relinquit, est veluti qui lauat, & reptile manu tenet. Sic R. Selomo. Rabbi Dauid exponit etiam, ad nubes. Sed addit posse etiam exponi, leuemus cor nostrum עם כפינו id est, cum manibus nostris, Iuxta illud, Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum Psalm. 27. vel etiam: Ponamus cor nostrum in manibus nostris, & eleuemus seu adferamus ipsum munus, seu pro munere ad Deum in cœlum. Sic R. Dauid. Et nota, quòd præpositio על interdū sumitur pro עם id est, cum. ¶ *In cœlos.*] Id est, ad Deum. Nam nomen cœli vnum est ex nominibus Dei. Vt illic, *Baptismus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus*, id est, ex Deo erat &c. Et est sensus, oremus, & bona opera faciamus propter Deum, & non ex hypocrisi, & vt videamur ab hominibus. ¶ *Nos iniquè egimus.*] נחנו פשענו nos rebellauimus in te: defecimus à te, debitam tibi obedientiam subtraximus. Integra pœnitentia confessionem oris

3. Reg. 18.
Iob. 36.
Psal. 27.

requirit. ¶ *Et ad iracundiã prouocauimus.*] ומרינו & exacerbauimus. ¶ *Idcirco tu inexorabilis es.*] Quantum attinet ad remittendas aut condonandas pœnas tẽporales,vt exilij, captiuitatis, famis, & denique mortis. Has enim interdum vult nos perpeti, etiam correctos, & pœnitentiam agentes.Et pro his noluit,ac vetuit Hieremiam orare. Sed quoad pœnas futuri ſęculi,ſemper Dominus exorabilis eſt,ſi quis agat pœnitẽtiam. Paraphraſtes habet.Nos rebellauimus,cõtumaces fuimus, & propterea quod non ſumus reuerſi ad te, tu non dimiſiſti,ſeu non pepercisti. Hebr. אתה לא סלחת tu non pepercisti : veniam non dediſti. Illa autem particula,idcirco,non eſt in Hebraico, nec in LXX. quanquam eam ſuppleuit etiam Paraphraſtes.Rabbi Selomo exponit. Nos rebellauimus,& exacerbauimus. Hîc eſt mos noſter,& conſuetudo atque via noſtra, propter fomitem malum. Tu non peperciſti, ſeu non condonaſti. Te decet miſericordia,& condonatio, quia ea eſt via tua, & conſuetudo tua. Sic R. Selomo quaſi Propheta non audeat apertè veniam petere, ſed negatam dicendo, quodammodo admoneat, & commonefaciat Deum officij, & muneris ſui, vt ſi quis medico dicat, ego dolore pereo, tu non curas.

ם *Operuiſti furore, & percuſsiſti nos: occidiſti:nec peperciſti.*

ם *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.*

ס *Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum.*

Rursus reddit ad planctum, commemorans mala quæ patitur synagoga, inflicta à iusto iudice Deo, quem deseruit. ¶ *Operuisti.*] סכותה id est, obtexisti spacium, quod est inter me, & te; & quasi quoddam vallo aut interposito muro separasti: hoc est, furore tuo, quem habes aduersùm me, qui me prohibet accedere, & venire ad te. Furor, & ira Dei non est perturbatio mentis, sed vindicta in pœna patiẽtis. Deus enim naturaliter pius, semper bonus, & placidus est, & semper idem, cum tranquillitate iudicans, & disponens omnia. Sapi. 12. Ideo cum percutit, vel occidit, aut à se remouet, & excludit peccatorem, non perturbationem vllam in semetipso sentit, sed in se quietus, & tranquillus, reos debitas pœnas dare cogit. Ira ergo & furor Dei operiens, id est, obsepiens viam inter hominem peccatorem, atque Deum, id est, inter miseriam, & fœlicitatem, inter damnationem, & remissionem, est iusta Dei sententia & irrefragabilis, qua vult peccatorem puniri. De qua intelligitur illud Luc. 16. vbi Abrahã respondet diuiti in tormentis existẽti, & vel vnam aquæ guttam obsecranti ad refrigerandam linguam. *Inter nos & vos*, id est, inter beatos, & miseros, *chaos magnum firmatum est, vt hi qui nolũt hinc trãsire ad vos non possint: nec inde huc transmeare, &c.* Nota verbum firmatum est, ad significãdam sententiæ immobilitatem. Hoc verbum סך Iob. 38. etiam vertitur, concludere, ibi, *Quis conclusit ostijs*

Cum tranquillitate Deus iudicans.

Sap. 12.

Luc. 16.

mare, id eſt, quis operuit, ſeu obtexit, & vallauit illud littoribus,ne extra erúperes. Notãdum autem,quod hic murus interpoſitus inter peccatorem atque Deum,ex duab.partibus cõponitur;ex peccato, tanquam fundamento: & ex iuſtitia diuina,tanquam pariete,& mole ſurgẽte:tolle fundamẽtum,murum ſuſtuleris. ¶ *Furore.*] Aliqui legũt in furore.Sed non refert,quia Hebræi præpoſitionem in addunt ablatiuis inſtrumẽtalibus. Furore,id eſt, tua irrefragabili ſententia, & vindicta. ¶ *Et percuſſiſti nos.*] Id eſt, variis plagis nos affeciſti. Hebræi legunt, ותרדפנו id eſt, & perſecutus es nos. Sic etiam LXX. καὶ ἀπεδίωξας ἡμᾶς non patiendo nos reſpirare,ſed vbique tergo noſtro inſiſtendo. ¶ *Occidiſti.*] Id eſt, tandem vltimo ſupplicio nos affeciſti. Deus enim rarò damnat ſubitò æterno ſupplicio, ſed prius variis modis peccatorem exercet, & caſtigat, & damnis minoribus admonet, vt conuertatur: & tandem obſtinatum, & impœnitentem, perpetuò damnat, vt Pharaonem. Ad Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? &c.* Et cap.9. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, &c.* Et Sap.11. *Miſereris omnium, & diſſimulas peccata hominum, propter pœnitẽtiam, &c.* Sed ſtulti abutuntur diuina patientia, eámque conuertunt in ſecuritatem peccandi; iuxta illud Eccleſiaſt. 8. *Quia non proferrur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* ¶ *Nec peperciſti*] Id eſt,nec es miſericordia cõmotus,ne vltimo ſupplicio afficeres, quos ad imaginem tuam creaſti.Hebr. ולא חמלת de

Hebræi ablatiuis inſtrumẽtis addũt præpoſitionem.

Rom.2.

Sap.11.

Eccleſ.8.

quo

quo ſupra. ¶ *Oppoſuiſti nubem tibi.*] Sic etiam vertere potuit, oppoſuiſti furorem, quod vertit, operuiſti in furore. Nam idem verbum eſt vtrobique, & eadem conſtructio. Illic סכותה באף hic verò, סכותה בענן, Oppoſuiſti, id eſt, interpoſuiſti, & firmaſti inter nos, & te, Nubem, id eſt, indignationem & furorem tuum, quo es nobis infenſus. Sed hæc nubes cogitur, & concreſcit ex vaporibus peccatorum de terra corporis noſtri aſcendentibus. Exſiccantur, & conſummãtur vapores peccatorum ardore charitatis, & nubes diſſipabuntur, & non opponentur, ſed liber, & expeditus relinquetur orationib. noſtris ad Deum aditus. Et ait, tibi, quaſi Deus quodammodo ſibi caueat, ne ad ipſum perueniat oratio peccatoris impœnitentis, excludens eam vt rem ſibi ingratam, & moleſtam. Quo modo etiam dicitur auertere faciem, veluti non ſuſtinens aſpicere peccatores. Iſai. 1. *Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, tanquam,* ſcilicet, *à re fœda, & aſpectu offendente.* Vnde ſubdit; *lauamini, mundi eſtote, &c.* Nimirum, ſi vultis vt vos libenter aſpiciam: ibi etiam dicit, *Incenſum abominatio eſt mihi.* Cum tamen de incenſo piorum, & iuſtorum dicatur: *odoratus eſt Dominus odorẽ ſuauitatis.* Gen. 8. ¶ *Ne tranſeat oratio.*] Id eſt, ne ad te perueniat tanquam res odioſa, moleſta, & inimica, cui ſolemus ianuam occludere, ne ad nos ingrediatur: talis eſt oratio peccatoris impœnitentis, bona, & fœlicitatem petentis. Quod ſi petat illuminationem, conuerſionem, miſericordiam, qua à peccato liberetur, iam talis oratio non excluditur. Sanè

Oratio peccatoris impœnitẽtis Dominus ſibi cauet ne ad ipſum perueniat. Iſai. 1.

Incẽſum peccatoris, & incenſum piorum. Geneſ. 8.

Iudæi aſſiduè petunt,& orãt Deum,vt à ſuo exilio liberentur, & ad expectatam illam terrenam fœlicitatem perducantur; ſed excluditur per tot annos eorum oratio. Manifeſtum igitur ſignũ eſt eos eſſe in ſuo peccato impœnitentes,& obſtinatos,quo Chriſtum occiderunt. Nam alia omnia peccata, quæ committunt, agnoſcunt; vt furta, homicidia,blaſphemias,& cætera;hoc vnum nec agnoſcunt,neque confitentur, quod eſt omnium maximum. ¶ *Eradicationem.*] Id eſt eradicatam. In quo notatur reſtitutionis deſperatio. Cum enim arbor abſcinditur manente trunco nixa ſuis radicibus,ſpes eſt repullulationis: at cum eradicatur,& abiicitur,deſperabiliter exareſcit. Hebr. eſt סחי id eſt,ramentum,ſtercus, & ſordes, quæ abraduntur & verruntur de pauimento, quando emundatur,& expurgatur:quæ eſt res vilis & abiecta, quæ in ſterquilinium proiicitur. Ad hunc locum ſic intellectum videtur alludere D. Paulus 1.ad Cor.4.dicens.*Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus,omnium peripſema vſque adhuc*,id eſt,ita vili pendimur,ac ſi eſſemus res mundi abiectiſſima,& viliſſima,ac nullius pretij.D.Paulus duobus verbis explicauit סחי Hebraicum,quod deducitur à סחה quod eſt,verrere, ſeu auerrere. Vt Ezech. 26. *Et radam puluerem eius de ea.* Primum *περικάθαρμα*,id eſt, purgamentum, ſordéſque auferuntur, ex re quæ purgatur: Alterum *περίψημα*,id eſt,ramentum, & quidquid limando deteritur,nauci,quiſquiliæ,illuuies,&c. R.Selomo interpretatur ניע & כיח id eſt, excreamentum,& pus illud, quod ex pulmonibus trahitur,

1.Cor.4.

Ezech.26.

&c ex

& excreatur: *escarro* Lusitanè. Sed generaliter significat quæuis excrementa, & ramenta. Vnde subiicit. ¶ *Et abiectionem.*] ומאוס Id est, rem abiectá seu abiiciendam, & abominabilem, quod amplius est: Potest enim esse res vilis, vt quisquiliæ, quæ tamen non sit horrori, & abominationi. At Iudæi, & Synagoga, non solùm hic dicuntur res vilis, sed etiam abominabilis. ¶ *In medio populorum.*] Id est; inter omnes nationes. ¶ *Posuisti me.*] Id est, fecisti me vt essem vilis, & abominabilis inter gentes. Hebraicè est futuri temporis, תשימני sed sumitur pro præterito, imo (vt notat R. Selomo) pro præsenti. Ponendi verbum sumi pro facere, & constituere, suprà docuimus. Cum autem hæc pœna infligatur à Deo synagogæ, vt sit vilis, & abominabilis inter populos, sequitur meritò esse inflictam, & eos meritò talem pœnam luere; quoniam in priori captiuitate Deum contempserūt, Idola colendo, in posteriori verò, Dei filium occidendo. Quare nos etiam cauere debemus, ne similem vltionem mereamur, eundem filium iterum nostris sceleribus conculcando, & crucifigendo, & ostentui habendo: ad Heb. 6. & 10. quid est enim conculcare filiū Dei, nisi pro stercore, & sterquilinio ipsum, & ipsius redemptionem, ac passionem habere, dum adhuc peccamus eius sanguinem redempti, & vestem nuptialem ab eo donatam coinquinamus? Meritissimò igitur eadem, imo [illegible]iori quàm Iudæi pœna afficiemur, vt omn[illegible] vilissimi, & abominatissimi habeamur, & [illegible]nium περικάθαρμα, καὶ περίψημα.

Ponendi verbum pro facere & constituere, suprà.

Heb. 6. Ibid. 10.

פ *Aperuerunt ſuper nos os ſuum, omnes inimici noſtri.*

פ *Formido, & laqueus facta eſt nobis, vaticinatio, & contritio.*

פ *Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.*

Hoc etiam loco litera, Pe, quod nomen ſignificat os, oris, ponitur ante Aiin, quod ſignificat oculum. Qua de re ſuprà diximus. Proſequitur autem mala, & infortunia ſynagogæ. ¶ *Aperuerunt ſuper nos os ſuum.*] Tanquam leones ad deuorandum, vt ſupra quoque expoſuimus. Paraphraſtes in præſenti enarrat, Aperiunt contra nos os ſuum omnes inimici noſtri, decernendo contra nos decreta iniqua. ¶ *Omnes inimici noſtri.*] Omnes gentes. ¶ *Formido.*] פחד ¶ *Et laqueus.*] ופחת eſt in Hebraico Paranomaſia. Et Hebræi interpretantur foueam, ſed idem eſt ſenſus. Nam vt in laqueum inciditur, ſic etiam in foueam. Vt Ioſue 23. *Si volueritis gentium erroribus adhærere, erunt vobis in foueam, ac laqueum*, id eſt, erunt cauſa vt capiamini, & occidamini, vt feræ captæ in laqueo, aut fouea. Et eſt ſenſus, ſi fugimus ob formidinem, ac metum alicuius mali, incidimus in foueam, id eſt, vbique pericula nobis occurrunt. Vt Amos 5. *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, &c.* Et Pſal. 138. *Quò à facie tua fugiam?* Paraphraſtes habet נויעא id eſt, & terror. Vt etiam LXX. καὶ θάμϐος, ſed פחת

Ioſue 23. *Amos. 5.* *Pſal. 138.*

propriè

propriè foueam ſignificat. Vt 2.Reg.17. *forte nunc latitat in foueis* באחת הפחתים Et cap. 18. *Et tulerunt Abſalom, & proiecerunt eum in foueã magnam* אל הפחת הגדול Et Iſai.24. *qui fugerit à facie formidinis cadet in foueam, & qui ſe explicauerit de fouea tenebitur laqueo.* Idem Hierem. 48. quibus in locis ſemper pro fouea ponitur פחת ¶ *Facta eſt nobis vaticinatio.*] Id eſt,euenit nobis formido,& laqueus ſiue fouea,quibus capti,ac perempti ſumus; quemadmodum nobis fuerat per Prophetas prædictum,& vaticinatum. Sic iuxta D.Hieronymum: Sic enim exponit. Aperuerunt tunc inimici os ſuum ſuper peccatores, quoniam eos diuerſis laniatibus, & cruciatibus deuorare feſtinant debitores, nec eis in aliquo miſerantes parcunt, ſed in formidinẽ pœnarum, & laqueũ perditionis, iuxta id, quod Propheticus ſermo peccantibus prædixit,præcipitare ſtudent,&c. Aliter & melius D.Thomas hoc modo;ponitur,inquit, Prophetarum deceptio, per quos contra hoſtes muniri debuerunt:formido,id eſt, cauſa formidinis,ante captiuitatem;& laqueus, in captiuitate contrito, poſt captiuitatem vaticinatio falſorum Prophetarum.Sic D.Thomas.Liran.exponit,vaticinatio Hieremiæ, & aliorũ Prophetarum, cui non credidimus, deiecit nos in formidinem, laqueum,& contritionem.In Hebraico tamen habetur,vaſtatio,& contritio.Et eſt ſenſus. Ex formidine fugientes vnum periculum, incidimus in aliud.Sedecias enim formidãs ſeruitutem, rebellauit contra Regem Babylonis:ex quo, ſecuta eſt eius captio,vaſtatio terrę,& Hieruſalem cõtritio.

2.Reg.17. Ibid.c.18. Iſai.24. Hier.48.

Et videtur per erroré ſcriptum fuiſſe, vaticinatio, pro vaſtatio : ſic Liran. ſed Hier aperte vaticinationem exponit. R. Selomo etiam exponit. שאיה id est, deſolatio, vaſtitas, ſeu vaſtatio. R. Etiam Dauid exponit שממה vaſtitas, ſcribitque השאת cum Iamin. Paraphraſtes habet רתיתא id eſt, terror. LXX. ἔπαρσις, id eſt, eleuatio. Eſt autem ſic ordinandum iuxta Hebraicum. Vaſtatio, & contritio, qua vaſtati, & contriti ſumus ab initiis, facta eſt nobis formido, id eſt, res formidabilis, & laqueus, ſeu fouea, id eſt, captio inexplicabilis. Sed quoniam duo illa nomina vltima habent articulum, qui non ſolet addi niſi ſubiectis, ſeu ſuppoſitis, non autem appoſitis, aut prędicatis, vt etiam articuli Græcorum : vnde illud, *& Deus erat verbum*, Ioannis, id eſt, ſic eſt ordinādum, & verbum illud erat Deus, ſiquidem Græcè eſt καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Poteſt etiam ſic accipi, vt omnia illa quatuor nomina ſint ſuppoſita, hoc modo, facta eſt nobis, id eſt, cōtigit, euenit nobis formido, id eſt, id, quod formidabamus, vel res formidabilis, & terribilis. Et laqueus, ſeu fouea euenit nobis. Et vaſtitas illa, atque contritio illa, ſubaudi, quam comminabantur, & prædicebant Prophetæ non credentib. nobis, euenit, & facta eſt nobis. Iſa. 66. *quæ timebant, adducam eis* : & hoc magis placet. ¶ *Diuiſiones aquarum.*] פלגי מים Id eſt, riuos aquarum; quia diuiduntur & deriuātur à flumine, aut à fonte, vt etiam lachrymæ ab oculis. ¶ *Deduxit.*] תרד Id eſt, deſcendit, hoc eſt, defluxit oculus meus, quaſi conuerſus, & liquefactus in riuos aquarum, id eſt, lachrymarum, id eſt, grauiſ-

Iſai. 66.

ſimè cōdolui,& ploraui. ¶*In contritione.*] על שבר propter contritionem, *por o dèſtroço.* ¶*Filiæ populi mei.*] id eſt, ciuitatis Hieruſalem. Nam Hebræi quancúmque hominum ſocietatem, & communitatem vocant virginem, & filiam. Vnde Paraphraſtes habet. Tanquàm riuos aquarum manauit oculus meus lachrymas, propter confractionem ſynagogæ populi mei.

ע *Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, eo quod non eſſet requies.*

ע *Donec reſpiceret, & videret Dominus de cælis.*

ע *Oculus meus deprædatus eſt animam meam, in cunctis filiabus vrbis meæ.*

In quibuſdam codicibus hi verſiculi ponuntur loco ſuperiorum, & ſuperiores hoc loco. Sed in Hebraico eſt vt nos ſcribimus. ¶ *Oculus meus afflictus eſt.*] Plorando, ſeu præ lachrymis: conſummuntur enim, & læduntur oculi, multum plorando. Hebraicè, נגרה id eſt, defluxit effuſus eſt. Paraphraſtes זלגת דמעין defluxit, lahrymis. ¶ *Nec tacuit.*] i. nec ceſſauit à fletu, non quieuit. Sic etiam Paraphr. ולא תשתוק מלמבכי id eſt, & non ſiluit, non tacuit à plorando, quaſi dicat, iugiter plorat. ¶ *Eo quod non eſſet requies.*] מאין הפגות id eſt, eo quod cernebam populũ meum affligi, & vexari ſinè vlla requie, aut intermiſſione: vt infra c. 5. *Laſſis non dabatur requies.* Paraphr.

habet : מדלית פאיג עקתי ומלל תנחומין לי id est, eò quòd non cessat angor meus, nec est qui cósoletur me. ¶ *Donec respiceret.*] עד ישקיף Instantiam orationis, & perseuerantiam pœnitentię nos habere docet Propheta exemplo suo: qui enim ad cupita peruenire voluerit, reflectere mentem ab studio orationis non debet, exemplo cæci illius, qui etiam increpatus multo magis clamabat, donec oculos, quos optabat, obtinuit. Cum enim rem quam nobis necessariam, aut vtilem existimamus, semel petere cœperimus, non debemus à petendo cessare, donec obtineamus, vel certè manifestè intelligamus, vtilius nobis esse nõ obtinere. Veluti Paulo vtilius erat carnis stimulo non carere: ergo donec respiceret, seu respiciat, scilicet, laborem, & langorem meum, eúmque curet miserendo. ¶ *Et videret.*] repetitio. ¶ *Dominus.*] Tetragrammaton. ¶ *De cælis.*] Vbi habitat modo peculiari, quoniam ibi magnificè operatur. ¶ *Oculus meus deprædatus est animam meam.*] id est, fuit causa perditionis, & captiuitatis animę meę. Sic iuxta D. Hieronymum ait enim, quia per oculorum aspectum sæpè noxia concupiscentia intrat, sequitur, oculus meus deprædatus est animam meam, &c. Reddens causam cur dixerit oculum suum afflictum esse, eò quòd non esset requies, quoniam cum per incuriam aspectus, patefactus fuerit tentationi aditus, vix tranquillitatem inueniet animus turbatus, nisi illi subuenerit diuinæ pietatis intuitus. Hinc Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Vt enim cogi-

Perseuerantia & instãtia in oratione.

Iob. 31.

tationes cordis caſtè ſeruare poſſet, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aſpiceret, quod poſtmodum inuitus amaret. Nec Eua lignum vetitum contigiſſet, niſi id prius incautè aſpexiſſet. Hinc modo ſub Iudeæ voce, quæ exteriora videndo concupiſcens, bona interiora perdiderat, Propheta dicit: Oculus meus deprędatus eſt animam meam, &c. Sic D. Hieronymus. Aliter D. Thomas hoc modo. Oculus meus videns deprædationem terrę deprędatus eſt animã meam, ſpolians eam lætitia, vel plangens, totum dolorem cordis exterius traxit. Sic D. Thomas, non intelligens de peccato per incautum aſpectum, ſed de dolore concepto ex intuitu miſeriarum. Sic etiã Dionyſius, & Lira, quin etiã Paſchaſius ab Hieronymiana expoſitione receſſit: ait enim. Oculus animam deprędari dicitur, quãdo omnes affectus doloris, & męroris effuderit: quãdo omnem langorem, & ardorem animi per lachrymas mõſtrauerit: quoniã omne quodcũque eſt in ea, quaſi fluuius de fonte effluxerit, &c. Et ſanè expoſitio illa Hieronymi aliena huic loco videtur. Hebraicè eſt עיני עול לה לנפשי i. oculus meus fœdauit, ſeu deturpauit animam meam. Sic R. Selomo, quod exponis Lira, id eſt, ex fletu continuo ſordidauit faciem meam, in qua relucet vis animę, magis quàm in cęteris partibus. R. Dauid legit, oculus meus fecit animæ meæ, ſubaudiens dolorem & angorem, dum nimis plorat, propter filias ciuitatis meæ. Paraphraſtes quoque hoc modo, fletus, & ploratio oculi mei cauſa eſt triſtitiæ, ſeu afflictionis animæ meæ ſuper deſola-

Oculus concupiſcẽtia in ſeruit.

tione,

tione, & vaſtatione regionum populi mei, & ſquallore filiarum Hieruſalem ciuitatis meæ. ¶ *In cunctis filiabus vrbis meæ.*] id eſt, in cunctis puellis, quas incautè aſpexi. Sic exponẽdum iuxta Hieron. ſenſum: vel iuxta aliorũ, propter afflictionem quam videbam filiarũ vrbis meę. i. puellarum atque virginum, quæ per iniuriã violabantur & de honeſtabãtur. Infra c. 5. Mulieres in Siõ humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Poſſunt etiam intelligi filiæ vrbis, aliæ ciuitates Iudæ minores, quarum Hieruſalem erat Metropolis. LXX habent, ὁ ὀφθαλμός μου ἐπιφυλλιεῖ ἐπὶ τὴν ψυχήν μου, παρὰ πάσας θυγατέρας πόλεως. Id eſt, oculus meus racemauit in animam meam præter omnes filias ciuitatis. R. quoque Selomo exponit, præ cunctis filiabus ciuitatis meæ; id eſt, familia mea debet flere, pluſquam omnes familiæ ciuitatis: quia erat electa ad ſanctitatem, & cultum Domini, ex omni, & præ omni Iſrael. Sic R. Selomo. Erat autem Hieremias ex genere ſacerdotali. Ponimus multorum expoſitiones, vt liceat ſtudioſo lectori, vel eligere, eam quæ magis placebit, vel earum admonitu (vt ſæpe fit) aliam meliorem inuenire.

Hieremias ex genere ſacerdotali.

צ *Venatione cæperunt me quaſi auem, inimici mei gratis.*

צ *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.*

צ *Inundauerunt aquæ ſuper caput*

meum

meum: dixi, perij.

D.Hieronymus exponit hæc de Domino saluatore,& eius passione,sed non videtur is sensus literalis:nec video quomodo possit saluatori accommodari illud, dixi, perij. Aliter igitur dicamus exponi afflictionem,in quam inciderunt Iudæi,& synagoga. ¶ *Venatione.*] id est, insidiis, & machinamentis,non solùm viribus. ¶ *Cœperunt me quasi auem.*] quæ variis artibus,& artificiis capi solent, vt nihil eis prosint alæ suæ, atque volatus. Sic synagogę nulla industria pro fuit,quominus caperetur. ¶ *Inimici mei gratis.*] id est, qui me sinè causa vlla, aut ratione odio habent, & hostiliter tractant: quia videlicet eis nihil mali feci; sed quamuis Synagoga non peccauerit in Assyrios, Chaldæos, aut Romanos, peccauit tamen in Deum suum, qui horum opera abutebatur ad eam puniendam,& vlciscendam. Sic Diui Thomas,& Liran. Dionysius de Hieremia intelligit. ¶ *Lapsa est in lacum vita mea.*]id est,in lacum carceris,& captiuitatis deiecta sum. Sic Psal.87. *Posuerunt me in lacu inferiori.* Lusitane *na enxouia ne aliube.* Potest etiam intelligi de ipso Hieremia,qui suas etiam calamitates,& afflictiones in hac lamentatione interponit. Hebræi eodem sensu legunt. צמתו בבור חיי id est, ligauerunt in carcere vitam meam,seu constrinxerunt:iuxta R.Selomo,& R. Don. Ioseph, hoc est,concluserunt me in carcerē, vbi penè vitam finiui. Vnde Regem Sedechiam obsecrat ne in carcerem remittatur,timens ibi mori.Hierem.37.R.Selomo

Psal.87.

Hierem.37.

ait, hoc prædici de Daniele. R. Dauid legit. Exciderunt, seu succiderunt in lacu, seu in carcere vitam meam, id est, succiderũt mihi fila vitæ meæ. Et id propriè significat verbum צמת vnde etiam LXX. habent, ἐθανάτωσαν, id est, occiderunt in lacu vitam meam. Cum autem R. Selomo hoc interpretetur de Daniele, licebit etiam de Christo nobis interpretari. ¶ *Et posuerunt lapidem super me.*] id est, ad os carceris, seu putei, vt fecerunt Danieli: quod etiam factũ est in sepultura Christi. Quanquam id fecit pius vir Nicodemus: Tamen Iudæi signauerunt lapidem, & custodes adhibuerunt. Hebræi legunt וידו אבן בי id est, & iecerunt lapidem, id est, lapides, in me, hoc est, lapidauerunt me, Christum quidem in templo lapidare decreuerant, nisi sese de medio subduxisset. Hieremiam verò ferunt à Iudæis in Ægypto lapidibus obrutum, expirasse. Et Paraphrastes habet, lapidauerunt me, seu miserunt lapidem, id est, lapides, in me. ¶ *Inundauerunt aquæ super caput meum.*] id est, operuerũt caput meum: quandiu aquę non operiunt caput, quamuis pertingant ad collum, spes est, & respiratio: at cum caput etiam obruunt, & tegunt, suffocant, & interimunt. Aquæ igitur, id est, tribulationes, angores, & persecutiones hostium meorum, inundauerunt, id est, excreuerunt super caput meum. hoc est, ad certum, & indubitatum vitæ periculum, & mortis articulum me adduxerunt. De quibus aquis ait Dauid, Psal. 143. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Et exponens addit, *& de manu filiorum alieno-*

Hieremiam lapidibus obrutũ expirasse.

Aquæ pro periculis

Psal. 143.

rum,&c. & Pſal. 17. *Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis:* & addit expoſitoriè. *Eripuit me de inimicus meis fortiſſimis, & ab ijs qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me,&c.* Quod hic dixit, inundauerunt ſuper caput meum Hebr. צמו מים id eſt, Natauerunt aquæ, vel redundauerunt. LXX. ὑπερεχύθη ὕδωρ ἐπὶ τὴν κεφαλήν μου, ſuperfuſa eſt aqua in caput meum. R. Selomo aquas interpretatur אומות העולם id eſt, Populos mundi. ¶ *Dixi.*] In tanto periculo conſtitutus, vel conſtituta, videns iam aquas ſupra caput aſcendere. ¶ *Perij.*] id eſt, actum eſt de me: exciſus ſum de hoc mundo: conſiderata imbecillitate virium mearum. Sic Ionas in ventre Ceti ait. Circundederunt me aquæ vſque ad animam, terræ vectes concluſerunt me in æternum,&c. Quaſi dicat, non potero hinc emergere quòd in me eſt, ſed de tua potentia ſpero, vnde ſubdit. Et ſubleuabis de corruptione vitam meam. Sicut etiam in præſenti ſubiungitur. Inuocaui nomen tuum Domine,&c. Hebr. נגזרתי exciſus ſum, ſeu abſciſſus ſum, vt etiam vertit Iſa. 53. *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium*, id eſt, mortuus eſt. Et Ezech. 37. *Perijt ſpes noſtra, & abſciſi ſumus.* Subaudi, de terra viuentium, vel de oculis, & prouidentia, ſeu cura Domini. Paraphraſtes habet אתגזירית מן עלמא id eſt, abſciſus ſum de mundo.

Pſal. 17. Ion. 2. Iſa. 53. Ezech. 37.

ק *Inuocaui nomen tuum Domine, de lacu nouiſſimo.*

ק *Vocem*

ק *Vocem meam audisti: ne auertas aurem tuam à singultu meo & clamoribus.*

ק *Appropinquasti in die, quando inuocaui te: dixisti, ne timeas.*

Indicat se etiã in tam pręsenti, & graui periculo nõ desperasse à Domino salutem. D. Hieronymus exponit de Domino saluatore: & est intelligendum, quòd inuocauerit, clamauerit, & singultierit, ex parte humanitatis in qua patiebatur, & minor erat patre. D. Thomas exponit de ipso populo Iudaico. Lira de populo, vel de Hieremia. Dionysius de Hieremia. ¶ *Inuocauit.*] Ioan. 11. id est, inuoco, vt illud, *ego credidi, quia tu es Christus*, id est, credo, vtuntur enim passim voce præteriti, pro præsenti, quasi dicat, quamuis sim in tanto periculo, tamen spero in te, qui maior es Psal. 26. omni periculo. Sic Psal. 26. *Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? si consistant aduersum me ca-* Psal. 45. *stra, non timebit cor meum.* Et Psal. 45. *Deus noster refugium, & virtus, vel Deus nobis refugium, & robur, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.* Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris: & Ion. 2. Ionas cap. 2. etiam de ventre Ceti Dominum orat. ¶ *Nomen tuum.*] id est, potentiam, auxilium, fauorem, vel teipsum. Nam nomen Domini est ipse Deus. ¶ *Domine.*] יהוה Tetragrammaton. ¶ *De lacis nouissimis.*] Alij codices, de lacu nouis-

simo

ſimo. Hebraicè מבור תחתיות de lacu profunditatum.i. profundiſſimo, quaſi dicat, de pelago miſeriarum,& malorũ. Sic Pſal.129. *De profundis clamaui ad te Domine.* Poteſt etiam intelligi de lacu in quem miſſus eſt Hieremias,cap.38.vel de inferno,ſi intelligatur de Chriſto. LXX. ἐκ λάκκου κατωτάτου id eſt, de lacu infimo. Chriſtus tamen non deſcendit in lacum nouiſſimum , aut infimum , ſed ſolùm in lymbum patrum. ¶ *Vocem meam audiſti.*] id eſt, audire ſolitus es:vnde Paraphraſtes habet,orationem meam audiſti, ſeu ſuſcepiſti in tempore illo. Sic Dominus Ioan.11. *Gratias ago tibi quoniam audiſti me.Ego autem ſciebam,quia ſemper me audis, &c.* ¶ *Ne auertas aurem tuam.*] id eſt,abſcondas תעלם id eſt , quod ſemper facere ſolitus es , vt me exaudias , id præſta etiam nunc , quando maximè egeo : audi etiam nũc,& ne auertas aurem tuam. ¶ *A ſingultu meo, & clamoribus.*] id eſt,ad orationem ex profundis viſceribus , & alto pectore eductam. Hebræi legunt.Ne abſcondas aurem tuam ad refocillationem meam , ſeu refrigerationem meam , ad clamorem meum, id eſt, ne abſcondas aurem tuam ad clamorem meum,quo ego clamo ad te ad obtinendum refrigerium,& refocillationem.Sic R. Dauid. Nam verbum רוח ſignificat dilatare,vel dilatari, id eſt , ab angore , ſeu anguſtiis liberari. ¶ *Appropinquaſti in die quando inuocaui te.*] id eſt, ſemper expertus ſum fauorem, benignitatem,& gratiam tuam, quotieſcunque oraui te. Appropinquaſti mihi , acceſſiſti ad me liberandum , & conſolandum : in die quando , ſeu qua inuocaui

Pſal.129.
Hier.38.
Ioan.11.

te. Paraphraſtes habet. Appropinquare feciſti Angelum ad liberandum me. Deus enim non appropinquat quaſi ipſe longè ſit, & moueatur, ſed tunc nobis appropinquare dicitur, quando nouam aliquam gratiam cōfert. ¶ *Dixiſti.*] mihi. ¶ *Ne timeas.*] id eſt, ſecurus eſto, nihil tibi nocebit, nihil mali patieris. Hęc cōſolatio eſt ipſa Dei appropinquatio. Porro dicere Dei, eſt facere. Ipſe enim, *dixit, & facta ſunt omnia*. Fœlix, cuicunque Deus dicit, ne timeas. Dicit autem omnibus & ſolis iis qui ipſum diligunt, & ſeruant mandata eius: quibus etiam ait, iam nō dicam vos ſeruos.

Dicere Dei eſt facere.

ר *Iudicaſti Domine cauſam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.*

ר *Vidiſti, Domine, iniquitatem illorum aduersùm me: iudica iudicium meum.*

ר *Vidiſti omnem furorem, vniuerſas cogitationes eorum aduerſum me.*

Hæc cùm ſuperioribus connectuntur, commemorat enim antiqua beneficia, petiturus noua: ¶ *Iudicaſti.*] id eſt, iudicare ſolitus es, id eſt, ſuſcipere defendendam. ¶ *Domine.*] אדני Nomen proprium Dominij, ſe enim ſeruum vocat, & agnoſcit, vt ex humilitate facilius impetret. Non enim temerè nunc nomine Adonai, nunc tetragrammato vtitur. ¶ *Cauſam.*] Hebr. ריבי cauſas, id eſt, omnes cauſas, & lites quæ inten-

tantur aduersùm me,tu suscipere solitus es, & te opponere pro me.Sic legimus Dominum Mariæ causas suscepisse,cum à discipulis accusata est, *vt quid perditio hæc?* Item cum à sorore. *Domine,non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?&c.* ¶ *Animæ meæ.*] id est, vitæ meæ. Defendere me solitus es in intentionibus, & causis capitalibus, & semper esse patronus mihi: vnde subiungit quasi expositionem. ¶ *Redemptor vitæ meæ.*] Heb.redemisti vitam meam,id est,de morte,quam mihi intentabant,& machinabantur,liberasti me.Deus autem sæpè liberat sanctos suos in hoc mundo ab insidiis & violentia, & à morte corporali, quando nouit expedire, vt diutius viuant. Sed præcipua, & principalis liberatio est à morte æterna. Nam temporalem mortem oppetere pro Christo,& pro fide, singulare Dei beneficium,atque lucrum est,à multis optatum, & obtentum. Et nota verbum iudicandi in scripturis accipi, pro patrocinari, patronum agere, patronum esse,id est, iudicio defendere, vt in præsenti. Et 1.Reg. 25. *Benedictus Dominus qui iudicauit causam opprobrij mei.* Et Hierem. 51. *Ego iudicabo causam tuam, & vlciscar vltionem tuam.* Et Isa.1. *Iudicate pupillo,* id est, agite causam pupilli, estote patroni, & defensores pupillorum. ¶ *Vidisti.*] id est,vides cernis,quasi dicat,non est opus tibi testibus. ¶ *Domine.*] יהוה Tetragrammaton. ¶ *Iniquitatem illorum aduersum me.*] Rectè interpretatum est Hebr. עותתי id est, peruersionem meam,seu mei,id est,quàm iniquè, & peruersè iudicant, & tractant causam meam, omnia

Iudicari pro patrocinari. 1.Reg.25. Hier.51.

Isai.1.

per iniuriam agentes, nihil ex æquo, & bono. Possunt autem intelligi de Christo, de Hieremia, de populo Iudaico. ¶ *Iudica iudicium meum.*] id est, esto iudex inter me, & illos, qui neque fallere possunt neque falli. ¶ *Vidisti.*] id est, vides. ¶ *Omnem furorem.*] Heb. כל נקמתם id est, omnem vindictam eorum, seu vltionem eorum, id est, studium eorum vlciscendi me, & vindictam sumendi de me. Non quod Hieremias, aut Christus iniuriam vllam fecerint Iudæis, sed quia peruersi prædicationem veritatis, & reprehensionem criminum, suam iniuriam interpretabantur, eámque vlcisci volebant, & optabant, quasi dicat, quidquid agunt contra me, odio agunt, & vindictæ priuatæ animo. ¶ *Vniuersas cogitationes eorum aduersum me.*] Subaudi, vides, id est, omnia quæ aduersum me meditantur, & comminiscuntur, vt me perdant: ergo etiã cogitationes venient ad iudicium Dei, non solum sermones, & opera: vnde etiam Dominus: *Quid cogitatis malum in cordibus vestris?*

ש *Audisti opprobriũ eorum, Domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.*

ש *Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersùm me tota die.*

ש *Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide: ego sum psalmus eorum.*

Prosequitur proponendo iniurias sibi ab ini-

micis

micis illatas, à Domino vindictam expectans: videbat enim ipſorum duritiem cordis, & impœnitētiam. Siue intelligas de inimicis Christi, ſiue Hieremiæ, ſiue etiam populi Iudaici, quem Ethnici perſequebantur, & vexabant: non vt Deo obſequium præſtarent, ſed vt ſuam cupiditatem explerēt. ¶ *Audiſti opprobriũ eorum.*] id eſt, conuitia quibus me afficiunt, & contumelias quas mihi dicunt. Solemne eſt enim impiis, & ſceleratis, non ſolùm in ſanctos manus exercere, ſed etiam linguas. ¶ *Domine.*] Tetragrammaton. ¶ *Omnes cogitationes eorum aduerſum me.*] ſubaudi, audiſti, ſeu audis. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit, &c.* Sap. 1. hoc eſt etiam, cogitationes examinabant. ¶ *Labia.*] id eſt, oblocutiones. ¶ *Inſurgentium mihi.*] id eſt, aduerſum me ſuperbientium, & me ſuppeditare ſtudentium. Subaudi, audiſti, id eſt, non te latent. ¶ *Et meditationem eorum.* והגיונם id eſt, ob locutionem eorum. ¶ *Aduerſum me tota die.*] quia nunquam ceſſant mihi maledicere. ¶ *Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum vide.*] id eſt, vide omnia ſtudia eorum: quoniam enim homo dum vigilat, & agit, fere vel ſedet, vel ſtat: hinc omne ſtudium, & omnis actio humana appellatur Hebræis ſeſſio, & ſurrectio, ſeu ſtatio, שבת וקימה vt Pſal. 138. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam*, id eſt, omnia ſtudia mea, omnes actiones meas. Reſurrectio pro ſtatione ſeu ſtatu ſumitur, vt conſtat ex Hebraico. ¶ *Ego ſum pſalmus eorum.*]

Sap. 1.

Actio humana Hebræis ſeſſio vel ſurrectio quare. Pſal. 138.

id eſt,faciunt me materiam,& argumentum ſuarum cantilenarum,quibus meum nomen obſcurare, & infamare conantur. De hoc etiam ſupra diximus.

ת *Reddes eis vicem, Domine, iuxta opera manuum ſuarum.*

ת *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.*

ת *Perſequeris in furore tuo & conteres eos ſub cœlis,Domine.*

Concludit accuſationem ſuam, non vindictam quidem petens, ſed prædicens, tanquam certus de iuſtitia ſuæ cauſæ, & veritate iudicis. ¶ *Reddes eis.*] id eſt, retribues inimicis meis iniquè me vexantibus, & opprimentibus, & in eo gaudentibus. ¶ *Vicem.*] גמול id eſt, retributionem:vt ſicut ipſi mihi tribuerunt malum, & dolorem,ſibi vero bonum,& delectationem:ſic vice verſa tu reddas eis malum, & dolorem, mihi autem conſolationem de iuſta vindicta ipſorum. ¶ *Domine.*] Tetragrammaton. ¶ *Iuxta opera manuum ſuarum.*] id eſt,pro ratione operum quæ fecerunt aduersùm me. *Quoniam pro menſura delicti erit, & plagarum modus.* Deut. 25. Noſtris igitur manibus nobis metimur vel miſeriam, vel fœlicitatem futuram in venturo ſæculo. ¶ *Dabis eis ſcutum cordis, laborem tuum.*] id eſt, paſſionem tuam, & infirmitatem humanitatis tuæ

Deut. 25.

ponens

ponens eis, tanquam ſcutum cordis, id eſt, defenſionẽ ſui criminis, quæ nolunt agnoſcere, neque confiteri ſe filium Dei occidiſſe. Habent enim cor veluti armatum humanitate Chriſti, ita vt non poſſint illud penetrare iacula rationum ad eius Deitatem pertinentium. Sic iuxta D. Hieronymum. Lira hoc modo. Dabis eis ſcutum cordis, id eſt, obdurationem in peccatis. Vnde habetur in Hebræo, obdurationem. Laborem tuum, id eſt, laborem ſeruorum tuorum, quem reputas tuum. Act. 9. *Saule quid me perſequeris, &c.* D. Thomas, ſic. Dabis eis laborem tuum, id eſt, peccatum in quo te laborare fecerunt. Iſa. 1. *Laboraui ſuſtinens ſcutum cordis,* id eſt, pro peccato eorum retribues ſcutũ cordis, id eſt, duritiam, &c. Sic etiam Dionyſius, & Paſchaſius. Hebraicè eſt תתן להם מגנת לב תאלתך להם dabis eis contritionem, ſeu confractionem cordis, ſtultitiam, ſeu inſaniam tuam ipſis. Sic R. Selomo. Nam מגן ipſi ſignificat confringere, conterere, vt Gen. 14. *Benedictus Deus excelſus qui protriuit hoſtes tuos manibus tuis.* Et Oſeæ 11. *quomodo conteram te, Iſrael?* Quibus locis nos habemus protegere. Verbum autem תאלה deducitur à יאל quod in Niphal ſignificat ſtultum eſſe: & poteſt eſſe ſenſus. Dabis eis contritionem, id eſt, pauorem cordis, vt etiam Luſitane dicimus, *quebrar o coraçon algun.* Sultitiam ſeu inſaniam tuam ipſis, ſubaudi, dabis eis, id eſt, & tunc cognoſcent ſtultitiã ſeu inſaniam tuam, ipſis, id eſt, ſententia, & opinione ipſorum: quia Chriſtum, atque Prophetas, & doctores ſtultos, atque

Actor. 9.

Iſai. 1.

Geneſ. 14.

Oſeæ 11.

insanos putabant,& appellabant. Interpretatur etiam scutum cordis, & exponit obdurationem, occlusionem cordis: *empachamento de Coraçon* Lusitanè, id est, angorem cordis, & tribulationem atque gemitum. Sic R. Selomo. Paraphrastes habet. Dabis eis confractionem cordis,& fatigationem, seu lassitudinem tuam finem ipsis, id est, qui te fatigauerint erit finis, & interitus ipsorum. Pagninus vertit. Dabis eis dolorẽ cordis; maledictionem tuam eis. Sed מגנה non significat dolorem, vt etiam notat R. Selomo, reprehendens eos qui dolorem interpretãtur LXX. habent ἀποδώσεις αὐτοῖς ὑπερασπισμὸν καρδίας μου μόχθον, id est, reddes eis protectionem, & vt ita dicatur, scutationem cordis mei, laborem. R. Dauid legit. Dabis eis dolorem cordis, id est, ראבון sed id nulla autoritate, aut ratione comprobatur: quare aliter quoque interpretatur scutum cordis: exponítque operimentum, seu operculum cordis כסוי לב iuxta illud Isa.6. *Incrassa, seu impingua cor populi huius.* Vbi nos habemus, excæca, quidam operimentum cordis, intelligunt morbum quendam mortiferum, qui Arabice dicitur גאשׁירת אלקלב Lusitanè etiam dicimus *cobreseme o coraçon, parece que tende huam pacta noco racam.* Significatur ergo apostema cordis. Vltimam autem particulam interpretatur, iuramentum tuum ipsis, quasi dicat, sicut iurasti, seu comminatus es ipsis: vel, maledictionem tuam ipsis: quia illud apostema cordis est maledictio à Deo inflicta, vnde Deut. 28. inter alias maledictiones numeratur, dabit tibi Dominus cor

Isai 6. Operimentũ seu operculum cordis.

Deut. 28.

pauidum

pauidum. R.Don.Ioſeph. etiam legit. Dabis eis ſcutum cordis, id eſt, pones ſcutum in cogitationibus cordis ipſorum malis aduersùm me, vt non poſſint cogitationes ſuas ad opus, ſeu effectum perducere: quia ſcutũ ipſum proteget me. Vltimam autem particulam interpretatur, ſtultitiam tuam ipſis: & exponit. Et da eis errorẽ ſeu amentiam, & ſtuporem cordis. Sed non explicat rationem pronominis, cum dixerit ſtultitiam tuam. D. Hieronymus vltimam particulam legebat תלאתך id eſt, laborem tuum: à verbo לאה quod eſt laborare, fatigari, moleſtia affici. Sic etiã legerunt LXX. at nunc legitur תלאתך id eſt, Iuramentum tuum aut maledictionem tuam: ab אלה quod eſt iurare, aut maledicere, & execrari: vel ſtultitiam, à verbo יאל Boni conſulat candidus lector laborem noſtrum: Adducimus enim in locis obſcuris multorum varias expoſitiones, vt liceat eligere ex multis, aut etiam ſumpta inde anſa, meliora inuenire, & comminiſci: licet autem exponere, Dabis eis ſcutum cordis, id eſt, apoſtema, & obdurationem cordis: maledictionẽ tuam eis: repete, dabis maledictionem tuam, id eſt, qui illos maledices: vel reddes eis maledictionem tuam, id eſt, pœnam maledictionis, & blaſphemiæ, quibus ſibi maledixerunt, & blaſphemauerunt. ¶ *Perſequeris.*] Eos vt ſupplet Paraphraſtes & LXX. ¶ *In furore tuo.*] Id eſt, cum furore, non ad emendandum iam, & corrigendum eos, ſed ad perdendum. Pronomẽ, tuo, non eſt in Hebraico, neque etiã Paraphraſtes ſuppleuit, dicens תרדוקינון ברוגזא id eſt, perſequeris eos in furore,

nec LXX. σὺ αὐτοὺς καταδιώξεις ἐν ὀργῇ. Tu ipſos perſequeris in ira. ¶ *Et conteres eos.*] ותשמידם id eſt, & deſtrues eos. ¶ *Sub cœlis, Domine.*] Legendum, de ſub cœlis Domini. Sic enim eſt in Hebr. מתחת שמי יהוה Paraphraſtes quoque ſimiliter habet ותשיצינון מתחת שמי מרומא דיי id eſt, ac deſtrues eos de ſub cœlis, celſitudinis Domini. Et eſt ſenſus. Tu Chriſte, cui Pater omne iudicium dedit, conteres, & deſtrues, id eſt, auferes de ſub cœlis Dei patris tui, omnes perſecutores ſanctorum tanquam indignos qui etiam hanc lucem ſolis intueantur, quem Deus oriri facit ſupra bonos, atque malos. Sed vbi mali nimis creuerint malitia & pernicioſi magis mundo eſſe cœperint, quàm vtiles, etiam ſolis huius luce priuantur. Inſinuat hoc loco Hebraica lectio myſterium ſanctæ trinitatis, cum dicitur, quia Dominus diſperdet peccatores de ſub cœlis Domini; ſic etiam Gen. 19. dicitur. *Pluit Dominus ſupra Sodomam ſulphur, & ignem à Domino de cœlo.*

Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis inſinuatur.

Geneſ. 19.

CAPVT IIII.

In hoc cap. vt in primo, & in ſecundo, vnaquæque litera alphabeti vnum verſum incipit. In quo, ſimili modo caſum populi Iudaici, atque vaſtationem vrbis lamentabili voce hiſtorialiter deplorat: ſpiritualiter autem lapſum animæ fidelis, atque ruinam multò miſerabiliorem deplangit.

Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus: diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.

¶ *Quomodo.*] Id eſt, Quo tanto ſcelere hominũ, & qua tãta indignatione Dei. ¶ *Obſcuratũ eſt.*] Quod ſuapte natura nitet, & ſplendet: ſed quando puluere, & luto obtegitur, obſcuratur, & natiuum ſplendorem non habet. ¶ *Aurum.*] Id eſt, templum, quod inter ædificia mundi reſplendebat, & excellebat, tanquam aurum alia metalla ſuperat. Vnde Paraphraſtes habet. Aurũ domus ſanctuarij, id eſt, templi: erat enim templum illud fere totum auro contectum, quaſi dicat, quomodo incenſum eſt, & igne, atque fumo diſſipatum, & obfuſcatum tam inclytum opus, & mirabilis ille ornatus ad nihilum redactus? R. Selomo autem interpretatur ipſos vultus, atque facies antea (*Templũ totũ fere erat auro contectum.*)

fulgen

fulgentes,& nitentes, vt aurum: nunc autem præ squalore fœdatos, & obfuſcatos: iuxta illud
Ioel.2. Ioel.2. *Omnes vultus redigentur in ollam*, id eſt, denigrabuntur, vt olla. Et
Naum.22. Naum.2. *facies omnium ſicut nigredo ollæ*. D. Thomas refert ad obſcurationem mentium, hoc modo: fuerunt, inquit, Iudæi eminētes in tribus, in ſublimitate diuinæ cognitionis.
Pſal.147. Pſalm.147. *non fecit taliter omni nationi, & indicia ſua non manifeſtauit eis*. Et
Pſal.75. Pſalm.75. *Notus in Iudæa Deus*: ideo ait, quomodo obſcuratum eſt aurum? Prou.20. *Eſt aurum multitudo gemmarum, labia ſcientiæ: & hoc obſcuratum eſt infidelitatis ignominia*. Iſai. 5. *captiuus ductus eſt populus meus quia non habuit ſcientiam*. Sic D. Thom. Vnde Auguſtinus in Pſalm.71. ad illa verba, & *viuet, & dabitur ei de agro Arabiæ*, dicit. Prophetatum eſt etiam ſapientes huius mundi in Chriſtum fuiſſe crediturus.
Per aurum ſapientia quare. Per aurum enim, ſapientiam intelligimus, quæ ita excellit inter omnes doctrinas, vt aurum inter metalla. Vnde ſcriptum eſt,
Prou.8. Prou.8. *Accipite prudentiam ſicut argentum, & ſapientiam ſicut aurum probatum*. Sic Auguſtinus. Lira, verò exponit de ipſo Regno, & Republica Iudaica, quod per mortem Ioſiæ ruit, & obſcuratum eſt Nam tres filij eius, & vnus nepos, qui poſt eum regnauerunt, ſemireges fuerunt, & ſerui Regis Babylonis, & per Idololatriam Dei cultum, qui fuerat ſub Ioſia, contaminauerunt. Itaque hæc lamentatio iuxta R. Selomo, quem ſequitur Liran. dicta eſt peculiariter ſuper Rege pio Ioſia, à Pharaone Rege Ægypti interempto: quod probari videtur ex illo ſecundo Paralip. 35. *Vniuerſus Iu-*

a:& Hierusalem luxerunt eum, Hieremias maximi, nius omnes cantores vsque in præsentem diem lamenationes supra Iosiam replicant,&c. Aut igitur hæc amentatio propriè de Iosia intelligitur, aut lanentatio de Iosia, à Hieremia scripta non extat. ¶ *Mutatus est color optimus.*] Subaudi auri: quonodo color optimus,& splendor, aut nitor auri, d est,Regni,vel templi,vel vultus hominũ, muatus est in fuscedinem, & squalorem, & omnis erum facies in peius conuersa.Heb. ישנא הכתם הטוב id est, mutata est massa bona, iuxta liran: d est,Iosias,ex quo massa bona filij, nepotesque essimi. R. Selomo כתם interpretatur suppelectilem vasorum aureorum,quibus ornatur donus.*Baixela* Lusitanè. R. Dauid ait esse aurum ptimum.R.Iona פנינים id est,margaritas, lapies pretiosos:sed magis videtur esse aurum.LXX. abent ἀργύρεον, id est,argentum. Paraphrastes xposuit metaphoram,dicens.Mutatus est splenor palatij electi,id est,templi.Est repetitio eiusem mutatis verbis. ¶ *Dispersi sunt.*] תשתפכנה iffusi, seu effusi sunt. Sic etiam LXX. ἐξεχύθησαν, d est, effusi sunt. ¶ *Lapides sanctuarij.*] Id est, pides templi,dum à Chaldæis fuit destructum. Ieb. אבני קדש lapides sanctitatis, id est, lapies sancti.Sic etiam LXX. λίθοι ἅγιοι. Dicunt auem lapides sancti,quoniam ex ipsis erat ædificaum templum. Paraphrastes habet, Diffusæ sunt nargaritæ sanctæ. Hieronymus etiam interpreatur de lapidibus preciosis,qui erãt in vestimeno summi sacerdotis. Sed non video quomodo ixta historiam eiusmodi lapides dispersi dican-

tur

tur per plateas,cum Chaldæi, atque Romani essent harum rerum auarissimi. Potiùs igitur de communibus lapidibus intelligitur, iuxta historiam. Tropologicè verò,de lapidibus viuis,id est, de fidelibus, qui quandiu inter sese vnum sunt per charitatem,templum Dei construunt, id est, Ecclesiam: Cum verò per odia & seditiones diuiduntur,Ecclesiam,& templum Dei destruunt, & qui honorati erant in ædificio sancto manentes, tanquam sancti lapides, postea disperguntur per plateas,& tanquam communes, & viles lapides, pedibus conculcantur.R.Selomo lapides sanctos interpretatur puerulos,qui splendebant tãquam lapides preciosi, & in libro Midras Agada dicitur, quod omnes guttas sanguinis exeuntis de Iosia ex vulnere sagittarum,quibus fuit confixus collegit Hieremias,& sepeliuit.Et de iis nunc dici,effusi sunt lapides sancti. ¶ *In capite omnium platearũ.*] *Nas entradas das ruas.* Caput enim plateæ,seu viæ latæ dicitur introitus. Porro lapides deturbari de ædificio, decurrebant ad capita viarum templo proximarum, ibique remanebant. Similiter cum aliqua religio olim florens in deterius mutatur,aut vnusquisque fidelis pristinam bonam conuersationem,ac bonos mores in contrarios mutat,dicere licet,quomodo obscuratum est aurũ, mutatus est color optimus,&c. Et quod peius,si lapides iaceant dispersi,nec sit, qui curet eos colligere, & destructum per vitia Dei templum, per pœnitentiam, & virtutum exercitium reædificare, intoleranda pigritia, & Dei contemptu.

Tropologicè lapides viui.

Tropologicè. Quãdo religio labitur.

ב *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?*

Prosequitur miserabilẽ illam in peius mutationem synagogæ, & Iudaici status. ¶ *Filij Sion.*] Id est, ciues ciuitatis Hierusalem. ¶ *Inclyti.*] Id est, pręclari, & famigeratissimi. Hebraic. היקירים Id est, pretiosi illi, atque generosi. LXX. οἱ τίμιοι, id est, venerabiles illi, atque honorabiles. Erant enim multi nobiles, atque Principes in Hierusalem, sed nobilitate magis terrena, quàm cœlesti. ¶ *Et amicti.*] vestiti, ornati. Hebr. המסלאים id est, comparati, æquiparati, qui conferri, & ad æquari poterant. Sic R. Dauid & Selomo. R. Don. Ioseph. exponit מסלסלים id est, exultati, hoc est, gloriosi. Sic etiam LXX. ἐπηρμένοι, id est, eleuati, elati. Paraphrastes. Quorum imagines, id est, vultus erant similes auro, id est, resplendebant vt aurum. ¶ *Auro primo.*] Id est, auro optimo, quod Hebraicè dicitur פז Paraphrastes דהב טב aurum bonum, *oro fino* Lusitanè. ¶ *Quomodo reputati sunt.*] A superbis, & inhumanis victoribus: sed permittente, vel etiam ordinante Deo. ¶ *In vasa testea.*] Id est, tanquam vasa testacea, quæ vilissimi sunt pretij, quasi dicat, viliter habiti & tractati sunt, non tanquam vasa aurea, sed tanquam lutea, & testacea. Et meritò, quoniam ipsi in corporibus aureis & ornatis, ac bene curatis animos gestabant luteos, testaceos, & neglectos. Hebr. לנבלי חרש id est, in lagenas testaceas.

Para

Paraphraſtes enarrat vilem iſtam tractationem, hoc modo. Filij Sió pretioſi, glorioſive, quorum imagines, ſeu perſonæ ſimiles erant auro bono, quomodo polluti populi tulerunt eos, ac poſuerunt è Regione lectorum ſuorum, vt contemplarentur eos, gigneréntque vxores eorum filios pulchros ob pulchritudinem ipſorum, & aſſimilati ſunt lagenis teſtaceis, operibus manuum figuli. Comparauit autem eos nominatim lagenis, quæ ſunt vaſa vino deſtinata, fortè vt obiter eorum notaret vinoſitatem, & crapulam. ¶ *Opus manuum figuli?*] Idem dixit alio verbo, niſi quod hoc latius patet quàm lagena: quicunque igitur ſic corpus, & carnem ſuam curant, vt animum negligant, nec eum virtutibus, & ſapientia ornare, & nutrire ſtudent, lagenis, & vaſis luteis, ac teſtaceis comparantur, id eſt, viles, & nullius pretij habentur: lagenæ quoque vino quidem implentur, ſed quia ſenſu carent, nullum eius fructum ſentiunt, nec ſuauitatem vllam ex eo percipiunt: Sic homines voluptuoſi, cum in ſe mentem habeant omni vino pretioſiorem, tamen non percipiunt eius delicias per contemplationem ſapientiæ, & virtutum exercitium: neque intelligunt quale, & quantum bonum in ſe ipſis habeant.

Indulgentes genio lagenis cōparantur quare.

3 *Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.*

Mire deſcribit famis magnitudinẽ,quam paſſi ſunt Iudæi in obſidione Hieruſalem, tam ſub Nabuchodonoſor, quàm ſub Tito. ¶ *Sed &c.*] Hebr.etiam, id eſt, גם quaſi dicat, quamuis natura feræ ſint, & crudeles, & humanitatis expertes. ¶ *Lamiæ.*] Authore Chryſoſtomo Dione, ferę ſunt facie muliebri,vberibus,totóque pectore adeò ſpecioſæ vt nullo pictoris ingenio fingi queant.De his apud Pli.nihil reperi.Hier.in præſenti,ait lamiam humanã faciem habere,ſed corpus beſtiale. Iſa,34. inter feras etiam numeratur, quanquam ibi Hebraicè dicitur לילית quam aliqui ſtrigem interpretantur.Hic autem תנין id eſt,dracones; vt etiam habent LXX. δράκοντες. R. Selomo hoc modo enarrat.Etiam draco,quanuis crudelis, producit, ac exerit, denudátque mammam, vbi videt filium ſuum aduenientem fameſcentem,exerit mammam de medio vaginæ, ſeu thecæ ſuæ; habet enim operculum ſeu tegmen ſuper vbera,ſed protinus producit ea,ne fortè videns ea cõtecta filiolus retrocedat, & fame pereat.Sic R.Selomo. ¶ *Nudauerunt.*] חלצו id eſt, producunt,ſeu educunt,euaginant.Habent enim vbera cooperta, huiuſmodi autem præterita ſumuntur pro præſentibus,vt etiam aoriſti Græcorum.LXX. ἐξέδυσαν, id eſt,exuunt. ¶ *Mammam.*] Id eſt,vbera. ¶ *Lactauerunt.*] Id eſt,lactant,naturali quadam veluti pietate motæ. ¶ *Catulos ſuos.*] גוריהן ¶ *Filia populi mei.*] Id eſt,Hieruſalem, hoc eſt matres Hieroſolymitanas. ¶ *Crudelis.*] לאכזר hoc eſt, minus etiam humanitatis, & pietatis oſtendentes, quàm feræ belluæ: quippe videntes

Lamia quale animal.

Iſai.34.

Strigis.

Draco mãma operculum habet.

filiolos ſuos,infantéſque plorantes præ fame,nec eis cibum porrigentes,ſed ſibi potiùs pręſumentes, ac implentes maledictionẽ illam in lege prædictam. Deu.28. *Obſideberis intra portas tuas in omni terra, quam dabit tibi Dominus Deus tuus, & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, in anguſtia & vaſtitate, qua opprimet te hoſtis tuus. Homo delicatus in te, & luxurioſus valde, inuidebit fratri ſuo, & vxori, quæ cubat in ſinu ſuo, ne det eis de carnibus filiorum ſuorum, quas comedet, eò quòd nihil aliud habeat in obſidione, & penuria, qua vaſtauerint te inimici tui intra omnes portas tuas. Tenera mulier, & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter molliciem, & teneritudinem nimiam, inuidebit viro ſuo, qui cubat in ſinu eius, ſuper filij, & filiæ carnibus, & illuuie ſecundinarnm, quæ egrediuntur de medio feminum eius, & ſuper liberis qui eadem hora nati ſunt: comedent enim eos clam, propter rerum omnium penuriam, &c.* Nihil igitur quòd filij cibum non darent, ſed præriperent, qui filiorum etiam ipſis carnibus veſcebantur, id quod nulla fera facit, in quantauis fame & penuria. Quare etiam non eſt neceſſaria expoſitio D. Thom. dicentis, dici crudeles mulieres Hieruſalem, & ſtruthionibus aſſimilari, non propter crudelitatem affectus, ſed propter ſimilitudinem actus, quia lac filiis non præbebant, quod erat ex defectu nutrimenti, ſic D. Thom. quaſi dicat, lac dare volebant, ſed non habebant. ¶ *Quaſi ſtruthio in deſerto.*] במדבר כיענים ſtruthio auis eſt, quæ nullam vel ouorum ſuorum incubandorum, vel pullorum iam exclu-

ſorum

Deut.28.

Struthio auis qualis & erga filios.

ſorum curam habet: ſed oua ponit in terra, ſole fouenda, adeo expoſita, vt pedibus hominum aut ferarum conterantur: ad pullos autem ita obduratur, & materni affectus expers eſt, vt ſi eos non peperiſſet, vt conſtat Iob. cap. 39. vbi tamen ſtruthio Hebraicè dicitur רחסידה Plinius Struthio. Camelum vocat lib. 10. cap. 10. Altitudinẽ equitis inſidentis equo excedunt, celeritatem vincũt Africi, vel Æthiopici, ad hoc demum datis pẽnis, vt currentem adiuuent. Cæterò non ſunt volucres, nec à terra tolluntur: miræ ſtoliditatis, vt in tanta reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultauerint, latere ſe exiſtiment. Plurima pariunt oua. Naturaliter caluent: & vtrinque, vt homo, palpebras habent. Vocatur autem Hebraicè, vt conſtat ex loco citato Iob, חסידה id eſt, pia, & miſericors, per Antiphraſin. Et יענה vt hoc loco, & Iſai. 13. Item Iob. 30. *Frater ſui draconum, & ſocius ſtruthiorum*, id eſt, habitaui cum hominibus inhumanis. Struthiones enim, vt dicimus, pullos ſuos derelinquunt, & quantumuis gemant, & vlulent, nihil eis compatiuntur. Vnde Micheę 1. *Faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.* Heb. ſicut filiæ ſtruthionis, id eſt, pulli à matribus derelicti. Huic igitur aut comparabimus homines inhumanos, maximè paſtores, & antiſtites, & patresfamilias. Luſitani hanc auem vocant *ema*.

Iob. 39.

Pia & miſericors ſtruthio quomodo.

Iob. 30.

Mich. 1.

4 *Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti: paruuli petierunt panem,*

& non erat, qui frangeret eis.

Prosequitur penuriam cibi, & famis afflictionem. ¶ *Adhæsit lingua lactentis.*] Id est, etiamnum lacte vescentis, & non solido cibo. ¶ *Ad palatum eius.*] vt fit in magna linguæ ariditate. ¶ *In siti.*] Id est, præ siti. Nam lac cibus est, & potus infantium. ¶ *Paruuli.*] Qui iam infantiã excesserant, & ablactati erãt, loquique iam pro se poterãt, id est, עוללים ¶ *Petierunt.*] à parẽtib. ¶ *Panem.*] Id est, cibũ. Supra c. 2. in lamed. Matrib. suis dixerũt, vbi est triticũ, & vinum. Hebræi omnem cibum vocant לחם id est, panem. Et verbum לחם comedere. ¶ *Et nõ erat qui frãgeret eis.*] Non ait, & non erat panis, quem panem frangerent eis, sed non erat qui frangeret eis: quia si quem habebãt, sibi potius sumebant, quàm filiis dabant. Hoc loco frangere panem dicitur פרס פרש Tropologicè notantur curationes animarum, maximè nouiciorum in fide & religione, qui propter inertiam, & desidiam spiritualis intelligẽtiæ & ipsi carent alimonia, nec eam suis præbent alumnis. Paruuli, inquit, petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, id est, Infirmi, & simplices scripturæ sacræ fortiores sententias petierunt sibi expositione communi, sed qui exponere studeat, non potest inueniri. Paucorum quippe est, fortia & occulta cognoscere: multorũ verò, historiæ aperta sentire quanquã etiam hæc pauci iam sunt, qui dignẽtur attingere. Cũ Dominus iubeat, scrutamini scripturas, nos autum scrutamur, & auaritiam sectamur.

Tropologicè de curatione animarũ per intelligẽtiam sacrarum script.

ה *Qui vescebantur voluptuosè, in-*

terierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

Prosequitur famē adultorum. ¶ *Qui vescebantur voluptuosè.*] Id est, cibis lautis, & exquisitis. Hebr. למעדנים id est, ad delicias, hoc est deliciosè, & lautè. LXX. *τὰς τρυφάς*, id est, delicias. ¶ *Interierunt.*] נשמו subaudi, præ fame. ¶ *In viis.*] בחוצות id est, in plateis. ¶ *Qui nutriebantur.*] האמנים & refertur ad vestitum. Vt etiam Lusitanè *criar. In croceis.*] Id est, vestibus pulchris, & speciosis, crocei coloris. Fortè legendum coccis, & cocco tinctis. *Vestidos de gran.* Hebr. עלי תולע id est, super vermiculo: quo nomine intelligitur color ruber, & purpureus. ¶ *Amplexati sunt.*] חבקו Id est, tanquam delicias habuerunt. ¶ *Stercora.*] Pro lectis, seu culcitris, id est, in stercore seu sterquilinio cubauerunt, qui antea in culcitris purpureis, & coccinis dormire soliti erant. Vt etiam contigit beato Iobo. D. Thom. & Dion. stercora ad cibum referunt. R. Selomo, & lira, ad cubationem: quòd magis placet, vt respondeat superiori, qui nutriebantur in croceis, seu cocceis: hanc permutationem etiam describit Isaias cap. 3. præsertim de fœminis. Tropologicè accommodari potest ad eos qui olim educabantur sana fide, & bonis moribus, nūc autem in fœditate corrumpuntur, & interimuntur, prauísque consuetudinibus: inficiuntur, vt miseri Germani. Dici etiam potest, vbi religio aliqua deprauata fuerit, quæ quondam, & nuper regulari vita, ac religiosa obseruantia floruerit: sana

Isai. 3. Tropologicè de educatis bona fide, & postea corruptis.

enim doctrina,& pia vita,ac religiosa,deliciȩ sunt animorum,quibus vegetantur, & valent: Contra vero peruersa doctrina,& irreligiosa vita, eorundem pestis est,atque interitus: quod cùm iam publicè,& sinè metu fit,in viis & plateis interire dicuntur,qui olim delicatissimis cibis vescebantur.

ו *Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei,peccato Sodomorum: quæ subuersa est in momento,& non cœperunt in ea manus.*

Comparatione ostendit grauitatem,& acerbitatem malorum, quæ passa est Hierusalem : tum etiam culpæ,quam commisit. ¶ *Et maior effecta est.*] ויגדל Et excreuit,maior fuit. LXX. ἐμεγαλύνθη. R.Selomo hoc modo enarrat. Punitio eorũ, hoc est Iudæorum, ostendit maiorem fuisse iniquitatem ipsorum, quàm Sodomorum. ¶ *Iniquitas.*] Id est, pœna, & vltio iniquitatis, qua arguitur ipsius iniquitatis magnitudo. Vnde etiã D.Tho. ait. Hic exaggerat pœnam in comparatione ad pœnam Sodomorum. Maior effecta est iniquitas, id est, maior in pœna ostẽsa est: & maior fuit culpa propter ingratitudinem,& propter sanctorum profanationem: & maior pœna, quia diuturnior. Sic D.Thom. ¶ *Filiæ populi mei.*] Id est,Hierusalem. ¶ *Peccato.*] Id est, pœna peccati. ¶ *Sodomorum.*] Hebr.Sodomæ : comparat enim ciuitatem ciuitati. ¶ *Quæ.*] Sodoma. ¶ *Subuersa est in momento.*] Id est, non passa est tam diuturnos cruciatus,& dolores vt Hierusalem: malum enim

quanto diuturnius, tanto peius. Vnde Iob. 9. *ait Iob. si flagellat, & occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat*, id est, de protractione pœnarum. Et cap. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, id est, subito moriuntur, nec diuturno cruciantur morborum dolore. ¶ *Et non cœperunt in ea manus.*] D. Hier. videtur referre ad Hierusalem, & synagogam, quanquam obscurè loquitur: ait enim. Videntes mirabilia Dei, & cibo cœlesti pacti, ingrati semper eius beneficiis exstiterunt. Vnde & Doctores non cœperũt in eis manus, qui condignos laboris sui in ipsis non inuenerunt fructus. Nam ipsum legislatorem suum Moysen plurimis conuitiis irritauerunt, & prophetas Dei ad se missos persecuti sunt: nouissimè ergo ipsum hæredem, id est, Dominum Saluatorem, per inuidiam occiderunt. Sic Hieronymus. Intelligit ergo. Non cœperunt magistri, & doctores in ea, id est, Hierusalem, manus, id est, fructum manuum, & laborum suorum, id est, doctrinæ suę. Sed hic sensus non est huius loci. D. Tho. transiliuit. Lira verò sic exponit. Et non cœperunt in ea manus, id est, aduersariorum. Sodoma enim fuit subuersa per angelum, & sic bona ciuitatis non rapuerunt sibi aduersarij: sed bona Hierusalem rapuerunt sibi Chaldæi, quæ fuit vna pœna Iudæorum: nempe quòd viderint aduersarios, gaudere, & luxuriari in bonis ipsorum. Sic Lira. Dionysius huic expositioni addit alteram, hoc modo. Non cœperũt in ea manus, id est, Sodomitæ eleemosynas non dederunt: Iuxta illud Ezech. 16. *Egeno, & pauperi manum non porrigebãt.*

Iob. 9.
Idem. 21.
Ezech. 16.

Et hoc etiam modo exponit Paſchaſius, accipiẽs verbũ cœperũt ab eo,quod eſt cępi:pro incipere. Sic enim ſcribit. quid enim eſt? nõ cœperũt in ea manus , niſi vt ſubaudias, boni aliquid agere,&c.

Scribimus indocti,doctique poëmata paſſim.

Hebr. eſt ולא חלו בה ידים id eſt, & non irruerunt , ſeu non caſtra metatæ ſunt in eam manus, ſubaudi,hominum:quoniã hominis propriè manus ſunt. Sodoma autem non paſſa eſt longã hominum aduerſariorum obſidionem , morte ipſa acerbiorem :ſed ſubitò & veluti momẽtaneo horæ,ſupplicio,cæleſti igne abſumpta eſt. Vnde illud poëtæ.

—Quid enim ?concurritur horæ

Momento,aut cito mors venit,aut victoria læta.

Quibus verbis præfert militum conditionem. Itaque Propheta pro lucro ponit ſupplicij , ac pœnæ breuitatem:& pro argumento mali , pœnæ diuturnitatem. Verbum autem חול ſignificat caſtrametari,cadere,& irruere. Et ſanè D.Hieron. videtur ſcripſiſſe cœperunt,pro incœperũt, quaſi à חלל quod eſt incipere. Nam nõ apparet hic verbum quod capere ſignificet ; ſed potius eſt à חול quod caſtrametari,aut cadere ſignificat. Atque hinc notandum, maiora deberi ſupplicia iis, qui maiora beneficia acceperunt, & contempſerunt. Quod etiam docet Dominus Matth.cap.11. dicens : *Terræ Sodomorum remiſſius erit in die Iudicij, quàm tibi Hieruſalem.* Quare cauendum , ne Dei benignitate abutamur. Cui enim plurima credita ſunt, plura exigentur ab eo. Id quod maximè tangit Religioſos , quos Deus amplioribus

Maiora ſupplicia expectãt qui maiora receperunt beneficia. Matth.11.

mune

muneribus afficit, quàm ſæculi homines. Quare etiam grauius punientur, ſi non reſponderint acceptis.

ז *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte: Rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores.*

Hic verſus pendet ex proximo. ¶ *Candidiores.*] Heb. puriores, id eſt, זכים erant enim abſtinentes, vt conſtat Numer.6. Nec licebat ei vel bibere, vel comedere, vel guſtare quidquid ex vite natum eſſet. Vt autem ingluuies mater eſt fœditatis, ſic parſimonia, & temperantia venuſtatis: vt cõſtat in Daniele, & Syriis eius, qui pulchriores erant comedendis leguminibus, quam alij cibis Regiis. ¶ *Nazaræi eius.*] Filiæ populi mei, id eſt, ſynagogæ, vel Hieruſalem. Lira Nazaræos interpretatur Sacerdotes, vel Leuitas. Sed nõ inuenitur in ſcripturis in eo ſignificato. R. Selomo ait poſſe interpretari Principes, quia נזר coronam ſignificat. Sed neque in hoc ſignicato inuenitur. Quare magis probat vt intelligatur Nazaræi, de quibus Num.6. quoad etymon נזיר ſignificat ſeparatum, ſegregatum, ſemotum, à verbo נזר quod eſt reparare: quoniam ſeparabant ſe à vino, & ab omni contactu cadaueris, & à planctu mortui, nec radebant caput, quandiu duraret votum ſui Nazaræatus. De cætera ipſõrum viuendi ratione, nihil prætereà dicit ſcriptura. Habebantur tamen ſancti, & veneran-

Num. 6.

Parſimonia & tẽperantia mater venuſtatis.

Nazaræi vnde dicti.

di,qui eiuſmodi votum ſuſcipiebant. Vnde etiam Dominus Saluator Nazaręus dictus eſt,id eſt,ſeparatus : ad quod alludere videtur Paulus, & interpretari eius Nazaræatum,cum ait ad Hebr.7. *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens,impollutus,ſegregatus à peccatoribus,&c.* Quaſi dicat, excellentiori quodammodo Nazaræus, non ſolo externo cultu, ſed interna vitæ ſanctitate, & puritate. ¶ *Niue.*] Nix enim puriſſima res eſt,& candidiſſima. Vnde veſtimenta Domini in transfiguratione dicuntur alba apparuiſſe ſicut nix. In præſenti autem quoad hiſtoriam, deſcribitur decor, atque dignitas vultus Nazaræorum, quòd eſſent ſpectabiles,& ſani coloris. ¶ *Nitidiores.*]Heb. צחו id eſt,puriores,vel albiores, aut candidiores. Quomodo idem verbum vertit Cant.5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* ¶ *Lacte.*] Lactis etiam candor commendatur,vt niuis. ¶ *Rubicundiores ebore antiquo.*] Ex rubore,& candore exiſtit pulchritudo, dignitas, & decor faciei. Ebur autem vetuſtate fit rubrum ex candido. Heb. eſt ארמי עצם מפנינים id eſt,Rubicũdiores colore pluſquam gemmæ rubræ. Poteſt intelligi de carbunculo. Luſitanè *Robi.* Nam עצם colorem ſignificare probat R. Selomo ex illo Exod. 24. Viderunt Deum Iſrael ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt. Hebr. ונעצם השמים לטהר id eſt,& tanquam aſpectus,ſeu color cœli in puritate. Vbi Paraphraſtes וכמחזי & ſicut aſpectus,ſeu color. Et LXX. ὥσπερ εἶδος veluti ſpecies, id eſt, decor. Et Paraphraſtes etiam in præ-

Heb.7. *Cant.5.* *Pulchritudo ex rubore & candore.* *Exod.24.*

ſenti סמיקו חוו id eſt, rubebant, ſeu rubicundi erant aſpectu. Alij reddunt, rubicundiores corpore, gemmis rubentibus, vel quàm gēmæ, &c. nam etiam corpus ſignificat. Sed melior eſt ſuperior expoſitio. Et quoniam hoc nomen etiam os ſignificat, ab oſſe, Hierony. ebur intellexit, quanquam propriè ebur non eſt os, ſed dens elephanti. Neglexit etiam verbum עצם quos gemmas ſignificat, vt ipſe etiã interpretatur Prou. 20. ibi, *& aurum, & multitudo gemmarum.* Eſſe autem rubri coloris, conſtat ex hoc loco, quoniam eis in rubore comparantur Nazaræi. ¶ *Saphiro pulchriores.*] Saphirus authore Hieron. aërei eſt coloris. Græcè, σάπφειρος Heb. ספיר ſappir. R. Don Ioſeph in præſenti dicit ספיר eſſe Adamantem. Hebræi legunt ספיר גזרתם id eſt, Saphirus, vel Adamas exciſio eorum. Et LXX. ὑπὲρ λίθου σαπφείρου τὸ ἀπόσπασμα αὐτῶν, id eſt, ſuper lapide ſapphiro auulſio eorum. Et eſt ſenſus. Erant adeò nitidi, puríque & pulchri, ac ſi eſſent exciſi ex lapide ſaphiro. Vnde Paraphraſtes habet, & veluti ſaphirus vultus, ſeu facies eorum. Deſcripto igitur Nazaræorum nitore, atque decore, tempore proſperitatis & abundantiæ, ſubiungit eorundem fœditatem, atque turpitudinem vultus præ penuria, atque fame ſubſecuta, dicens. Prou. 20.

ח *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit & facta eſt quaſi lignum.*

¶ *Denigrata est.*] Hebr. obscurata est, id est, חשך sic etiam LXX. ἐσκότασεν, id est, obtenebrata est, id est, liuida facta est. Sic etiam Lusitano, hominem facie tristi,& liuida vocamus, *Sombrio.* ¶ *Super carbones.*] id est,plusquam carbones.Heb. משחור id est, præ nigredine seu à nigredine:obscurata est facies eorum,id est, nitorem, & splendorem pristinum amisit,à nigredine, id est, propter liuorem contractum, ex fame, & marcie,& laboribus exilij, & captiuitatis. Vnde Paraphrastes habet:obscurata est à nigretudine,seu fuscedine exilij, seu captiuitatis forma, seu aspectus eorum.LXX.ὑπὲρ ἀσβόλην, supra fuliginem. ¶ *Facies eorum.*]In qua præcipue spectatur totius hominis habitus. ¶ *Et non sunt cogniti in plateis.*] id est,adeò deformati sunt macie,vt in plateis iacentes vel mortui,vel semiuiui,non agnoscerentur etiam à notis,& amicis: vt fit in iis, quorum vultus deglubitur, & excoriatur. ¶ *Adhæsit, conglutinata est.*] צפד quod verbũ hoc solo loco
Iob.7. reperitur. sic Iob.7.Cutis mea aruit,& contracta est. ¶ *Cutis eorum.*] Quæ olim erat distenta, & plena carne ac pinguedine, nunc carne absumpta, contracta est, & ossa pro carne vestiuit. ¶ *Aruit.*] absumpta pinguedine. ¶ *Et facta est quasi lignum.*] id est, vt arbor olim florens, & viridis,postea verò exsiccata,vt cicanon Ionę,& ficus cui maledixit Dominus. Sic fit interdum,vt qui videbantur per virtutum,& doctrinæ exercitia candidi esse,atque nitidi, spectabiles,& venerabiles, paulatim per desidiam collapsi in maxima vitia prolabantur, & omnis ille prior decor,

in contrarium commutetur..

ט *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.*

Comparatione docet famis malum, & acerbitatem: ¶ *Melius fuit.*] id est, melioris conditionis fuerunt, melius cum illis actum est, quoniam eorum supplicium citò finitum est. ¶ *Occisis gladio.*] id est, cita, & breui morte peremptis. ¶ *Quam interfectis fame.*] Quoniam horum cruciatus diuturnus fuit. ¶ *Quoniam isti.*] occisi fame. ¶ *Extabuerunt.*] In tabum, & saniem resoluti sunt. Heb. יזבו id est, defluxerunt, alui profluuio laborantes. ¶ *Consumpti.*] מדקרים id est, transfixi, quasi gladio. Sic etiam LXX. ἐκκεκεντημένοι, id est, confossi. ¶ *A sterilitate terræ.*] id est, quoniam ob ciborum penuriam cogebantur comedere res noxias, & mali nutrimenti: vt herbas, sinè pane, sinè vino, &c. Vnde Hebraicè est. מתנובות שדי id est, ab herbis àgri, id est, agrestibus, vel ex germinibus. Quicquid enim ex terra pullulat, & crescit, vocatur תנובה sic etiam LXX. ἀπὸ γεννημάτων ἀγρῶν, id est, ex germinibus agrorum. Hi igitur morte acerbiórem vitam, imo prolixam, ac fœdam mortem tolerabant, in tabum resoluti: qui olim delicatis cibis, & pretiosis vinis deliciabantur. Intelligamus autem defleri non solùm laborem illum & cruciatum famis, & sitis, quo corpora in hac vita afficiuntur longo tempore, sed multò magis cru-

ciatum

ciatum illum inferorum, in quo diues quondam epulo non poteſt obtinere guttam aquæ, qua linguam ardentem refrigeret. Vnde Eccleſiaſticus admonet cap. 14. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.* Quod ſi Propheta præfert mortem occiſorum gladio, & mortem fame peremptorum, acerbiorem dicit, propter diuturnitatem, & fœditatem: quantò magis timenda eſt & horrenda mors illa inferorum, quæ æterna, & fœdiſſima eſt, & cuius comparatione omne tempus punctum eſt.

Eccleſ. 14. Ex malis huius vitæ coniicienda mala inferorum.

ʾ Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.

Grauiſſima famis exaggeratio, qua non poſſit eſſe maior. ¶ *Manus mulierum miſericordium.*] id eſt, quæ naturaliter ſunt miſericordes, & ad filios tenerè afficiuntur. ¶ *Coxerunt filios ſuos.*] ילדיהם id eſt, teneros infantes iugulauerunt, & in fruſta diſſectos in lebetem miſerunt, atque comederunt. Elixabant autem potius quàm torrebant, ne ex nidore deprehenderētur, & ſuo cibo ſpoliarentur. Vnde Ioſephus narrat, cum quædam filiolum aſſaret, quoſdam ad nidorem accurriſſe, & viſo ſpectaculo obſtupuiſſe. ¶ *Facti ſunt cibus earum.*] id eſt, in eadem viſcera, ex quibus exierant, retruſi ſunt. ¶ *In contritione.*] id eſt, in excidio tam ſub Chaldæis, quàm ſub Romanis: ¶ *Filiæ populi mei.*] id eſt, Hieruſalem.

Si

Si igitur etiam in hoc ſæculo tanta eſt impietas, nam quæ poteſt eſſe maior? quid futurum putas apud inferos, vbi nulla penitus virtus erit, nulla miſericordia, nulla reuerentia, nihil in fœlicius, aut tertius fingi poteſt illa turba.

כ *Compleuit Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ, & ſuccendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.*

¶ *Compleuit Dominus.*] Id eſt, tandem perfecit, quod diu diſtulerat, pœnitentiam ſynagogæ, & Hieruſalem expectans: ſed tamen quod differtur, non aufertur. ¶ *Furorem ſuum.*] id eſt, vltionem ſuam ſemel perfecit. Nam antea per quaſdam veluti particulas corripiebat, & flagellabat, veluti admonendo, ſed perſeuerante iniquitate tandem vniuerſum furorem immiſit. ¶ *Effudit.*] שפך copiam ſignificat. Iram indignationis ſuæ. Tria nomina collegit ad ſignificandam vehementiam: furorem, iram, indignationem. ¶ *Et ſuccendit ignem in Sion.*] Hæc ipſa fuit ira, & furor, & indignatio Dei. Hęc enim nomina in Deo ſimplicem ſignificant vindictam, ſinè vlla perturbatione. Porro Sion, id eſt, Hieruſalem, igne conſumpta eſt. ¶ *Et deuorauit.*] Ignis à Deo ſuccenſus, id eſt, à Chaldæis, volente & agente Domino. ¶ *Fundamenta eius.*] Tanta fuit vis ignis, vt etiam fundamenta ipſa murorum, atque domorum conſumpſerit, nedum parietes, & tecta. Sic

Fundamēta falsa hæreticorū Dominus destruet, & igne consumet.
2.Cor.10.

etiam destruet Dominus fundamenta, & omnia falsa dogmata hæreticorum, atque infidelium, omniáque ipsorum argumenta, quæ validissima putant, ignis dissipabit, & vana atque ifirma esse docebit: iuxta illud Pauli. 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo: ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei, &c.*

ל *Non crediderunt Reges terræ, & uniuersi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Hierusalem.*

Hierusalem inexpugnabilis, quoniã Nabuchodonosor per biēniū restitit.

Ostendit firmitatem Hierusalem, vt sic maior appareat eius dolor, & miseria, quod ex tanta gloria exciderit. ¶ *Non crediderunt.*] id est, non credebant: quoniam Hierusalem inexpugnabilem esse putabant: & quidem satis suam firmitatem ostendit, dum potentissimo orbis Monarchæ Nabuchodonosori ipsam obsidenti, restitit per biennium, & postea etiam diutissimè imperatoribus Romanis. ¶ *Reges terræ.*] Quoniam apud omnes nationes celebrata erat ciuitas Hierusalem, & vndique in eam mercatores conueniebant: tum etiam propter templi Salomonis pulchritudinem; & magnificentiam. ¶ *Et vniuersi habitatores orbis.*] non credebant. ¶ *Quoniam.*] id est, quod. ¶ *Ingrederetur.*] id est, ingredi posset per vim. ¶ *Hostis & inimicus.*] Animo hostili ad destruendum, & subiiciendum tam firmã atque

nobilem

nobilem ciuitatem. ¶ *Per portas Hierusalem.*] quæ erant firmissimæ, atque munitissimæ, & tamen fuerunt confractæ, & humi deiectæ. Id quod etiam timendum nobis est, ne contingat in ædificio spirituali. Fit enim interdum vt aliqui magni viri, & sanctitate celebres, & qui videntur etiam à prauis peccatis esse alieni, & quodammodo inuicti, turpissimè prolabantur, & in magnis criminibus deprehendantur, vt dicatur, quis crederet talem virum talia commissurum fuisse? quare nunquam debemus in hoc sæculo esse securi: quoniam quamdiu bellum extat, incertus est exitus, & incerta victoria; semper igitur vigilandum, & in armis standum.

Nunquã in hac vita debemus esse securi quoniã bellum ingruit.

O Propter peccata Prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum.

Ecce malorum omnium causa, & fons & origo: omnia, inquit, hæc mala, & miseriæ Hierusalem venerunt ei, propter peccata prophetarum eius, id est, Pseudoprophetarum, qui cum officium assumerent populi docendi, & ad salutaria ducendi, non modo id minimè præstabant, verumetiam ea maximè persuadebant, quæ erant omnium maximè nocentia, & perniciosa: id est, idololatriam, & vitia cõnexa. De quibus quoque supra cap. 2. in Nun. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad*

Peccata prophetarũ & docẽtiũ causa malorum omnium.

pœnitentiam prouocarent, &c. Et quamuis veros etiam Prophetas haberent, vt Isaiam, Hieremiam, & alios, tamen falsis magis credebant: quoniam placentia prophetabant: vt nunc etiam infœlices Germani potius Pseudopropheta͂ Lutherum audiunt, quàm omnes ecclesiæ Doctores. ¶ *Et iniquitates sacerdotum eius.*] Sacerdotes idolorum intelligit, vnde Paraphrastes habet: Non euenerunt omnia hæc, nisi propter peccata prophetarum eius, qui prophetabant ei prophetiam falsam, & propter iniquitates sacerdotum eius, qui adolebant incensum aromatum idolis, autorésque erant, vt effunderetur in medio eius, sanguis innocentium. ¶ *Qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum.*] Qui, nempe prophetæ docendo, exhortando, & persuadendo, & sacerdotes exequendo, & consulendo, & omni ratione iuuando. ¶ *Effuderunt sanguinem iustorum.*] id est, Sanguinem puerorum, & puellarum innocentium, quos idolis immolabant. Hierem. 2. *In albis tuis inuentus est sanguis animarum pauperu͂, & innocentu͂, &c.* & Ezech. 16. *& tulisti filios tuos, & filias tuas, quos generasti mihi, & immolasti eis:* id est, idolis ad deuorandum. *Nunquid parua est fornicatio tua? Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis, &c.* Et cap. 23. & sæpe alibi de immani hoc scelere arguuntur. Multa etiam alia homicidia, & iniquæ cædes innocentium committebantur, exhortantibus, & consulentibus Pseudoprophetis, & falsis sacerdotibus, veluti à Rege Manasse, qui impleuit Hierusalem cruore innocentium. Quo præcipuè

Iniquitates sacerdotum colentiu͂ Idola, causa malorum.

Immolatio innoce͂tium Idolis.

Hierem. 2.
Ezech. 16.

offensus Dominus decreuit Hierusalem destruere.4.Reg.24.& Isa.1. *Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ:* & Oseæ 4. *Homicidium & furtum,& adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit,&c.* Quę peccata imputantur prophetis,& sacerdotibus:quoniam ea,vel suadebant,& docebant, vt de filiis immolandis, & de interficiendis piis, & fidelibus, qui hæc reprehendebant,aut ægrè ferebant:alia verò dissimulabant, nec arguebant, aut reprehendebant, ne populi, ac Principum, Regis quoque fauorem perderẽt, à quibus nutriebantur. Atque hæc in priori Hierusalem desolatione: nam in posteriori, scelus etiam auxerunt, ipsum Dei filium crucifigentes: Id quod nunquam Pilatus Æthnicus ausus facere fuisset,nisi pseudoprophetæ, falsíque Pontifices id persuasissent.

4. Reg. 24. Isa.1. Osea 4.

Per doctrinam & persuasionẽ peccata imputantur & exemplum.

ב *Errauerunt cæci in plateis, polluti sunt sanguine:cumq́, non possent intrare, tenuerunt lacinias suas.*

Hi versus cum sequentibus variè exponuntur. D.Hieronymus hoc modo. Per inertiam Doctorum,tenebris ignorantiæ ex cæcitate errauerunt in plateis turmæ plebium:tradentes se illecebris voluptatum, & ideò rectum diuinorum præceptorum callem tenere non valentes. Polluti sanguine, id est, sanguinolentorum operum contaminati commixtione. Cúmque non possent:subaudi, recto tramite incedere, tenuerunt lacinias

ſuas, id eſt, aliorum ducatum expetebant, vt eorum actuum exemplis, quaſi quibuſdam laciniis tracti, greſſum imitentur precedentium: ſed quia frequenter illi qui præeunt, & ſequentes ſe, verbo doctrinæ, & bonis exemplis docere debuerant, ipſos ſecutores ſuos per factum ſuperbiæ ſpernentes, in deſperationem mittunt, ſequitur, Recedite polluti, clamauerunt eis, &c. ſic Hieronymus. Dionyſius autem ſic. Errauerunt cæci in plateis. Iſti ſacerdotes, ac pſeudoprophetæ ſuis vitiis obcæcati, & tempore ingreſſus Chaldæorum, fame, ac miſeriis obſcurati, polluti ſunt ſanguine iuſtorum, quem fuderunt, vel ſuo ipſorum, cum occiderentur: cúmque non poſſent effugere, incedere, vel intrare. Nam quod aliqui textus habent, intrare, ſuperadditum eſt, nec eſt de littera. Tenuerunt lacinias ſuas, id eſt, ora veſtimentorum præ doloris anguſtia. Sic Dionyſius. D. Thomas hoc modo. Hic ponit inſufficientem emendam: quia abſtinentes tantùm ab ingreſſu templi, ſe ſatisfacere credebant. Errauerunt vagantes per plateas cæci, excæcauit enim eos malitia eorum. Sap. 2. ¶ *Intrare* templum. *Lacinias ſuas.*] veſtes ſciſſas ad modũ ioculatorũ, à lacero, laceras, dictas. In quo oſtenditur, quòd à voluptatibus non ceſſabant, vel ſecundùm aliam literam, laſciuias, & planius eſt. Vel poteſt intelligi de illis, qui excæcati corporaliter fuerunt ab hoſtibus capti, qui domos per ſe intrare non poterant, niſi ductoris fimbrias tenerent: & tenet ſe cum ſequente. Sic D. Thom. Paſchaſij expoſitionem piget referre, quæ partim ſumitur ex D.

Thom.partim ex Hieronymo,partim additur de ſuo. Lira:loci difficultatem præfatus, hoc modo exponit.Hæc litera continuatur cum præcedente, quæ loquitur de punitione iniqua innocentum:quorum aliqui occidebantur,quidam excæcabantur:& quoad iſtos dicitur. ¶ *Errauerunt cæci.*] id eſt, Iuſti nequiter excæcati: ¶ *Polluti ſunt ſanguine.*] Scilicet,aliorum iuſtorum occiſorum, quia non videntes ponebant pedes ſuos in ſanguine, ſicut in aliis locis: ¶ *Cúmque non poſſent.*] Scilicet,rectè incedere. Aliqui libri habent additum,intrare,ſed non eſt in Hebraico,nec in libris correctis. ¶ *Tenuerunt lacinias ſuas.*] id eſt, apprehendere tentauerunt oras veſtimentorum videntium,vt ſic exirent de locis ſanguine repletis: & ipſi videntes,& maximè prophetæ falſi, & ſacerdotes non permittebant, dicentes: Recedite polluti, &c. R. Selomo ex R. Menachem hoc módo. Errauerunt, ſeu nutauerunt cæci in plateis,quando incedebant cæci per plateam ſeu forum, nutabant, & pedes eorum mergebantur in ſanguine occiſorum,quos impij interficiebant in platea.Polluti ſunt ſanguine,vt non poſſent contingere veſtes eorum,id eſt,adeò,vt non poſſent, qui ad ipſos appropinquabant, tangere veſtes eorum:ideóque clamabant ad eos,recedite à nobis,ô polluti,&c. Paraphraſtes hoc pacto: vagabantur cæci per plateas,inquinabantur ſanguine interfectorum gladio, & propterea quòd cernere non poterant, appropinquabant cum veſtibus ſuis. Sic Paraphraſtes.R.Don Ioſeph: etiam hoc modo. Errabant cæci in plateis, id eſt, & ne pu-

tes quod committebantur homicidia ſemel per annum,& fortuito,aſsidua, ac iugis erat occiſio, adeò vt omnes plateæ ſemper redundarent ſanguine interfectorum , ita vt cæci, qui per eas vagabantur,eò ſanguine polluerētur : quod ipſum cernere non poterant, neque cauere : erátque tanta ea inquinatio , vt non poſſent tangere veſtes ſuas,dicerént que eis alij homines clamando, recedite,recedite polluti,ne tangatis, &c. vides, candide lector , expoſitionum varietatem , inter quas Hebræorum videntur eſſe germaniores:Ex quibus licebit ſic colligere. ¶ *Errauerunt cæci in plateis.*] Quia non erat qui eis manum daret , & ducatū præſtaret:tanta erat inhumanitas. ¶ *Polluti ſunt ſanguine.*] Interfectorum,qui fundebatur in plateis. ¶ *Cúmque non poſſent intrare.*] Verbum intrare , non eſt in Hebraico , nec in codicibus emendatis,ſed ſimpliciter,cúmque non poſſent, ſubaudi,vitare ſanguinem,ſeu cruorem. ¶ *Tenuerunt lacinias ſuas.*] id eſt , attollebant fimbrias ne contaminarētur, vt faciunt, qui per altum lutum tranſeunt : In quo notatur multitudo ſanguinis, *Oſeæ 4.* & homicidiorū. Quomodo etiam Oſeas cap.4. dicit. *Sanguis ſanguinem tetigit*, id eſt , vnus riuus ſanguinis ſequebatur , antequam prior elaberetur , quaſi continuatis riuis. Hebr. ſic habetur. בלא יוכלו יגעו בלבושיהם id eſt, eo quod non poterant , tangebant veſtibus ſuis, hoc eſt, quoniam non poterant cernere ſanguinem in platea ſparſum,tangebant eum veſtibus, id eſt, laciniis veſtium ſuarum,& ſic inquinabantur, & polluebantur ſanguine. Eſt enim expoſitio ſuperioris,

Polluti ſunt ſanguine. Quidam vertunt, adeò vt non poſſent, qui tangere voluiſſent veſtimenta eorum. Sed eſt durior interpretatio, & dictio בלא non ſignificat, adeo vt non, ſed eo quod non, vt nos vertimus.

ס *Recedite polluti, clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tangere, iurgati quippe ſunt, & commoti: dixerunt inter gentes, non addet vltra, vt habitet in eis.*

D. Hieronymus ſuam proſequitur expoſitionem, vt hæc ſint verba ſuperborum Magiſtrorum, qui pecus, quod craſſum eſt, de grege aſſumunt, & quod debile proiiciunt: Recedite, inquiunt, nolite nos tangere, inſanabilia ſunt vulnera veſtra, non eſtis digni communione Chriſtiana, vt vltra in vobis inhabitet Spiritus ſanctus. Facies Domini diuidit eos, ac reſpuit, nec addet vltra vt recipiat: quia facies veſtrorum ſacerdotum non erubuiſtis. Talis loquela enim non ſanat ægrotum, ſed magis occidit, &c. Sic Hieronymus multa certè tranſiliens, nec rudis, ac nouitij lectoris, ac ſtudioſi ſatisfaciens infirmitati, & imperitiæ. Atque vtinam frequenter hoc non faceret beatiſſimus doctor, ſed tã quam ſapientibus, atque inſipientibus debitor, etiam ſingulorum verborum ordinem, conſtructionémque nobis indicaret, vt clarius ſenſum perciperemus. Id quod ego ſentio eſſe vel difficil-

Nihil despiciẽdum in. scriptura sacra. sed etiã minima cõsectanda.

limum. Nos igitur in rudiorum gratiam ad hæc minima descendere solemus, & quantum vires ferunt, etiam minutias istas consectamur. Quoniã nihil est in scripturis sanctis tam minimum, quòd non etiam maximis atque summis profanarum antecellat. D.Thom. hoc modo prosequitur. Hic ponit ciuium captorum irrisionem ab hostibus, & primùm improperat eis sanctorum profanationem. Clamauerunt, scilicet, hostes: Eis scilicet Iudæis. Recedite, in captiuitatem de loco sancto. Nolite tangere, sancta, vos immundi. Secundò improperat eis Dei indignationem, quantum ad diuini auxilij destitutionem. Iurgati sunt hostes contra Iudæos: & commoti, vtrique isti, obiurgando: & illi, dolendo. Vt inhabitet, Deus vos defendens. Sic D. Thom. Dionysius autem hoc modo. Recedite polluti, clamauerunt eis, scilicet, sacerdotibus, & pseudoprophetis Chaldæi cum insultatione, & derisu. Recedite, abite, nolite tangere nos. Hoc ironicè clamauerunt, quasi dicant, nũc non potestis euadere, qui contactum gentium despexistis. Iurgati quippe sunt & commoti: aduersarij isti Iudæorum contra sacerdotes, & pseudoprophetas. Dixerunt inter gentes, id est, gentiles inter se asserebant. Non adiiciet vltra Deus Iudæorum istorum, vt habitet in eis, id est, finaliter eos relinquet. Sic Dionysius. Lyráque suam expositionem sequitur de piis ab impiis excæcatis, & exoculatis, hoc modo. Recedite polluti, quia licet essent iusti, ab impiis reputabantur iniqui. Nolite tangere, scilicet, nos, ne malitia vestra inquinemur, vt Isaias 65.

Isai. 65.

Recede à me,ne appropinques mihi:quia immundus es.
Iurgati quippe ſunt, non enim ſat erat falſis prophetis, & ſacerdotibus iuſtos affligere factis, ſed etiam affligebant contumeliis. Et quia id facinus erat execrabile etiam gentibus,ad quorum notitiam deuenit,ſubditur:Dixerunt inter gentes, id facinus deteſtantes. Non adiiciet vltra Deus Iudæorum, vt habitet in eis : propter malitiam eorũ. Ideo additur:facies Domini,&c. Sic Lira. Nobis videtur hoc modo exponi poſſe continuando cum noſtra ſuperiori expoſitione. ¶ *Recedite.*] Id eſt, cauete ne hac eatis, abſtinete vos ab hac via,qua pergitis,ne in ſanguinis lutum incidatis: vt ſit ſermo cæcos admonentium, vt fieri ſolet. ¶ *Polluti.*] Nam cæci cum non videant ſordes ſuas,ſolent eſſe contaminati. Hebr. eſt ſingulare טמא id eſt, pollutũ,vt ſit ſenſus. Recedite à polluto,id eſt,à loco cruore contaminato. Vnde Paraphraſtes habet זורו ממסהבה id eſt, declinate à polluto. ¶ *Clamauerunt eis.*] Monentes eos. ¶ *Recedite,abite.*] Heb.recedite,recedite. Repetito eodẽ verbo : vt in eiuſmodi re facere ſolemus, vt Luſitanè *ta,ta,peraca,peraca, guarda, guarda, &c.* Præſertim cùm quis iam appropinquat ad locum lapſus,aut periculi. ¶ *Nolite tangere.*] Subaudi cruorẽ & Hebraicè eſt אל תגעו ne tangatis, id eſt,ne vos contaminetis contactu cruoris. ¶ *Iurgati quippe ſunt.*] Hebr.eſt כי נצו id eſt,quoniam contentioſi fuerunt,ſubaudi, contra Dominum, quaſi dicat,ideo talia ſcelera cõmiſerunt,& Hieruſalem cruore innocentũ repleuerunt,quoniam iurgati ſemper ſunt contra Dominum, & rebel-

xerunt inter gentes.] Hanc particulã cum ſequenti R.Selomo tranſiliuit. R.Don Ioſeph hoc modo exponit,cum cognouerunt gentes cauſam angoris Iudæorum,hoc eſt,magnitudinẽ peccati ipſorum, iudicauerunt, & ſibi perſuaſerunt, fore vt nunquam amplius reuertantur de exilio, vt habitent in terra ſua. Et id, Quoniam vultus,id eſt, ira Domini diuiſit eos &c. ¶ *Non addet vltra,vt habitet in eis.*] Dominus, quem tam grauiter offenderunt: Hebraicè eſt,non addent habitare,id eſt, non iam habitabunt in patria, ſed perpetuò exulabunt ab ea.

פ *Facies Domini diuiſit eos,non addet vt reſpiciat eos:facies ſacerdotũ non erubuerunt,neque ſenum miſerti ſunt.*

Etiam ſunt verba Gentium ſui iudicij rationem adferẽtium. Ideò iudicamus eos in patriam non redituros,quoniam facies, ſeu vultus, id eſt, furor,& indignatio,*a carrangua*,Luſitanè,vt *Vultus Domini ſuper facientes mala*. Pſal.33.& Pſal.20. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, &c.* Et Gen.16. *A facie Sarai Dominæ meæ fugio*,id eſt,ab ira. Et Leuit. 20. *Ponam faciem meam contra illum, ſuccidámque eum,&c.* ¶ *Domini.*] Quem ſe colere iactant. Hebr. eſt tetragrammaton: quod etiam Pharao vſurpauit, cum dixit, *neſcio Dominum.* ¶ *Diuiſit eos.*] Id eſt,ſeparauit à natali ſuo,& diſperſit inter gentes. Sic R.Selomo. Poteſt etiam intelligi,diuiſit eos,id eſt,fecit,vel permiſit vt inter ſe eſſent diuiſi, & ſeditioſi, ac diſcordes, vt ſic faciliùs ca-

Vultus ſeu facies pro ira.
Pſal.33.
Pſal.20.
Geneſ.16.
Leuit.20.

perentur, & destruerentur ipsi, & consilia ipsorum. Vnde narrat Iosephus Hierusalem in obsidione plenam fuisse seditionibus, & factionibus: sic Psal. 54. *Diuide linguas eorum*, id est, fac vt in nulla re inter se consentiant. ¶ *Facies sacerdotum non erubuerunt.*] Hoc vitium peculiare fuit Iudæis, vt Oseæ 4. *Non arguatur vir: populus enim tuus sicut ij, qui contradicunt sacerdoti,* id est, re vera contradicunt. Hæc autem Iudæorum peccata nota etiam gentibus erant: & quidem in priori excidio Hieremiam sacerdotem impudentissimè tractauerunt, etiam alapas in eius faciem impingēdo. In posteriori vero, ipsum sacerdotum Dominum etiam crucifixerunt. Est autem elegans homonomia, *facies Domini diuisit eos, quia facies sacerdotum non erubuerunt.* Nam in priori, facies iram significat: in posteriori, faciem, & vultum simpliciter, id est, præsentiam. Porro sacerdotes apud omnes gentes sunt in honore, & venerabiles, propter ministerium. ¶ *Neque senum miserti sunt.*] Senib. etiam debetur non solùm honor, sed etiam misericordia propter ætatis imbecillitatem, vt neque labore fatigentur, & in sua imbecillitate à iuuenibus adiuuētur: at Iudaica immanitas neutrum horū præstabat. Si quis autē hunc versum accipi velit ex Hieremiæ persona, tanquam ab eo dictum, non repugnandum. Si igitur volumus benignam, & placidam videre faciem Domini, eúmque erga nos misericordem experiri, facies sacerdotum eius erubescamus, & honoremus: senúmque & infirmorum misereamur, pro viribus vnumquemque infirmum adiuuantes. Alioqui

Psal. 54.

Osea 4.

Facies sacerdotū eru bescenda, vt placidā mereamur experiri faciē Domini.

facies

facies Domini diuidet nos, nec misericordiam apud ipsum inueniemus. Hoc etiam loco litera, Pe, quod nomẽ os significat, ab osse, ponitur ante Aiin, quod significat oculum, vt indicetur Iudæorum temeritas in loquendo contra Dominum, & sanctos eius.

ע *Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum: cum respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat.*

Verba sunt prophetæ commemorantis quasi ex persona populi confessionem alterius criminis, ob quod item à Domino relinqui meruerunt ¶[*Cum adhuc subsisteremus.*] Id est, cum nondum ciuitas esset capta, vel cum res nostræ adhuc integræ essent. Hebraicè non ponitur verbum, sed solùm עודינה id est, adhuc nos, subaudi subsistebamus, vel expectabamus. LXX. ἔτι ὄντων ἡμῶν. adhuc existentibus nobis, seu cum adhuc existeremus. Potest etiã nullo verbo subintellecto legi עודינה id est, adhuc deficiebant oculi nostri, &c. Quasi dicat, cum tales, & tã impij essemus, tamẽ etiamnum spem habebamus salutis, non in Domino, sed in hominibus: & sic intellexit Paraphrastes hoc modo vertens. Adhuc, seu etiamnum deficiebant oculi nostri spectando ad auxilium, quod expectabamus à Romanis, & conuersum est nobis in vanum, dum spectamus ad Romanos, qui

est populus qui non saluabit. Sic Paraphrastes. R.Selomo ad Ægyptios refert,hoc modo. Cùm venit super nos malum,id est, obsidio Chaldæorum,adhuc erant oculi nostris spectātes ad exer-
Isai.30. citum Pharaonis, de quo dicitur Isai. 30. *Ægyptus frustrà & vanè auxiliabitur, Qui nos spe auxilij iactabant, sed non præstiterunt.* Vnde de eis dicitur
Hier.37. Hier.37. *Ecce exercitus Pharaonis,qui egressus est nobis in auxilium,reuertetur in terram suam, in Ægyptum,& redient Chaldæi,&c.* Inuenimus autem in expositione lamentationum, quod cùm iam haberent classem in mari,nutu Dei apparuerunt super mare vtres inflati ad speciem viscerum humanorum,per mare agitati,dixerúntque inter se. Hi sunt maiores nostri Ægyptij,qui suffocati sunt in mari propter istos Iudæos, & nos nunc vadimus,vt auxiliemur eis? steterunt igitur & redierunt retro.Sic R.Selomo. ¶ *Defecerunt oculi nostri.*] Præ nimia spectatione,& expectatione. Solent enim,qui aliunde auxilium expectāt,eò frequenter spectare, & oculos intētos habere vsque ad lassitudinem ipsorum. ¶ *Ad auxilium nostrum vanum.*] Subaudi spectantes: vanum autem est omne auxilium deserente, aut etiam repugnante Deo, quare Dei fauor imprimis quærendus est. ¶ *Cum respiremus attenti.*] Hæc est causa defectionis oculorum: nimia,& longa intentio prospectandi. ¶ *Ad gentem quæ saluare nos non poterat.*] Id est, ad Ægyptios de quibus dicitur Ezechi.29. *Fuisti baculus arūdinæus domui Israel,quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum: & innitentibus eis super*

e, comminutus es, & dissoluisti omnes renes eorũ, &c.
n hebraico non est pronomẽ, nos, sed absolutè,
d gentem, quæ saluare non poterat, seu, quæ sal-
atura non erat.

צ *Lubricauerunt vestigia nostra in tinere platearum nostrarum: appropinuauit finis noster, completi sunt dies no stri: quia venit finis noster.*

¶ *Lubricauerunt vestigia nostra.*] Id est, præ lanore, & infirmitate vix poteramus pedes certos gere, sed collabebamur. R. Selomo legit. Insiati sunt gressibus nostris, ab ambulando, id est, e ambularemus, in plateis nostris. Paraphrasteque: Ipsi insidiantur viis nostris, ne securè ambumus in plateis nostris, quasi dicat, tantus erat etus machinamẽtorum hostilium, vt intra mus non possemus securè incedere per plateas, in etiam ibi feriremur à tormentis, vt in obsionibus fieri solet. R. Dauid legit, venati sunt essus nostros, deducens à צוד sed melius deicit à צדה quod est insidiari. LXX. habent veti sunt paruulos nostros. Legerũt צְעִירֵינוּ pars nostros pro צעדינו gressus nostros. ¶ *In itire platearum nostrarum.*] Id est, in itinere & pla-, & tutò. ¶ *Appropinquauit finis noster.*] Id est, his malis instantibus colligitur adesse finem strum, nec esse iam locum euasioni. ¶ *Comti sunt dies nostri.*] Epexegesis. ¶ *Quia venit finis ter.*] Repetitio est & Ætiologia. ¶ *Completi*

sunt

ſunt dies noſtri.] Id eſt,non licebit amplius viuere. ¶ *Quia venit finis noſter.*] Nos quoque inſidias caueamus ſpiritualium hoſtium noſtrorum:quia aduerſarius noſter diabolus circuit quærens quem deuoret,

—cui nomina mille,
Mille nocendi artes.

Finis etiã noſtri meminerimus,ne de nobis etiam illud ſynagogę dicatur,nec recordata eſt finis ſui, ſupra cap.1.in Teth.Nec tum demum finem noſtrum venturum credamus , quando iam proximum videbimus : quando iam nec ciuitare , nec euadere , nec pœnitentiam agere licebit : Iudæi finem hunc irridebant,dicentes, Hier. 17. *Vbi eſt verbum Domini?veniat,&c.*Et Ezech.12.*in longum different dies & peribit omnis viſio,& infra,in tempora longa iſte prophetat,&c.* Ecce nunc re præſente tandem inuiti cognoſcunt,& dicunt. Appropinquauit finis noſter &c.

Conſideratio finis noſtri, antequã veniat ad eua dĩda mala.

Ezech.12.

ק *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli : ſuper montes perſecuti ſunt nos,in deſerto inſidiati ſunt nobis.*

Per rapidum volatum aquilarum , validam & velorem ſignificant perſequutionem hoſtium: qui & intra patriam conſtitutos, & deſerta patria fugiẽtes nimia crudelitate inſequuti ſunt, vt nuſquam liceret effugere.

ר *Spiritus oris noſtri Chriſtus Do-*

minus

minus, captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus, in vmbra tua viuemus in Gentibus.

Iuxta D. Hieronymum, alij hunc verſiculum exponunt de regibus Iudæorum, præſertim de Ioſia, alij de Domino noſtro Ieſu Chriſto, & neutram expoſitionem damnat: tametſi poſteriorem amplius proſequitur D. Thomas & de Ioſia, exponit, & item Lyra. Quare malè Dyoniſius Iudaizantes appellat eos, qui eam expoſitionẽ ſequuntur. Imo verò iuxta conſequentiam lamentationis de Ioſia cõmodius intelligitur. Eſt enim ſenſus, ad hęc omnia mala, quibus premebamur, hoc vnum maximum acceſſit, quòd regem pium, atque amicũ Dei, ſubitò amiſimus: qui ſi vixiſſet, poterat nos cum Dei adiutorio ſaluare. Quod certè non poteſt Domino ſaluatori accomodari: non enim eum perdidimus, aut amiſimus, quando mortuus eſt, nec minus nos ſaluauit moriendo, quàm viuendo: imo verò moriendo maximè ac præcipuè nos redemit & ſaluauit. ¶ *Spiritus oris noſtri.*] Id eſt, anima noſtra: anima enim propriè dicitur aër, quẽ reſpiramus, & quo reſpirando & inſpirando viuimus. Qui tamen potius per nares attrahitur & refunditur, quàm per os. Vnde Hebræis eſt רוח אפינו ſpiritus narium noſtrarum, quaſi dicat, vita noſtra, & in quo erat ſpes ſalutis noſtræ. Ioſias enim rex pius fuit, cuius morte regnum Iudæorũ cœpit penitus interire. ¶ *Chriſtus Dominus.*] Domini legunt Hebræi, id

Anima noſtra aër.

Aer potius per nares attrahitur.

Morte Ioſiæ Regis pij regnũ Iudæorum interire cœpit.

eſt, משיח יהוה & Dominus, eſt nomen tetragrammaton, quod ſoli Deo conuenit. Quoniam vero D. Hieronymus videbat etiam ſic legi poſſe ex Hebraico, non damnauit eos qui de Ioſia interpretantur: vt etiam Saul ſępe appellatur Chriſtus Domini, id eſt, Rex à Deo vnctus: quinetiam ipſe Saluator dici poteſt, non ſolùm משיח יהוה Chriſtus Dominus, cum ſit verè Deus: ſed etiam משיח יהוה Chriſtus Domini, quia eſt à Deo patre vnctus & Rex omnium conſtitutus: vnde 1. Reg. 2. *Sublimabit cornu Christi ſui*: cuius ſui? Dei patris videlicet. Et Pſal. 2. *Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùm Christū eius* id eſt, *Chriſtum Domini.* Et Lucæ cap. 20. Vtrumque dicitur, *Natus eſt vobis ſaluator, qui eſt Christus Dominus.* Et infra, *reſponſum acceperat Simeon ab ſpiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini, &c.* Aliùs autem quicumque Rex dici poteſt quidem Chriſtus Domini, ſed Chriſtus Dominus משיח יהוה ſolus Saluator. Quomodo igitur Hieron. non reprehendit, vt blaſphemos, eos qui de Ioſia exponebant, cum legeret Chriſtus Dominus? Quoniam, vti diximus, videbat ex Hebraico legi etiam poſſe Chriſtus Domini, vt nunc legunt Hebræi, ſecundùm igitur noſtram lectionem, de ſolo Domino ſaluatore exponi poteſt, hoc modo. ¶ *Spiritus oris noſtri.*] Vita noſtra, & anima noſtra: quia ſicut animam, id eſt, aërem inſpirando & reſpirando viuimus corporaliter, ſic Chriſtum per fidem recipiendo, & ei gratias reddēdo, viuimus ſpiritualiter. ¶ *Christus Dominus.*] Id eſt, vnctus non ſo-

1. Reg. 2.
Pſal. 2.
Luc. 20.
Chriſtus Domini & Chriſtus Dominus: diſcrimen.
Chriſtus Dominus Spiritus quo viuimus.

lùm

lùm gratia creata, vt cæteri reges, ſed etiã increata deitate: quoniam eſt verus Deus. Iuxta illud Pſal.44. *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ participibus*, ſeu ſociis tuis, *excellẽtius quàm omnes alios reges: cui etiam ibi dicitur thronus tuus Deus, &c.* Pſal.44. ¶ *Captus eſt.*] A ſceleratis & interfectus. ¶ *In peccatis noſtris.*] Id eſt, ob peccata noſtra redimenda, & delenda: quia ſi nos peccata non commiſiſſemus non ille mortem paſſus fuiſſet. ¶ *Cui diximus.*] Oſtendentes quam in eo ſpem & fiduciam habeamus. ¶ *In vmbra tua.*] Id eſt, ſub protectione tua viuamus tuti ab omni nocumento. ¶ *In Gentibus.*] Etiam in medio hoſtium noſtrorum. Quoniam verò iuxta D. Hieronymum D. Thomam & Liram de Ioſia intelligi quoque poteſt, de eo etiam exponemus. ¶ *Spiritus oris noſtri.*] Hebraicè רוח אפינו ſpiritus narium noſtrarũ, quoniam per nares commodius reſpiramus, quàm per os, vt conſtat: Paraphraſtes habet Rex Ioſias, qui erat charus nobis, & reſpiratio ſpiritus noſtri, qui eſt in naribus noſtris, & erat ſublimatus vnctione celſitudinis, ſeu mageſtatis. ¶ *Chriſtus Domini.*] Vnctus à Domino משיח יהוה nam reges, olim præſertim Iuda vngebantur oleo ſacro. ¶ *Captus eſt in peccatis noſtris.*] Id eſt, ob peccata noſtra vinctus eſt & interfectus à Pharaone: quia non merebamur habere tam bonum regem, & per mortem eius regnũ Iuda cæpit in dies peius ire, quouſque tandem finitũ eſt. Hebræi legunt נלכד בשחיתותם captus eſt in foueis eorum, id eſt, Ægyptiorũ: cum enim Ioſias nollet iter concedere *Reges olim vngebãtur.*

Pharaoni per terram ſuam, ſed prælio & armis prohiberet: Ægyptij foueas occultas prope ſua caſtra fecerunt, in quas incidens Ioſias captus eſt, & occiſus: Alij legũt captus eſt in retibus eorum, id eſt, in inſidiis. Vnde Paraphraſtes: captus ſeu tentus eſt, in retibus exitialibus Ægyptiorum. LXX. captus eſt, *ἐν ταῖς διαφθοραῖς ἡμῶν*, id eſt, in-

Pſal.107. corruptionibus noſtris. Vt eſt Pſal. 107. ibi, *& eripuit eos de interioribus eorum, ἐν τῶν διαφθορῶν αὐτῶν*. Hebraicè משחיתותם ¶ *Cui diximus.*] Scilicet, de quo dicebamus & nobis perſuadebamus.

Geneſ.20. Sic Gen. cap. 20. אמרי לי *dic de me, quia pater tuus ſum*. Vbi Paraphraſtes אמרי עלי dic de me. vt etiam hoc loco דהזינא אמרין עלוהי id eſt, de quo dicebamus, &c. ¶ *In vmbra tua.*] Hebraicè בצלו vmbra eius, ſic & Paraphraſtes בטלל זכותיה id eſt, in vmbra innocentiæ eius, ſeu meritorũ eius:

Ioſias Rex pius. erat enim Ioſias rex iuſtus & pius, qui ſucceſſerat Manaſſæ, & filio eius Amoni, duobus regib. impiis, ſub quibus regnum fuerat valde afflictum. Itaque ſperabant ſub protectione Ioſiæ proſperè agere: ſimilis enim illi non fuit rex, ante eum, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua: neque poſt eum ſurrexit ſimi-

4.Reg.23. lis illi. 4. Reg. 23. ¶ *Viuemus in Gentibus.*] Id eſt, etiam in medio gentium, id eſt, hoſtium noſtrorum: quia ſpe fruſtrati ſunt per mortem eius propter maximam iram Domini, qui neque propter pietatem Ioſiæ voluit placari, quominus Hieruſalem deſtrueretur. Vnde in modò citato loco ſubiungit, Verumtamen non eſt auerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor

eius

eius contra Iudam, propter irritationes quibus prouocauerat eum Manaſſes: dixit itaque Dominus: etiam Iudam auferã à facie mea, ſicut abſtuli Iſraël, & proiiciam ciuitatem hanc, quam elegi. Hieruſalem, & domum de qua dixi, erit nomen meum ibi, &c. deinde ſtatim ſubiungitur occaſio occiſionis Ioſiæ, ex quali Domini diſpoſitione.

ש *Gaude & lætare filia Edom quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atque nudaberis.*

¶ *Gaude.*] Hoc per ironiam dicitur, & quandam amaram conceſſionem. Vt illud Eccleſiaſt. cap. 11. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, &c.* ¶ *Filia Edom.*] Id eſt, Idumea regnum Iudęorum, qui ortum habuerũt ex Edom, qui idem eſt Eſau frater Iacob. Vt autem Eſau fuit inimicus Iacob fratris ſui, ſic filij & poſteri Eſau, qui dicti ſunt Idumæi, ſemper hoſtes fuerunt Iſraelitarum: & cum Nabuchodonozor militauerunt in deſtructione Hieruſalem, & de excidio eius gauiſi, & lætati ſunt: vnde etiam Pſalmo 136. petitur: *Memorare, Domine filiorum Edom, in die Hieruſalem, qui dicunt exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Milites enim huiuſmodi hortabantur, vt penitus deſtruerent vſque ad ima fundamenta. Ideo autor horum fit ſpecialis mentio, quoniam ipſorũ intolerabilius fuit odium in Iudæos, cùm eſsẽt genere propinquiſſimi, vt pote ex duobus fratribus originem ducentes. Vnde dicitur

Amara cõceſſio, procedere ad libitum. Eccleſ. 11.

Idumæi ab Edom. Edõ idem qui Eſau. Idumæi inimici Iſraëlitarum. Pſal. 136.

Amos 1. Amos cap. 1. Supra tribus ſceleribus Edom, & ſupra quatuor non conuertam eum: eò quòd perſequutus ſit gladio fratrem ſuum, & violauerit miſericordiam eius, & tenuerit vltra furorem ſuum, & indignationẽ ſuã ſeruauerit vſque in finẽ, &c. ¶ *Quæ habitas in terra Hus.*] Terra Hus, id eſt, ארץ עוץ de qua etiam fuit beatus Iobus: & quæ alio nomine dicitur ארם id eſt, Syria, vt autor eſt. R. Selomo in Iobum. Quoniam autẽ regnum, & terra ſeu regio Edom. i. Eſau, ſeu Idumęorum, alio nomine dicta eſt Seir שעיר fortè ex eo Syria dicta eſt corrupto nomine, vt fere contingit in aliis. Porro Hus ex Sein deſcẽdit, cuius filius fuit Arã, & huius filius fuit Hus Gen. 10. & D. Hier. in præſenti ait, Edom idem fuit qui Eſau, frater Iacob, à quo Idumæi hoſtes Iſrael orti ſunt: huic fuit filius Chore, Iraconitidis & Damaſci conditor, inter Palæſtinã & Cæleſyriam tenens principatum, ſic Hieronymus. Conſtat ex hoc loco, terram Hus & Idumæam eandem eſſe. Paraphraſtes habet hoc modo. Gaude & lætare conſtantina ciuitas Idumææ impia, quæ ædificata es in terra Armeniæ, cũ multis turbis populi Idumæorum, etiam ſuper te ventura eſt vltio, & vaſtabunt te פרכואי Parcauenſes, & tranſibit ſuper te calix maledictionis ſatiaberis, & euomes. ¶ *Ad te quoque perueniet calix.*] Quæ nunc ad horam gaudes & lætaris de meo calice, id eſt, de meo interitu, idem calix ad te tranſibit & perueniet, quando Nabuchodonozor vaſtata Iudæa, cæteras gentes ſimili modo vaſtabit: voluit enim Dominus vt omnes gentes ſeruirent regi Babylonis, inci-

Syria dicta terra & Hus.

Hus & Idumæa eadẽ.

pien

piendo à populo ſuo Iuda.Hier.24. ¶ *Inebriaberis.*] Id eſt, abunde bibes,quaſi dicat, ſatis ſuperque flagellaberis, & Dei ſenties vltionem,Ita vt ignores quid agas more ebriorum. ¶ *Atque nudaberis.*] Vt faciunt ebrij æſtuantes, quaſi dicat,patebit ignominia & fœditas tua. Hebræi legunt ותתערי & nudabis te, ſeu diſcooperies te, vt legitur de Noë Gen. ca.9. aliqui interpretãtur & euacuabis te,ſeu effundes te,id eſt,euomes, vt & faciũt ebrij,vt Hierem.25. *Bibite & inebriamini,& vomite,& cadite neque ſurgatis,&c.* Prior interpretatio magis quadrat. Docemur autem non gaudere de caſu, & ruina atque interitu miſerorum,memores communis legis, atque conditionis omnium mortalium. Nemo enim eſt in hoc ſæculo qui certus ſit non euenturum ſibi id quod alteri eueniſſe videt. Hier.24. Geneſ.9. Hier.25.

ח *Cõpleta eſt iniquitas tua,filia Sion, non addet vltra vt tranſmigret,viſitauit iniquitatem tuam filia Edom,diſcooperuit peccata tua.*

¶ *Completa eſt iniquitas tua.*] Id eſt,ſatis ſuperque pœnas dediſti iniquitatis tuę.Sic Iſai.40.*Loquimini ad cor Hieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius,dimiſſa eſt iniquitas illius: ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis, &c.* Vbi Hieron. ait:notãdum quod non ſoluantur peccata noſtra, niſi de manu Domini receperimus ea; nec idem eſt ſolui peccata & dimitti: cui enim dimittuntur, ſolutione non Iſai.40.

eget: audiens confide, filia, dimittuntur tibi peccata tua. Cui autem ſoluũtur, propterea ſoluuntur, quia purgata ſunt & ſoluta per pœnas. Iuxta hiſtoriam recepit Hieruſalem de manu Domini duplicia peccata ſua: ſemel à Babyloniis, ſecundò à Romanis. Sic Hieronymus: atque notandum in ſuperiori loco non eſſe legendum complera eſt malitia eius: quoniam in Hebraico manifeſtè eſt צבאה id eſt, militia eius, ſeu militatio eius, hoc eſt, vita ærumnoſa & laborioſa, de qua dicitur Iob. 7. חלא צבא לאנוש עלי ארץ id eſt, *nonne militia eſt homini ſuper terram?* Vbi nos rectè ſenſum habemus: militia eſt vita hominis ſuper terram &c. Quamobrem præſens locus intelligitur de conſummatione ſæculi, quãdo Eccleſia, id eſt, cœtus, & ſocietas fidelium atque ſanctorum, ab omni militia, & ab omni rebellione liberabitur, & ab omnium hoſtium infeſtatione perfectiſſimam pacem adepta erit: quando iam nec diaboli timebimus inſidias, neque caro rebellabit aduerſus ſpiritum, nec mũdi pompæ nos ludificabunt: ſed hoc non erit niſi poſtquam completa fuerit iniquitas noſtra, id eſt, plenè purgata per pœnam, vel à nobis voluntariè & libenter aſſumptam, aut à Deo inflictam in hoc ſæculo & patienter toleratam, aut etiam in futuro per ignẽ purgatorium.

¶ *Filia Sion.*] Id eſt, Hieruſalem, hoc eſt Eccleſia fidelium: quæ in hoc ſæculo per varias tentationes & carnis fragilitatem multas contrahit maculas, quæ omnino abſtergendæ & delendę ſunt, ante quàm ad ſponſi ſui admittatur amplexum.

¶ *Non addet vltra vt tranſmigret te.*] Vbi enim

ſemel

ſemel fuerunt fideles recepti in patriam cæleſtem ad quam poſſidendam initio conditi ſunt, & in quam ex paradiſo terreſtri trásferendi erát, niſi Adam peccauiſſet, nõ amplius ab ea eiicientur, vt fuit eiectus Adam de paradiſo terreno, & Iudæi de terrena Hieruſalem & Iudæa: ſed ſemper ibi cum Domino erunt in ſæcula ſeculorum. ¶ *Viſitauit iniquitatem tuam, filia Edom.*] non ſimiliter dicit completa eſt iniquitas tua, filia Edom, id eſt, Idumæa per quam hoc loco intelligunt omnes hoſtes & perſequutores populi Dei, quoniam iſtorum iniquitas ſemper viſitatur, id eſt, punitur: ſed nunquam purgatur: quia ſinè pœnitentia obdurati permanent, ſemper ardentes, & ſemper blaſphemantes. ¶ *Diſcooperuit peccata tua.*] Quare in die vniuerſalis iudicij omnia omnium peccata nuda & aperta omnibus erunt, ſed peccata impœnitẽtium nudabuntur ad ipſorum confuſionem: quia adhuc & ſemper peccata permanebunt: pœnitẽtium non nudabuntur aliqua peccata, quæ etiamnum habeãt, ſed quæ olim in vita commiſerunt, & per pœnitentiam purgauerunt, & per confeſſionis verecundiam & confuſionem: Ex quo tunc non confuſionem vllam, ſed magis gloriam habebunt.

Peccata in die iudicij omniũ nudabuntur, impœnitẽtium ad cõfuſionẽ bonorũ ad gloriam.

Iudæi verò hanc ſibi fœlicitatem promittunt in terrena Hiruſalem, ad quam ſe reducendos per ſuum meſſiam expectant, vnde Paraphraſtes habet: etiã deinde implebit ſeu ſoluet iniquitatẽ tuam ſynagoga Sion, & redimeris, ſeu liberaberis per manus Chriſti, & Eliæ Sacerdotis magni: & non addet amplius Dominus tranſmigrare te,

&in illo tempore visitabo iniquitatem tuam, Roma impia, ædificata in Italia & plena turmis filiorum Edom, id est, Idumæorum: & venient Persæ & angustabunt, seu obsidebunt te & vastabunt te quoniam publicata sunt coram Domino peccata tua. Sic Paraphrastes. Et eadem est opinio omnium Rabbinorum. Credunt enim numquam se esse salutem aut libertatem illam quam expectant consequuturos, nisi cum Romę & Romanorum destructione. Quasi verò soli Romani Iudæos deuastauerint, ac non multo magis Assyrij, qui decem tribus perdiderunt, & in perpetuum exilium abduxerunt.

Iudæi & Rabbini impij salutē sibi ex euersione Romana promittunt.

CAPVT V.

ORATIO HIEREMIÆ.

Recordare, Domine, quid acciderit nobis, intuere & respice opprobrium nostrum.

Inscribitur Latinis oratio Hieremiæ, vt etiam habetur. LXX. & re vera oratio est, in qua propheta per ἀνακεφαλαίωσιν repetit omnia mala supra commemorata, & remedium petit à Domino. Non seruat autem in hac oratione seriem elementorum alphabeti. ¶ *Recordare Domine, quid acciderit nobis.*] id est, remedium adhibe casui nostro, vsum prophetarum & per humanas

consue

cõſuetudines Dominum orare,recordare, enim, vel memento,illi dicunt,qui nullius poteſt obliuiſci : non vt ad memoriam redeat diuinitas, coram qua omne præteritum & futurum ſemper præſens eſt : ſed ideo recordare, aut meminiſſe poſtulant, vt citò auxilium & remedium indigentibus conferat, & palam faciat quod antea fuit occultum. ¶ *Intuere & reſpice opprobrium noſtrum.*] Etiam hoc metaphoricè de Deo dicitur, qui omnia ſemper & aſſiduè reſpicit & intuetur. Sed ſenſus eſt, tolle opprobrium noſtrum : quoniam enim hominibus oſtendere ſolemus miſeriam noſtram, & operam dare vt eam videant & intelligant,quippe qui non omnia vident,neque ſemper, neque leuare miſeriam poſſunt niſi videant, ex ea conſuetudine, & Deo dicimus, intuere & reſpice opprobrium noſtrum,id eſt,mederere,tolle dum enim non tollis neque curas, ita te habes quaſi non videas. Inter miſerias verò ſpecialiter opprobrij mentionem faciunt, tum quia viris honeſtis ignominia maximus cruciatus eſt, tum quia opprobrium Iudæorum redundabat in opprobrium Domini:dicebãt enim ethnici, ô Iudæi ! vbi eſt Dominus veſter ? non potuit vos eripere de manu noſtra,&c.vnde Pſalmiſtes petit Pſalmo 78. *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui, Domine,libera nos & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum*, ne fortè dicant in gentibus, vbi eſt Deus eorum, &c. etiam ſimiliter Ioel 2. *Parce, Domine,parce populo tuo:& ne des hæreditatem tuam in opprobrium,vt dominentur eius nationes.Quare di-*

Opprobrium Iudæorũ redũdabat in opprobrium Dei, propter inſultationẽ inimicorũ. Pſal.78.

Ioel 2.

cunt,

Contemptus fideliũ cedit in ignominiam Dei.

cunt in populis vbi est Deus eorum? &c. Vnde fideles plurimùm cauere debent, & se abstinere ab omni fœditate, quoniam eorum contemptus & ignominia, quodammodo cedit in vituperium & ignominiam Domini sui.

Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos.

Isaiæ 1.
Gẽtes extranei & alieni vocabãturà Iudæis quare
Coloss. 1.
Ephes. 2.

Terra olim patribus nostris promissa, & nobis data, expulsis nobis data est, id est, versa est ad Ethnicos. Isa. 1. *Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, &c.* alienos & extraneos vocabant Gentes, quoniam alieni erant à lege Dei, & à Deo, vnde ad Coloss. 1. *Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc reconciliauit, &c.* Et ad Eph. 2. *Eratis sinè Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum promissionis,* id est, eratis peregrini & extranei à pactis & promissionibus in lege Dei expressis. Quos Hieremias vocat alienos & extraneos, Paulus dicit hospites, id est, non domesticos, non familiares: vt etiam paulò post infert, *ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, &c.* Vt enim olim Græci omnes alios vocabant barbaros. Sic Iudæi omnes alios appellabant זרים דנכרים alienos & extraneos.

Pupilli, facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.

Hoc est, deserti sumus, & miserabiles, nemine nos respiciente aut curante, quasi dicat, perinde

verati

vexati ſumus & oppreſſi, atq; ſolẽt vexari & opprimi pupilli, paterna cura deſtituti, & viduæ, virorum protectione carẽtes. Ergo pupilli.i.veluti pupilli: vnde Paraphraſtes habet: aſſimilati ſumus pupillis patre carentibus, matres noſtrę quaſi viduæ, quorũ viri ierunt ad ciuitates maritimas, & ignorant an ſint ſuperſtites. Porro Deus ſynagogæ erat vt pater. Deut. 32. *Hæccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens? numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te, &c.* & Iſa. 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, &c.* Erat etiam ei & vir, & ſynagoga vt uxor: quia dignitate, propter adulteria ſua, priuata eſt. Oſeæ. 2. *Iudicate matrem veſtram, iudicate: quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius, &c.* Sic etiam ad vnamquamque animam piam & fidelem, quæ cauere debet, ne tam benignum patrem & tam excellentem virum offendat, & à ſe alienet: alioqui relinquetur omnium ludibrio, & iniuriæ, vt pupillus ſinè patre, vt vidua ſinè viro. Porrò hæc deſertio ſynagogæ maximè conuenit, poſtquam virum non ſolùm per adulterium offendit, ſed & per homicidium ſuſtulit quantum in ipſa fuit. Chriſtum enim, Dei filium, non ſolùm occidit, ſed eius reſurrectionis fidem, empto mendacio, & falſo teſtimonio cuſtodum voluit penitus abolêre, in quo crimine plus iam mille & qùingentos annos pertinaciter perdurat: quare meritò derelicta eſt.

Deut. 32.
Iſa. 1.
Oſea 2.

Aquam noſtram pecunia bibimus, ligna noſtra pretio comparauimus.

Aquam

¶ *Aquam nostram pecunia bibimus.*] Timebant enim haurire ex fluuio, propter hostes: ideóque cogebātur ab eis emere pecunia. Sic R. Selomo. Hæc autem intelligunt passi in ipso exilio iam constituti: in quo adeò vexabantur, vt ex communibus fontibus priuarentur, nec liceret eis haurire gratis, sed dato pretio, aut tributo penso pro vnoquoque cantharo, &c. Ergo aquam nostram, id est, nostro vsui necessariam non licet gratis haurire de cōmunibus fontibus: sed pretio etiā ad bibendum emēda est: quid igitur de aliis rebus, de oleo, de vino, de aceto, &c. Ligna nostra, id est, nostris vsibus necessaria, ad cibum, coquendum, & alia paranda, sinè quibus viui non potest. ¶ *Pretio comparauimus.*] Id est, comparamus, quia non licet nobis ex communibus syluis cæduis ea scindere, & auferre, vt aliis ciuibus, sed pretio comparanda sunt: sed hic labor multò, leuior est, quàm æterno igne & inextinguibili ardere. Meritò autem hac pœna puniti sunt, propterea quod antea ex propriis lignis placen-
Hierem. 7. tas fecerant, & coxerant idolis. Hierem. 7. *Filij colligunt ligna, & patres succēdunt ignem, & mulieres conspergunt adipem vt faciant placentas reginæ cœli, & libent dijs alienis, &c.* Iustum est enim vt in eo quis puniatur, in quo deliquit, habebāt in patria sua syluas cæduas, ex quibus licebat abunde & gratis ligna auferre: sed his abusi sunt ad sacrificia idolorum: iustum est vt nunc in terra aliena, etiam ad necessarios vsus eis careant: nec nisi pretio obtineant.

Cerui

Ceruicibus noſtris minabamur, laſsis non dabatur requies.

Superior vexatio erat in rebus,id eſt,in pecunia, quam inhumaniter extorquebant inimici à Iudæis. Hæc autem in propriis perſonis & corporibus,quibus etiã ſeruire Babyloniis, aut Romanis cogebantur. ¶ *Ceruicibus noſtris minabamur.*] Id eſt, more iumentorum ceruicibus ligatis producebamur, agebamur, & ſeruire noſtris corporibus cogebamur: quia hoſtis nullum dominium nobis habere concedebat. Sic iuxta D. Hieronymũ Hebraicè eſt על צוארנו נרדפנו Supra ceruicem noſtram perſequutionem patimur: hoc eſt, iugo duriſſimo ſeruitutis laboramus ad congregandum cibum & diuitias,ſed nihil nobis in manu relinquitur de laboribus noſtris:omnia per exactiones, & varias tributorum penſionum & vectigaliũ adinuentiones rapiunt, & auferunt inimici. Sic R. Selomo & Don Ioſeph. Paraphraſtes habet,pro redemptiones ceruicis noſtræ onerati ſumus. Cum iremus in exilium vidit Nabuchodonoſor, impius ille,principes filiorum Iſrael euntes vacuos(id eſt,ſinè ſarcina) præcepit conſuere libros legis,& facere ex eis vtres,impleuerúntque lapillis qui erant ad ripam Euphratis,& impoſuerunt eos ſupra ceruices eorum. In illo tempore laborabamus, non erat requies nobis,&c.meritò certè id paſſi ſunt, vt membranas librorum legis in ſaccos conuerſas,arenæ plenas portarent,qui nullum obſeruationis legis fructum habebant: arena enim ſterilis

Mẽbranas legis in vtres plenos lapillis conuerſas quare.

eſt,

eſt, poteſt etiam intelligi ſupra ceruicẽ noſtram, perſecutionem patimur, id eſt, pluſquam vires ferrent laborare cogebámur: vnde expoſitoriè ſubiungit, laſſis non dabatur requies. Dicunt tamen ceruices, alludendo ad iugum ſeruitutis. Dionyſius imperitè exponit, vt pleraque Chaldęi, minabantur nobis, caput noſtrum amputare: Sed à Lira deceptus eſt, qui etiam non intellexit eſſe minabantur à mino as, quod eſt duco, quo modo agaſo dicitur minare equum aut mulum
Exod. 3. id eſt, agere, vt Exod. 3. *Cùm minaſſet gregem, &c.* vnde & malè corrigunt quidam, ceruicibus noſtris minabantur: cum D. Hierony. apertè exponat, de minatione qua iumenta minantur, id eſt, agũtur LXX. verò aliter deſtingunt, hoc modo: Ligna noſtra pretio veniunt, ſeu portantur ſupra ceruicem noſtram. Quoniam Hebraicè illud ligna noſtra pretio comparauimus, eſt, ligna noſtra pretio venerunt ſeu veniunt, id eſt, portantur, adferuntur. ¶ *Laſſis non dabatur requies.*] Sic & Paraphraſtes, vt citauimus. LXX. quoque habent, ἐκοπιάσαμεν, οὐκ ἀνεπαύθημεν, id eſt, laboramus, non quieſcimus Hebr. יגענו לא הנח לנו id eſt, labor non relinquitur nobis, hoc eſt, laboramus ad acquirendum aliquid, ſed nihil relinquitur nobis, ſed omnia auferunt ſibi inhumani Domini, quibus ſeruiuimus, ſic R. Selomo, & Don Ioſeph. Poteſt tamen etiam ex Hebraico intelligi, non datur requies nobis, vel nõ ceſſatur à nobis: quoniam ſæpe Daghes ponitur loco quieſcẽtis, vt ſit הנח pro הונח à נוח non à ינח id eſt, tum etiam quoniam, vt notat R. Dauid ינח

id eſt,

id est, reliquit, idem prope significat quòd נוח id est, quieuit quia res quæ relinquitur, quiescit: vnde etiã Lusitanè dicimus: *nam me deixa*, id est, non permittit me quiescere. Quoniam autem prorsus necessarium est homini vt alicui Domino seruiat, & eius optionis est cui malit, stultum est non optimum, atque benignissimum, atque humanissimum eligere, hoc est, ipsum Deum, atque mentem, non carnem, non mundum, non diabolum: qui semper Domini sunt inhumanissimi & inclementissimi: nec permittunt seruos suos vllo tempore requiem aliquam, aut boni aliquid possidere. Sed cur necesse est hominem semper alteri seruire? Quoniam si quod debet agit, Deo seruit libere, & ea seruitus vel optima libertas est: *Seruire enim Deo regnare est*. Siquidem Deus nihil boni adimit seruis suis, quinimo æternam eis largitur fœlicitatem: & si vult eos in hoc sæculo laborare, non sibi ipsi, id est, ad suam ipsius vtilitatem id postulat, sed ipsorum: non enim bonorum nostrorum eget, vt alij Domini, qui seruos suos consulunt: Si autem non quod debet agit, sed vero ac legitimo Domino & creatori seruitutem negat ac subtrahit, tum ad aliam multò deterrimam seruitutem damnatur, vt seruiat diabolo, mundo, & carni: ex qua seruitute nullum bonum, sed perpetuam miseriam & inquietudinem consequatur. Si igitur verè liber esse vis, Deo seruire contende.

Ægypto dedimus manum, & Assyrijs, vt saturaremur pane.

Hoc pertinet ad mala quæ passi sunt ante exilium. ¶ *Ægypto*, id est, Ægyptiis, seu regi Ægyptorum. ¶ *Dedimus manum.*] id est, porreximus modo hominis in terram lapsi, qui alteri manum porrigit, vt ipsum subleuet, hoc est, ab Ægypto opē & auxiliū petiuimus in indigētiis, & necessitatibus nostris, relinquētes Dominum, qui solus nos poterat iuuare. Nā vt ab idololatris facilius opem obtinerent, ipsorum idola recipiebant, & colebant. Oseæ cap. 2. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, &c.* ¶ *Et Assyrijs.*] Nam cum istis duobus populis præcipuè fœdus & amicitiam inierant, deserto fœdere Domini: Quare iusto Domini iudicio ab eis vexati & flagellati sunt. ¶ *Vt saturemur pane.*] Id est, Vt nobis frumentum præberent; quo carebamus propter sterilitatē in terram nostram à Domino immissam: vel, vt nos iuuarent & defenderent à Babyloniis, & liceret nobis terram nostram colere, ex qua pararemus panem. Nos discamus, cum à Domino flagellamur, ad ipsum recurrere: non ad inimicos eius.

Osea 2.

Patres nostri peccauerunt, & nō sunt, & nos iniquitates eorum portauimus.

Hieremias in hac lamentatione multa dicit ex persona populi: quale est hoc, in quo exponit populi illius atque gentis arrogantiam inolitam, semper se suis maioribus præsentis, & sanctiorem atque innocentiorem existimantis; ac prædicantis: cum tamen contra sit: semper enim in

peius procedunt,& maiorum ſuorum ſcelera ſuperare contēdunt. Ex ea arrogātia etiā dicebant. Matth.23. *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum,in ſanguine prophetarum.* Quaſi dicant : illi iniqui erant & ſcelerati , ideò prophetas Dei occiderunt : at nos iuſti ſumus & innocentes , ideò ſi illis temporibus eſſemus, haud talia committeremur. Sic hoc loco,non ſolùm ſe innocentes faciunt , ſed etiam Deo tacitè iniuriam irrogant:dum ſe queruntur pro alienis, id eſt, patrum ſuorum peccatis puniri. Id quod non fieret, niſi patrum ſuorum ſcelera imitati fuiſſent:tunc enim ſolùm Dominus viſitat & punit iniquitatem patrum in filiis in hoc mundo, quando diu parcens patribus , expectans eorum pœnitentiam,videt nec eos pœnitentiam agere, & eorum filios ac poſteros patrum, & maiorum ſuorum prauitatem imitari:tunc enim pœnam quam erat irrogaturus patribus, irrogat filiis : & ſic quodammodo punit ſemel patres & filios. Id quod intelligitur de punitione & pœna , quæ in hoc ſæculo exercetur : nam in futuro ſæculo , & patres , & filij , vnuſquiſque pro ſe peculiares & proprias pœnas dabunt , neque filius portabit iniquitatem patris, neque pater filij:vt etiam viceuerſa pater non coronabitur ex meritis filij, neque filius ex meritis patris. Nam in hoc ſæculo interdum fit,vt etiam iniqui aliqua bona percipiant à Deo , propter merita iuſtorum : veluti Dominus paratus erat parcere ciuitati Sodomorum,ſi inueniret in ea decem iuſtos:at in hoc ſęculo vnicuique reddetur pro ſua vel iuſtitia, vel

Matth. 23.

Ezech.18. 2. Cor.5. iniquitate, vt effusè docet Ezechiel 18. vt etiam D. Paulus ait. 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisque, propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum, &c.*

Galat.6. & ad Galat. 6. *Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantam gloriam habebit & non in altero: vnusquisque enim onus suum portabit, &c.* R. Dauid in Isa. cap. 25. ad illa verba, verè dolores nostros ipse tulit, citat præsentem locum lamentationum,

Exod.20. & ait diu iuxta illum sensum Exod. 20. visitans iniquitatem patrum in filiis: quando videlicet filij retinent exempla & mores patrum, vnde ait, iis qui oderunt me: quia tunc hoc ius est à Deo constitutum, vt ferat seu portet filius iniquitatem suam atque paternam, & quod ait Hieremias, ait ex persona lugentium, quorum verba propter angorem non solent esse rationabilia neque iusta. Sic R. Dauid. Sed potius dici videtur ex arrogãtia, quàm ex angore, vel certè ex

Hierem.31. vtroque. vnde etiam Hierem. 31. *In diebus illis non dicent vltra, patres comederant vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Sed vnusquisque in iniquitate sua morietur, &c.* nam erat hoc iam veluti prouerbium inter illos, vt dicerent, etiã pro patrum suorum iniquitate puniri: vt etiam constat

Ezech.18. Ezech. 18. Aiunt igitur, in tormento exilij & captiuitatis constituti, culpam in patres suos reiiciendam. ¶ *Patres nostri.*] maiores nostri: nam non solùm auos & proauos, sed omnes maiores vocant patres. ¶ *Peccauerunt.*] variis sceleribus Domini iram prouocantes, & vindictam. ¶ *Et non sunt.*] id est, mortui sunt: & ex hoc sæculo

abierunt

abierunt impuniti. ¶ *Et nos iniquitates eorum portauimus.*] Id eſt, nos autem pœnas damus iniquitatum eorum: & quæ non commiſimus, luimus, quæque non rapuimus, exoluimus. Nos autem hinc diſcamus, proprias culpas agnoſcere, & nos ipſos potius coram Domino damnare, alios autem excuſare, & aliorum afflictionem noſtris potius peccatis imputare, exemplo Dauidis dicentis. *Ego ſum reus omnium animarum domus patris tui.* 1. Reg. 22. vnuſquiſque enim poteſt exiſtimare, aut certè dubitare, ne propter ſuum aliquod peccatum Dominus in commune ſæuiat, vt in populum Iſrael propter peccatum Achan, Ioſue 7. & propter peccatum Ionathæ 1. Reg. 14. & propter peccatum Dauidis 2. Reg. 24. & propter peccatum Saulis Reg. 21.

1. Reg. 22.

Ioſue 7.

Serui dominati ſunt noſtri: non fuit qui redimeret de manu eorum.

¶ *Serui.*] id eſt, Ethnici & idololatræ. Sic enim vocabant eos qui idolis ſeruiebant, & D. Hieron. in præſenti ait ſeruos appellari gentiles (id eſt, Ethnicos) qui idolis ſeruiebant, &c. vnde etiam Ioel 2. dicitur. *Etiam ſuper ſeruos & ancillas effundam ſpiritum meum*, id eſt, ſuper Ethnicos, qui idola antea colebant: nam ſine pronomine, meo, ſcribitur ibi in Hebraico, vbi nos habemus, ſuper ſeruos meos, &c. R. D. Ioſeph ſeruos interpretatur filios Cham, qui ſeruitutem ex paterna maledictione incurrerunt. Sic & Paraphraſtes: habentur enim ſerui, id eſt, filij Cham, qui dati

Ioel 2.

ſunt in ſeruos filiis Sem. ¶ *Domini ſunt noſtri.*] Id eſt, facti ſumus ſerui ſeruorum, quæ eſt ſeruitus multo grauiſſima. ¶ *Non fuit qui redimeret de manu eorum.*] quaſi dicat, omnino ſumus deſerti, & meritò: qui enim Domino ſeruire contemnunt, iuſtum eſt vt viliſſimis ſeruiant Dominis, id eſt, carni, mundo, diabolo, & ipſis peccatis ſuis.

In animabus noſtris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deſerto.

Hoc eſt, cum animarum noſtrarum periculo, quæſiuimus nobis victum in deſerto gentium conſtituti. Sic D. Hieronymus. R. Don Ioſeph, refert ad tempus ante exilium, hoc modo. Modicum illud panis, quod nobis ab Aſſyriis comparabamus & afferebamus (qui nobis propinqui erant: ſiquidem Aſſur frater fuit Arphaxad, patris patrum Abrahæ: filij Cham, Chus, Phut, & Canaan, quos pater ipſorum addixit in ſeruitutem poſteris Sem) rapiebant in itinere, nec erat qui nos liberaret de violentia ipſorum. Itaque cum periculo animarum & vitæ noſtræ parabamus panem noſtrum, propter gladium deſerti: quoniã inſidiabantur nobis per deſertum venientibus, vt nos ſpoliarent: habitant enim in deſerto ſub tẽtoriis, vt hodiéque faciunt Æthiopes, ipſorum poſteri. Sic Don Ioſeph R. Selomo refert ad portationem frumenti ex agro eſt ergo ſenſus. ¶ *In animabus noſtris.*] id eſt, cum periculo animarum noſtrarum ſeu, vitæ noſtrę, ne occideremur à latronibus. ¶ *Afferebamus panem nobis.*]

ex Aſſyria, vel Ægypto, aut ex agris. ¶ *A facie gladij, in deſerto.*] id eſt, propter latrones, qui cum gladiis nos expectabant in deſerto ad ſpoliandum nos.

Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt, à facie tempeſtatum, famis.

In pelle exuſta deformitatem oſtendit, quam fame, & ſiti, & nuditate contraxerant inter hoſtes. Clibanus D. Hiero. ait eſſe coquendis panibus dominici vaſculi deductam rotunditatem, quæ ſub vrentibus flammis ardet intrinſecus. R. etiam Dauid diſtinguit à furno. ¶ *Exuſta eſt.*] R. Dauid denigrata eſt. Paraphr. אתקדר obſcurata eſt. R. Selomo, incaluit, excalfacta eſt, quia videlicet. Ex defectu frumenti febricitabant. ¶ *A facie tempeſtatum.*] id eſt, propter tẽpeſtates. Hebręi legunt מפני זלעפות propter exuſtiones ſeu ardores iuxta R. Selomo & R. Dauid; qui etiam exponit terrores, aut tremores. Paraphraſt. מפח anguſtiam & mœrorem, ſed magis quadrat, anguſtia, exuſtio, aut ardor, qui ſolet naſci ex nimia & diuturna fame. Sic etiam anima denigratur, & obſcuratur & nitorem, quem per gratiam habuerat perdit, ſi defectum ſui cibi patiatur: nutritur enim lectione ſancta, & precum aſsiduitate, & bonorum operum exercitatione continuata: quibus priuata marceſcit, & obfuſcatur, & febre corripitur cupiditatum fœdiſſimarum.

Tropologicè. Animæ cibus, lectio ſacrarum ſcripturarũ & bonorũ operum exercitatio.

Mulieres in Sion humiliauerunt,

& virgines in ciuitatibus Iuda.

Id est, Chaldæi, vel Romani victores, mulieres vxores, aut virgines Iudæorum constuprauerunt: vt fieri solet à barbaris & inhumanis inimicis. Hoc fuerat prædictum. Deut. 28. *Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea.* Paraphrastes habet. Mulieres quæ erant traditæ viro in Sion humiliatę sunt à Romanis, & virgines in ciuitatibus Iuda à Chaldæis, &c. Nam lamentationem hanc de vtroque excidio intelligunt, vt initio diximus: sic dæmones & alij spiritualium animarum hostes, vix dici potest, quàm turpiter animas humilient, & constuprent: quas semel ad captiuitatem adduxerunt.

Deut. 28.

Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt.

Principes manibus vincti sunt, iuxta D. Hier. vel per manus, seu, manibus suspensi sunt, tanquam in equuleo, ad manifestandum: seu, vt manifestare cogerentur thesauros suos. Sic D. Tho. vel patibulo affixi sunt, iuxta Liran. Hebraicè est. בידם נתלו manu sua suspensi sunt, id est, sponte sese suspenderunt, non ferentes ignominiam, & acerbitatem seruitutis: iuxta R. Don Ioseph, quam expositionem etiam ponit Dionysius. Potest etiam legi manu eorum, id est, Chaldæorum suspensi sunt: & congruit cum eo quod sequitur, facies senum non erubuerunt, nullam reuerentiam senibus captiuis exhibuerunt, sed tanquam

iuuenes,

iuuenes, etiã viliter eos seruire coegerunt: quam inhumanitatem eis Dominus obiicit & conqueritur Isa. 47. dicens, *Super senem aggrauasti iugum tuum valde, &c.* Quæ maledictio & in lege prædicta fuerat Deuter. 28. *Adducet Dominus super te Gentem, quæ non deferat senis, nec misereatur paruuli, &c.* Meritò manu suspenduntur, qui manu scelus patrauerunt, nec pœnitentiam egerunt: nec senes reuerentiam merentur, qui omnem ætatem pueriliter vixerunt. *Isai. 47.* *Deut. 28.*

Adolescentibus impudicè abusi sunt, & pueri in ligno corruerunt.

Laborauerũt etiam nefando vitio Iudæi, adeò vt etiam publicum haberent cinædorum lupanar, vt constat 4. Reg. 23. ex quo intelligi potest, quàm corrupta erat Hierusalem: quare meritò eadem ignominia ab hostibus affecti sunt. Hebraicè est בחורים טחון נשאו id est, Adolescentes ad molendum tulerunt, seu cœperunt. Sed verbo molendi vtuntur Hebræi, pro subagitandi: vnde Iob 31. pro eo quod nos habemus, *Scortum alterius sit vxor mea.* Hebraicè est molat alteri vxor mea, id est, subagitetur ab altero: & exponendo subdit, & super illam incuruentur alij: & sic exponunt veteres Rabbini, vt ibi autor est R. Selomo, quo modo etiã accipiunt illud Iudicum. 16. de Sãson: & clausum in carcere molere fecerunt: vt ibidem ait idem R. Selomo, id est, super eundem locum Iob Rab. Dauid ait quosdam exponere, & erat molens in domo carceris, *Sodomiæ dediti Iudæi.* *4. Reg. 23.* *Iob. 31.* *Iud. 16.*

id eſt, ſubagitans: quia Philiſthæi adfereban t ad eum ſuas vxores, vt ex eo conciperent. Porro Hebræi præſentem locum Hieremiæ ſimpliciter interpretabantur de mola truſatili: ſolebāt enim ſeruos huic numeri addicere vt hodiéque fit: vnde R. Selomo. Exponit, quando nos abducebant inimici per colla, imponebant ſuper humeros noſtros molas, & alia onera vt nos fatigarent, & Paraphraſtes, adoleſcentes molas portauerunt. R. D. Ioſeph, exponit, loco iumentorum abutebantur adoleſcētibus Iſraelitis ad verſandas molas. ¶ *Et pueri.*] id eſt, iuuenes. ¶ *In ligno corruerunt.*] id eſt, onere lignorum, quod portare cogebantur, grauati, ſub onere ceciderunt, vel fuſtibus cæſi ſunt, Hebraicè eſt, ונערים בעץ כשלו & pueri ligno corruerunt, vel debilitati ſunt, id eſt, debilitatum eſt & elanguit, rubor eorum. R. Don Ioſeph, exponit ex labore molæ verſandæ, adeo debilitabantur, vt & incumbentes ligno, id eſt, baculo more ſenum, corruerent præ debilitate. Sed magis videtur hoc loco lignum ſignificare onus aliquod & oppreſſionem, quàm bacculum, id eſt, ſuſtentationem. Paraphraſtes habet, etiam pueri in patibulo ligni corruerunt: neceſſe certè eſt, vt in ligno corruant, qui à Domino receſſerunt, verò firmamento & ſtabilimento animarum, cui qui firmiter adhæſerit corruere non poterit.

Sernos molæ truſatili addicebant Hebræi.

Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium.

¶ *Senes.*] Id eſt, ſenatores & iudices ordinarij, quos hebræi vocant, græco verbo סנהדרין id eſt, συνέδρους, quaſi conſeſſores: vnde Paraphraſtes habet ſenes de porta Sanedrin ceſſauerunt. ¶ *Defecerunt de portis.*] Id eſt, ceſſauerunt ius reddere, quod in portis ciuitatum exercere ſolebant, ne cogerentur ruſtici vagari per ciuitatem, vnde Deut. 16. *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, &c.* Et cap. 22. *Ferent ſecum ſigna virginitatis ad ſeniores vrbis, qui in porta ſunt, &c.* Vnde illud, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta, id eſt, cum ab aduerſariis vocatus fuerit in iudicium Pſal. 126. *Defecerunt autẽ ſenes de porta, quando in captiuitatem ducti, ipſi ſui iuris eſſe deſierunt, & alieno arbitrio ſubditi ſunt.* Nam ius reddere liberorũ eſt. ¶ *Iuuenes de choro pſallentium.*] Choros aliquãdo vocat muſicum inſtrumẽtum, ex ſimplicè pelle cum duabus cicutis æneis, quarum altera inflatur, altera ſonus emittitur, vt D. Hieronym. deſcribit. Vt Pſal. 150. *Laudate Dominum in tympano & choro:* & tunc Hebraicè dicitur מחול quaſi cauum, aut perforatum: interdum verò dicitur ipſa canentium aut pſaltãtium multitudo, vt in præſenti: & Hebræi intelligunt propriè de Leuitis laudes Dei canentibus: ſed poteſt etiam intelligi de aliis: ſolent enim iuuenes, dum res bene habent, choros agere inter ſe, atque ſaltare: ſic vbi fidelis quondam atque pia anima perpetuo exulat, & captiua efficitur, atque ſerua peſſimorum dominorum, non relinquitur in ea iudicium, nec reuerenda ſenſuum canicies, neque amplius Dei laudes reſonant in ea: ſed vel mœror

Iudices quaſi conſeſſores dicti.

In portis ciuitatũ ius reddebatur. quare.

Deut. 16.

Ibid c. 22.

Pſal. 126.

Choros etiã inſtrumentum muſicum & quomodo factũ

Pſal. 150.

Tropologicè.

Anima in peccato, exul gaudij, iudicij, & ſenſus efficitur.

& tristitia sæcularis, vel mundana lætitia, ipsa etiam tristitia peior.

De fecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.

Quemadmodum ignis non subsistit ablata materia sed extinguitur: sic etiam gaudium. Qui igitur gaudent de rebus corruptibilibus, vt de diuitiis, de corporis pulchritudine, aut bona valetudine, & huiusmodi: necessarium est, vt eorum gaudium deficiat, & extinguatur: quare Apostolus monet, dicens: *gaudete in Domino semper*, quasi dicat, hæc gaudij veluti materia numquam deficit: Idcirco gaudium de ea, & in ea perpetuum, ac sempiternũ esse potest. Et 1. ad Tim. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo & vero, &c.* Iudæi igitur quoniam non in Deo viuo sperabant, sed in hominibus, & iis idololatris, meritò dicunt, defecit gaudiũ cordis nostri. Qui autem Deum viuum possidet, eorum non potest gaudium deficere: quamuis omnia alia amittant. Vt enim nihil prodest homini si totum mundum lucretur, Deum autem mundi conditorem amittat: sic nihil nocet, si vel vniuersum mundum amittat, mundi autem creatorem possideat: in quo continetur omne bonũ. ¶ *Versus est in luctum chorus noster.*] Id est, instrumentum musicum, de quo modo diximus. Et nota, non dixisse cessauit chorus noster, id est, instrumentum lætitiæ nostræ: sed conuersus est in luctum: quia iusto Dei iudicio fit, vt qui in creatu-

Gaudiũ de bonis externis euanescit.

Philip. 4.

1. Tim. 6.

Ipsa causa lætitiæ deser... Deo solet ...fit causa mœroris.

ris deſerto , & contempto Creatore delectatur, non ſolùm ipſa creaturarum delectatione priuetur ſed & eaſdem ipſas habeat tortores,& inſtrumenta mœroris & ſupplicij.

Cecidit corona capitis noſtri , væ nobis,quia peccauimus.

¶ *Cecidit corona.*] Id eſt,cecidimus à dignitate & honore regni atque libertatis.Quoniam enim *ſeruire Deo regnare eſt*, neceſſe eſt vt qui Deo ſeruire contemnunt,pretioſiſſimam amittant coronam. ¶ *Væ nobis.*] Dolentis interiectio eſt : interpoſita ſententia. ¶ *Quia peccauimus.*] Ideo cecidit corona. Homo enim regnum habet non ex ſe,ſed ex Rege regum. Idcirco ſi in ſuum regem peccet, à regno deturbatur non ſolùm terreno,ſed etiam cœleſti.

Propterea mœſtam factum eſt cor noſtrum : ideo contenebrati ſunt oculi noſtri.

¶ *Propter ea.*] Propter id quod explicatur in ſequenti verſu,id eſt,propter mõtem Sion,quare diſperijt ,&c. ¶ *Contenebrati ſunt oculi noſtri.*] Id eſt,nihil vident niſi triſte. Quicquid vident materia eſt triſtitiæ. In oculis autem maximè apparent gaudium & triſtitia , & reliquæ animorum affectiones.Porro Hebræi per obſcurationem & tenebras mœrorem ſignificant,& triſtitiam.

In oculis maximè apparent gaudiũ & reliqua animorum affectiones. Per obſcurationẽ & tenebras Heb. ſignificant triſtitiam.

Propter

Propter montem Sion quia diſperijt: vulpes ambulauerunt in eo.

Id eſt, propter ciuitatem Hieruſalem, quæ magna ex parte ædificata erat in mõte Sion, & propter templum quod in eodem monte ſitum erat quæ in tantam vaſtitatem redacta ſunt, vt vulpes in ibi ambularent, creſcentibus ibi ſyluis & dumis: vnde etiam Michææ 3. *Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mõs templi in excelſa ſyluärum.* Sic in anima per gratiam quondam ſtantes, & per culpam lapſa, incipiunt habitare vulpes & omnia genera beſtiarum ſylueſtrium, id eſt, dæmonum atque vitiorum. Mich. 3.

Tu autem, Domine, in æternum permanebis, ſolùm tuum in generatione & generationem.

Poſt enumerationem miſeriarum, ad petitionem ſe conuertit, prædicans Dominum nũquam interire aut deficere, ſed poſſe ſemper quamcumque iacturã reſarcire, & omnia bona ſemel amiſſa reſtituere: ipſe enim humiliat & ſubleuat, deducit ad inferos & reducit & poſt tempeſtatem ſerenum, facit: vt in beato Iob, cui bona propria non ſolùm reddidit, ſed etiam duplicauit. ¶ *Solum tuum.*] Id eſt, ſedes tua, hoc eſt, cœlum, in quo peculiariter habitas: iuxta illud: *cœlum mihi ſedes eſt.* Iſai. 66. porro cœlum ſuápte natura eſt ab omni corruptione alienum. ¶ *In generatione & gene-* Iſai. 66.

nerationem.] Id eſt,in ſempiternum:multò tamen aliter Deus ſempiternus eſt,atque cœlum. Deus enim opt. Max.omnino immutabilis,& inuariabilis & ſempiternus eſt:vt per nullam potentiam poſſit corrumpi vel deleri: At cœlum, quamuis ſuapte natura corruptibile non ſit, quoniam in ſua conſtitutione nullam habet contrarietatem, tamen quoniam à nihilo eſt à Deo conditum, poteſt ab eodem in nihilum redigi, atque deleri.

Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri, derelinques nos in longitudinem dierum.

Obliuiſci Deum, eſt permittere vt peccator permaneat in ſupplicio,nec ipſum liberare à miſeria.Reſpondet autē Dominus Oſeæ 4. *Oblita es legis Dei tui,obliuiſcar filiorum tuorum & ego, &c.* Deus enim vt prior eſt in benefaciendo,& beneficio conferendo,ſic poſterior in afffligendo, & malis inferendis.¶ *Derelinques nos.*]Repetendum (quare) ſed reſpondet Dominus Hier.5.*Sicut dereliquiſtis me,& ſeruiſtis Deo alieno, in terra veſtra: ſeruietis alienis,in terra nō veſtra,&c.*Deus enim benigniſſimus neminem derelinquit, niſi prior ipſe derelinquatur:Imo vero derelinquentes ſe, ſe quęrit. ¶ *In longitudinē dierū.*]Id eſt tam multis diebus.Præuidit Ieremias hanc populi Iudaici derelictionē diutiſſimè duraturam,id eſt,vſque ad conſummationem ſæculi: ex quo intelligitur Iudæos obliuiſci Dei,& legis eius,& idcirco Do-

Oſeæ 4.

Hier.5.

minum

minum eorum obliuiſci : lex autem Dei eſt,lex euangelica ſcripta in cordibus fidelium.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur : innoua dies noſtros, ſicut à principio.

Satis pia & catholica oratio,docens, conuerſionem donum Dei eſſe : poteſt enim homo per ſe & ex ſe cadere:id eſt,ex infirmitate liberi arbitrij:ſed per ſe,& ex ſe reſurgere non poteſt:Deus tamen ita hominem conuertit, vt liberum non adimat arbitrium : neque voluntatem natura ſua liberam cogat. Vt igitur à Domino homo conuertatur ad Dominum, neceſſe eſt vt & homo ipſe conuerti velit,& peccatum dimittat.Si enim in peccato vult perſiſtere, fruſtrà & verbo tenus dicit,conuerte me Domine ad te,cum ipſe etiam Dominus dicat, conuertimini ad me in toto corde veſtro.Ioel.2. & Hier. 15. *Si conuerteris conuertam te,&c.*Et Ezech.18.*Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris:& non erit vobis in ruinam iniquitas.*Et apertè Zach.1.*Conuertimini ad me,ait Dominus, exercituum, & conuertar ad vos dicit Dominus exercituum,&c.*Ex quib.conſtat conuerſionem impij aut peccatoris, qua ex iniuſto fit iuſtus, ita opus eſſe Dei atque donum, vt etiam opus ſit ipſius hominis,qui conuertitur: voluntate enim ſua peccatum deteſtatur, & amplius id non committere proponit, atque Deum quem offenderat,diligere incipit:ſed hæc omnia facit concurrente & cooperāte Deo,qui eſt autor

Cadere eſt hominis, reſurgere potētia Dei,& liberi arbitrij.

Ioel.2. Hier.15.

Zach.1.

gratiæ,

gratiæ,& primũ mouens, ſeu primus motor peccatoris,vt ſe diſponat & Deũ diligat,culpamq́ue deteſtetur:& vt hoc ipſum verè & ex corde dicamus, cõuerte nos Domine,ad te:& cõuertemur, ipſo Domino prȩcurrentes primumq́ue mouente quod facimus. ¶ *Conuerte nos.*] Qui nos ipſos à te auerteramus per culpam,conuertendo nos ad creaturas,contra legẽ & voluntatem tuã vertentes faciem,id eſt, voluntatem & mentẽ,& ſtudia noſtra ad res corruptibiles,& in eis acquieſcẽtes, te autem contemnentes ; hoc eſt, tergum ad te vertentes. Conuerte nos,id eſt, fac vt viceuerſa faciem ad te conuertamus, & te ſuper omnia diligamus, vt non ſolùm omnia mundi bona, ſed etiam nos ipſos contemnamus, & exponamus pro amore & dilectione tua. Cõuerte nos,id eſt, aufer peruerſitatem noſtram, qua te dereliquimus, fontem aquæ viuæ, & fodimus nobis lacus & ciſternas,eáſque diſſipatas, quæ cõtinere non valent aquas : ſed tum maximè deficiunt, cùm maximè ſunt neceſſariæ, id eſt, in mortis articulo,quando nec guttam quidem præbere poſſunt ad refrigerandam linguam. Non autem ait conuerte nos ad Hieruſalem terrenam,de qua eiecisti nos : ſed ad te, in quo eſt verè & eminenter omne bonum,omnis pax,omnis fœlicitas.Quoniam apud te eſt fons vitȩ,& in lumine tuo videbimus lumen:id eſt,à te illuſtrati vt videamus te, ſicuti es, beati erimus, & beatitudinem obtinebimus. ¶ *Et conuertemur.*] id eſt, quaſi dicat, aliter fieri non poteſt, vt conuertamur, ſed ſi tu conuerteris,haud dubie conuertemur : *Conſidera*

Eccles. 7. *enim*, inquit Ecclesiastes cap. 7. *Opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem iste despexerit, &c.* Cum igitur quamplurimi non conuertantur, manifestum est, quòd quamplurimos Deus non conuertit: si enim omnes Deus conuerteret, omnes conuerterentur. Vt enim nemo conuertitur, nisi quem Deus conuertit, sic nemo conuertitur, quem Deus non conuertit. Quæ igitur culpa est, quòd non conuertantur, quos Deus non conuertit, cùm non nisi Deo conuertente conuerti possint? Ad hoc dicendum, eos nihil ominus in culpa esse, quoniam Deus omnes conuertit sufficienter, quamuis non efficaciter: omnibus enim præbet, & exhibet omnia ea quæ ad salutem sunt necessaria, sed peruersorum culpa fit, vt ea nolint recipere, nec eis vti. ¶ *Innoua dies nostros sicut à principio.*] id est, sicut à principio, cum primùm populum tuum elegisti in Abraham, ipsum, & alios patriarchas nostros, id est, Isaac, & Iacob: plena fide & dilectione fecisti tibi esse deuotos: sic & nos eodem munere tibi fideles ac deuotos facere digneris: Id quod in aduentu Eliæ per Malachiam cap. 4. ipsis promissum esse plerique arbitrãtur, vbi dicitur: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, ante quàm veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, &c.* Sic D. Hierony. vnde etiam Dominus ait, Matth. 17. *Elias quidem venturus est & restituet omnia, &c.* Quid est, restituet omnia? innouabit dies sinagogæ. Sicut à principio: hoc autem iam ex parte impletum est priori Saluatoris aduentu, quem spiritualis etiam Elias

Quomodo possint homines cõuerti, cum Dominus ipsos nõ conuertat.

Malach. 4

Matth. 17.

præuenit: id eſt, Ioannes Baptiſta in ſpiritu & virtute Eliæ: quando multi ex populo Iudaico ad veram pietatem, atque fidem patriarcharum conuerſi, & innouati ſunt: vt Apoſtoli, & alij multi diſcipuli Domini,& rurſus implebitur pleniſsimè ante poſtremum eiuſdem Domini aduentum, quem Elias propheta præueniet, vbi gentium plenitudo intrauerit, & tunc omnis Iſrael ſaluus erit. ¶ *Innoua dies noſtros.*] i. innouas nos, vt in diebus noſtris, & quamdiu viuimus in hoc ſæculo innouemur per gratiam tuam,& priſtinam patrum noſtrorum fidem, & pietatem ac deuotionem recuperemus,quam per noſtram infidelitatem,& impietatem perdidimus, vetuſtati literę inhærentes,& ſpiritus nouitatem abiicientes, id eſt, veterem, ac ſenio confectam legem mordicus tenentes, cuius iam ætas tranſacta eſt: nouam autem legem & euangelicam,in qua iam ſola vigor, & iuuentutis virtus eſt, dentibus dilacerantes, & linguis blaſphemantes. Hoc autem fit in iis, qui verã Chriſti ac Domini noſtri Ieſu fidem cum charitate operantem, amplectuntur ſynceriter & veraciter: & ante eius poſteriorem ac poſtremum aduentum pleniſſimè complebitur,quando Elias reſtituet omnia.

Aduentus Eliæ iam ex parte impletus in primo Chriſti Aduentu,& ex parte adimplẽdus in ſecundo.

Sed proijciens repuliſti nos, iratus es contra nos vehementer.

Non quaſi deſperando de ſalute populi ſui hoc dicit, ſed vt dolorem nimium de contritione,& abiectione diutina gentis ſuę manifeſtaret.

Vidit enim prophetico ſpiritu, quòd Iudæi in aduentu Chriſti non eſſent in eum credituri, ſed euangelio contradicturi. Cæterum de conuerſione eius vltima, nullo modo dubitauit, ſed pleniſſimè credidit, quòd in ſinu Abrahę benedicẽdæ eſſent oẽs cognationes terræ: in qua vniuerſitate nimirũ, & ipſi Iudæi comprehẽduntur. Sic D. Hierony. eſt ergo ſenſus. Clamo quidem ego atque oro vt miſerearis noſtri, ſed interim video te orationes noſtras, veluti ſurda aure, tranſmittere, & reiicere, nec innouare nos, nec ad te conuertere; propterea quòd nos ipſi conuerti nolumus, nec innouari: ſed mordicus noſtram vetuſtatem tenemus, & noſtris opinionibus atque voluptatibus adhæremus. ¶ *Sed proijciens repuliſti nos.*] Hebraicè idem verbum repetitur. כי אם מאוס מאסתנו ſed abiciẽdo abiiciſti nos, id eſt, valde, multúmque abieciſti nos, & abominaris, propter turpitudinem, & fœditatem infidelitatis noſtræ, & iniquitatum noſtrarum. ¶ *Iratus es contra nos vehementer.*] Quoniam magnis peccatis, & maximo ſceleri, magna debetur ira & maxima vltio. Scelus autem Iudaicum, quo proprium Dominum atque regem, & Dei filium negauerunt, negántque, ac morti tradiderũtur, & de eo non ſolùm pœnitentiam non agunt, ſed etiam ſeſe iactant & gloriantur, & obſequium ſe præſtare Deo exiſtimant, quod omniũ ſcelerũ vincit immanitatẽ, Quare nihil mirum, ſi deſeruntur, ſi non innouantur, ſi non conuertuntur: Atque notandum, quòd in codicibus Hebraicis non finitur hoc verſu lamentatio ſeu oratio, ſed repeti-

tur ſuperior verſus: conuerte nos Domine ad te, & cõuertemur: innoua dies noſtros ſicut à principio. Ne videlicet oratio terminaretur in ira, ſed in fauore, qui tandem rediturus eſt: atque vtinam citò veniat. Hæc mihi viſa ſunt ſcribenda ad expoſitionem huius lamentationis, in laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti: omnia autem committo cenſuræ & correctioni ſanctæ & Catholicæ Eccleſię Romanæ, matris meæ, quæ eſt ſtabilis columna, & immobile firmamentum veritatis.

IN MALACHIAM PROPHETAM COMMENTARII.

Autore Domino Petro presbytero canonico Monaſteriȷ ſanctæ Crucis Conimbricenſis.

PROEMIVM.

ABSOLVTO Zacharia, quantum vires meæ tulerunt, & Dominus dare dignatus eſt, ad Malachiam me accingo, prophetarum vltimum, & veluti ſigillum, poſt quem, vſque ad aduentum Domini, prophetia tacuit in Iſrael: propterea quòd ad plebem erudiendam de fide, & aduentu Chriſti, & vita benè ac ſanctè inſtituenda, ſufficiebant, quæ vſque ad Malachiam in veteri inſtrumento conſcripta erant: quouſque veniret Ioannes in ſpiritu & virtute Eliæ, qui quem prophetæ procul & veluti abſentem deſcripſerant, ipſe prope & præſente digito indicaret, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Illud eſt notandum Aggęum, Zachariam, & Malachiam, tempore ſecundi templi prophe-

Poſt Malachiã vſque ad aduentũ Chriſti prophetia tacuit in Iſrael & quare.

Aggæus, Zacharias & Malachias prophetarũt tempore ſecundi tẽpli.

tauiſſe,

tauiſſe, vel ædificãdo, vel poſt ædificatum ipſum templũ, ſub Eſdra, & aliis populi primatibus, & principibus, qui Cyri permiſſu relicta Babylone, in Iudęam, & patriã terram redierunt. Cæterũ in Aggæo, & Zacharia, tempus quo prophetauerunt, in titulo prænotatum eſt: in Malachia verò, non prænotatur: videtur enim poſt eos extitiſſe: vnde nulla eius fit mentio in Eſdra aut Neemia, in negotio de ædificatione templi, ſicut fit Zachariæ, & Aggæi, Eſdræ cap. 5. & 6. Quare videtur poſt eos & templi ædificationem completam, prophetauiſſe. Et autore R. Dauid, & R. Abraham, veteres Rabbini crediderunt, Malachiam eſſe ipſum Eſdram, quam opinionem & refert, & ſequi videtur Diuus Hieronymus, duplici argumento: altero, quia in Eſdra inuenitur, *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam: & legem requirent de ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quod idem in Malachia cap. 2. legitur. Sed hoc argumentum infirmum eſt: tum quia nihil tale inuenitur in Eſdra, id eſt, repetitur, tum quia licet reperiatur, etiam integrum caput Iſaiæ repetitur in Michæa. Alterum argumentum eſt, quòd tempus titulúſque conueniant, vt in pſalterio, inquit, qui pſalmi titulum non habent, eorum eſſe creduntur, quorum priores pſalmi nominibus prænotantur. Igitur & Malachias, inquit, id eſt, Eſdras poſt Aggæum & Zachariam, qui ſub Dario prophetauerunt, fuiſſe credendus eſt: & propterea titulum non habere, quia liber eius pro titulo ſit, ſic D. Hieronymus. Sed regula etiã illa, qua in Pſalmis vtitur, incerta eſt. Quare

Malachias videtur poſt tẽplum ædificatum prophetaſſe.

Malachias non idẽ cum Eſdra.

Regula pſalmorũ ſine titulo, quòd eorũ eſſe credãtur, quorũ ſunt præcedentes, incerta.

R. Abraham hanc opinionem reiicit, & R. Dauid rationem adiicit: quòd Esdras nunquam propheta appellatur, sed solum Sopher, id est, scriba. Quare alium ab Esdra fuisse probabilius videtur: cum etiam ratio non appareat, cur nomen suum mutaret, ac non potius diceret nominè suo noto, & celebrato: Onus verbi Domini ad Israël in manu Esdræ. Illud autem certum est, librum hunc propheticum & canonicum esse: ex quo etiam testimonia in nouo instrumento citantur. Illud adiungam, in quodam contextu Paraphraste, hoc modo legi: Onus verbi Domini in manu Malachiæ, qui vocatur Esdras scriba. Sed in alio codice eam additionem non inueni. Sed iam ad prophetę contextum accedamus, qui talem prophetiæ suæ titulum præponit.

Liber hic propheta huius propheticus & canonicus.

CAPVT I.

EDITIO VVLGATA.

Onus verbi Domini ad Israël, in manu Malachiæ prophetæ.

EDITIO CHALDAICA.

Onus verbi Domini super Israël: per manum Malachi.

¶ *Onus verbi Domini.*] Id est, Prophetia Domini, iniuncta, & imposita tamquam onus ipsi prophetæ. Quod quidem onus, si pro dignitate & cum veritate feratur & portetur, quàm sit graue,

Prophetia quare onus dicatur.

nosse

nosse non possunt, nisi experti: oportet enim arguere, obscurare, increpare, opportunè, importunè, non solum plebem & plebes, sed etiam reges & principes: idque non solùm pios & mansuetos, sed etiã impios & immanes: & audacter dicere Herodi audienti, & præsenti: *non licet tibi habere vxorem fratris tui*: Qui autem sola placentia loquuntur, & ea quæ pungere & sanare possunt reticent: de illis sunt quos damnat spiritus sanctus, dicens: Tren. 2. *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pœnitentiam prouocarent*. Ex quo intelligitur quodnam sit munus prophetæ, atque onus: nimirum iniquitates auditorum aperire, vt eos ad pœnitentiam prouocent: vnde D. Hieronymus Nepotianum hoc modo instruit, & instituit: Docente te in ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lachrymæ auditorum laudes tuæ sint, sermo præsbyteri scripturarum sale conditus sit. Nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulúmque sinè ratione, sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum: verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Attrita frons interpretatur sæpe quod nescit: & cum aliis persuaserit, sibi quoque vsurpat scientiam. Nihil tam facile, quàm vilem plebeculã & indoctã, concione, linguæq; volubilitate dicipere: quia quidquid non intelligit, plus miratur. Hæc Hieronymus. Qui si nostris temporibus vixisset multo plura arbitror addere potuisset. Videtur enim inuidissimus dia-

Libertas & audacia in propheta ad reges quinetiam tyrannos increpandos.

Iere. Tren. 2.

Munus & onus prophetæ quale.

bolus in concionatores & prædicatores verbi Domini, tanquam in fontes & puteos doctrinæ Christianæ, varia venenorum genera immisisse: vt conciones vel nihil prosint, vel etiam obsint: Ego autem eos in Domino moneo, vt sincerè, & piè onus portent: alioqui postea onus aliud longè grauius portaturi: dicente Apostolo *væ mihi, nisi euangelizauero.* Quam enim rationem Christo, cuius membra sunt ministri, reddent eorum, qui ipsorum culpa perierunt: vel quia tacēda dixerunt, vel quia dicenda tacuerunt. Tacenda autem dicunt, non solùm hæretici & pseudoprophetæ, sed etiam qui risus & ludicra in prædicando sectantur & capant, & non pœnitentiam audientium, pro scopo habent, sed suam ipsorum gloriam, & humanas laudes atque lucra. Dicenda verò tacent, qui vel metu, vel spe, non arguūt ea, quę arguenda & reprehendenda vident. Onus verbi Domini, sub audi perferendi, atque predicandi verbum Domini, per prophetas perducitur, & perfertur ad eos, ad quos Deus perferri vult: vt si ipsum quidem receperint & fecerint, salui fiant, & beatitudinem ac vitam æternam consequantur: sin autē abiecerint, vel audire nolendo, vel non faciendo quæ audierūt, in sua iniquitate pereant, & non solum pręteritorum peccatorū, sed ipsius etiā contēptus verbi Dei pœnas luāt, iuxta illud 2.Pe.2. *Melius est nō cognôscere viā iustitiæ, quam post agnitionē retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Ad quē autem perferendum sit verbum Domini, subiungit, dicens: ¶[*Ad Israël.*] Heb. אל ישראל scien-

2.Petr.2.

dumque

dúmque quòd abducto in captiuitatem Iſraël, id eſt,decem tribubus:indifferenter priſtino nomine,& ducæ trib. Iudas, & Beniamin,appellantur Iſraël. Sic D. Hieronymus. Quo enim tempore Malachias prophetauit,iam decem tribus in captiuitatem erant, abierant, relictis in natali ſolo,id eſt,in Iudęa,ſolis duabus.Gratias autē Deo, quod verbum ad Iſraël perlatum, & ab eo reiectum,ad gentes tranſlatum eſt,& ab eis receptū, iuxta illud Pauli Act.13.*Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei:ſed quoniā repellitis illud,& indignos vos iudicatis æternæ vitæ ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus poſui te in lucem gentium,&c.*Et Act.28.*Notum ſit vobis,quod gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei,& ipſi audient,&c.*In manu Malachię prophetę:nomē prophetæ non eſt in Hebraico, nec in Chaldaico, nec in LXX. nec in contextu Hieronymi:ſed ſolùm in manu Malachi,id eſt,per Malachi tanquam nuntium & præconem,ac perlatorem verbi Domini:Dicitur tamen *in manu*, id eſt, per manū:non autē in lingua ſeu per linguam : vt intelligant prophetæ & nuntij verbi Dei, non ſolùm lingua ſed manu etiā,id eſt,opere prophetandū & concionādum: ne ſint de numero illorum in quos dicitur:*Dicūt & non faciunt:alligant autem onera grauia & importabilia,& imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.*Matth.23.& ad Ro.2.*Qui prædicas non furandum,furaris.* Quare Dominus facere cœpit & docere. Vita enim concionatoris ſal eſt,& condimentum concionis,& ſermonis. Quicunque enim munus habet & onus

Iſraël etiam duæ tribus appellantur. decem in captiuitatē abductu.

Act.13.

Act.28.

Opere,nō ſolum lingua concionādū.

verbi

verbi Domini prædicandi, meminerit, non solùm lingua sibi prædicandum esse, sed etiam manu: vt enim extinctus & frigidus carbo alterum extinctum ac frigidum accendere non potest, sic vix fit, vt cuius vita & mores praui sunt, & in quo charitas extincta est, in aliis eam possit excitare: neque qui deliciis & voluptatibus seruit pœnitentiæ prædicandæ idoneus præco est. Nec tamen talium doctrina, si catholica & sincera sit, aspernanda est: cum Dominus dicat: *Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum verò opera eorum, nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* Quamuis igitur peccet concionator indignè prædicans, iuxta illud: *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iniustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* non tamen excusantur auditores, si ea quæ dicunt non faciãt. Quamuis enim concionator fur sit, si prædicet tamen non furandum, idque doctè & peritè ostẽdat, ex scripturis, aut etiam naturali ratione, audiendus est. Et nota phrasim esse scripturæ, cùm aliquid fieri dicitur, in manu alicuius, hoc est, per manus alicuius, & significare idem, atque per aliquem, seu opera alicuius. Malachi autem interpretatur angelus meus, vel etiam angelicus. Nam litera Iod in fine, valet pronomẽ meus mea meum: vt cùm Dominus dixit, *Eli Eli*, hoc est, Deus meus. Format etiam nomina adiectiua, vt Nochri, alienus, seu, alienigena. יִשְׁפַּר id est, liber, & rectè conuenit prophetæ, qui debet esse vita & conuersatione Angelicus.

Matth. 23.

Psal. 49.

Auditores nõ excusantur per peccatum concionatoris.

Iod in fine dictionis etiam format nomẽ adiectiuum.

VVLG. *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis, in quo dilexisti nos? nonne frater erat Esau, Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob? Esau autem odio habui: & posui mõtes eius in solitudinem & hæreditatem eius in drachones deserti.*

CHALD. *Dilexi vos, dicit Dominus, Quòd si dixeritis in quo dilexisti nos? nonne frater erat Esau, Iacobi, dicit Dominus, & dilexi Iacobum? Esau autem odio habui, & posui montes eius in vastitatem, & possessionem eius in deuastationem deserti.*

Hoc est initiũ verbi Domini perlati ad Israël per Malachiã. Dicit Dominus, nomen est tetragrammaton, quasi dicat, audite & attendite quid Dominus vobis per me dicat, & dici iubeat. vnde LXX. explicandi gratia addiderunt. Ponite super corda vestra. ¶ *Dilexi vos, &c.*] hoc est, animaduertite & considerate quid Dominus vobis, & aduersum vos dicat; neque tam me, nuntiũ eius, quàm eum ipsum, qui me misit, spectate. Quid igitur dicit Dominus? dilexi vos. Hoc primum ac potissimũ donum Dei est, vel potius omnium donorum & gratiarum principium, & fons & origo. vnde Apostolus ait, *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret.* Ioan. 3. Quod beneficium, tanquam singulare atque maximum, Paulus in memoria habens, atque tanquã mun- *Fons & origo bonorum & gratiarũ dilectio Dei. Ioan. 3.*

dum

dum animal ruminans,ait:*In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit se metipsum pro me.* Gal.2. & Rom.8. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Rectè igitur tãquam maximum donum, imo donorum fontem proponit,dilexi vos,sponte mea,voluntate mea,gratis, non propter vlla merita vestra: dilexi vos in patre vestro Iacob,ex quo vos nasci volui,quem etiam non propter vlla ipsius merita dilexi, sed mea mera gratia & voluntate. *Non enim quasi nos dilexerimus Deum,sed quoniam ipse prior dilexit nos.* 1.Ioan.4.vnde & Apostolus ait Rom.9.*Cum nondum nati essent, aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneat: non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori,sicut scriptum est,Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et subest obiurgatio: quasi dicat: cur non recordamini quo semper vos amore complexus & prosequutus sum? cur vos aduersùm me ita geritis, non tanquam aduersùs amantem, sed tanquam aduersùs odientem? consimiliter ait per Hieremiã cap. 2. *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, qui se elongauerunt à me,& non dixerunt vbi est Dominus,qui ascendere nos fecit de terra Ægypti?* Quasi dicat,si dilexi vos,cur non itidem diligor à vobis? dilectio enim & amor, non nisi dilectione & amore recompensatur. Non placet autẽ quod D.Hier. ait etiã dicẽdo,dilexi,præsens negat,dum præteritum confitetur. Quasi interpretetur, dilexi olim,sed nunc iam non diligo.Si enim & nũc eos arguit,& castigat, & prophetam

Galat.2. *Rom.8.* *1.Ioann. 4.* *Rom. 9.* *Hier.2.*

ad eos

ad eos mittit, certè etiam nunc diligit. Et hebraica præterita pro præsentibus accipiuntur, vt ibi, *Ego credidi quia tu es Christus:* non enim sentit olim quidem credidisse, nunc autem iam non credere. Sic cum dicitur: *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt,* hoc est, *ambulant.* Et sæpè aliàs. Sed quæri potest, an Deus diligat peccatores? & videtur non diligere: si enim eos dilexisset, à peccati seruitute & miseria eos eripuisset & sic iam non essent peccatores. Ad quæstionem tamen D. Paulus affirmatiuè respondet, dicens: Rom. 5. *Commẽdat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Item ipse iubet vt peccatores diligamus, dicẽs: *Diligite inimicos vestros vt filij sitis patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos,* Matth. cap. 5. diligit ergo Deus peccatores non in quantùm peccatores, sed in quantùm homines: quia in quãtùm sunt peccatores, non sunt capaces dilectionis: sed in quantùm homines: sed vtrum eos diligit eo solo momento, quo ipsos à peccato liberat, & ex peccatoribus & inimicis iustos & amicos facit: an etiam ante? dicendum, quod etiam ante: iuxta illud Pauli Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Sed in quo eos ante diligit.* Primùm quidem, in eo quod eos predestinat ad vitam æternam: Deinde, in eo quòd eos cum peccato originali non occidit, cũ quo si morerentur, vitam æternam non consequerentur. Tertio, quòd post peccata etiam actualia eos in vita conseruat, & ad pœnitentiam

Ioann. 11.

Psal. 118.

An Dominus peccatores diligat? & quomodo.

Rom. 5.

Matth. 5.

Ephes. 1.

In quib. apparcat amor Dei erga peccatores.

adducit. Cur igitur quos diligit permittit vel peccare, vel in peccato aliquādiu morari? Quia vult vt ſuam ipſorum infirmitatem agnoſcant, qua nec ne cadant poſſunt efficere, nec vt reſurgant, vt per omnia, & in omnibus laudent ipſum, & eius miſericordiam agnoſcant & inuocent. Illud autem hoc loco notandum, quod non dicitur quis aliqnem diligere ſolùm tunc, cum ei benefacit, ſed etiam cùm ei benefacere decernit & proponit. Hoc etiam iam dilectionis eſt opus. Sed vtrum ſit maius bonum nobis, quod Deus nos diligit, an quòd nos dìligimus Deum? Aperta eſt & clara reſponſio: Ex eo enim quod nos diligit Deus, fit vt nos diligamus Deum. Sed vtrum Deus diligit ſolùm eos, quos ad cœlum & vitā æternā prædeſtinauit, an etiā eos quos non prædeſtinauit? Dico, quod Deus ſimpliciter & abſolutè diligit eos quos prædeſtinauit: quia eis donare vult maximū bonum. Alios autē diligit, ſecundū aliquid, hoc eſt, quantùm ad bona naturæ ſolùm quæ eis cōceſſit. Vnde Dominus ait: *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, Non ait, bonum erat ſi natus non fuiſſet homo ille: id enim diuinæ prouidentiæ aduerſaretur: ſed ait, bonum erat ei, quoniam ipſis quidem damnatis bonū erat potius non eſſe, quàm tam malè eſſe. Ex eo enim quod ſunt, nihil boni ſibi conſequuntur, ſed miſeriam, quæ eſſe non poteſt niſi in iis, qui aliquo modo ſunt. Damnatos ergo non ſimpliciter & abſolute Deus diligere videtur: quippe quibus non vult id quod abſolutè & ſimpliciter bonum eſt. Hoc eſt beatitudi-

Maius bonum quod nos diligat Dominus quàm quod nos eum diligamus.

Dilectio Dei præcipuè erga prædeſtinatos.

Dilectio Dei erga nō prædeſtinatos ſolùm ad bona naturæ.

Matth. 26.

Damnatos non ſimpliciter Dominus diligit.

nem,

nem:sed solùm vult vt sint id quod ipsis bonum non est:imo melius erat eis non esse quã sic esse. ¶ *Et dixistis, in quo dilexisti nos?* interrogatio hæc cũ temeritate & ingratitudine cõiuncta est. Vnde Hierony. ait, respõdent temeritate qua peccant, obliti beneficiorum eius. Et certè nullo modo licuit Iudæis, Deo dicere, in quo dilexisti nos?cum Dei erga ipsos tanta fuerint & tam clarissima beneficia. Sed immundum pecus,& nec vngulam findens, neque ruminans sic interrogat,neque mirum : cum ipsum etiam Dei filium crucifixerint. Dominus tamen mansuetissimus & clementissimus nihil temeritate illorum indignatus,sua in eos beneficia commemorat,& ex illis suam in eos dilectionem ostendit. Probatio enim dilectionis exhibitio est operis. Ait igitur: ¶ *Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus:& dilexi Iacob : Esau autem odio habui?* hoc est,etiam antequam nasceremini, imo priusquam Rebecca Esau & Iacob vtero suo funderet,in Iacob vos dilexi, in Esau Idumæos odio habui ; nec solùm dilexi Iacob antequam nasceretur : & odio habui Esau priusquam ex matris vtero funderetur, sed in posteros eorum amorem meum & odium conseruaui:odium in Esau & Idumæos,amorem in Iacob & eius posteros Israelitas.Esau non solũ frater fuit Iacob, sed vterinus frater:nec solùm vterinus frater, sed gemellus : Et tamen Dominus Iacob peculiariter elegit,cum filiis & posteris eius, vt essent populus Dei peculiariter, ex quo Christus nasceretur. Quia solus ex Iudæis est, Esau verò, & eius posteros Idumæos abiecit,

Beneficia collata signum amoris sunt.

& in Ethnicorum erroribus & idololatria manere permisit. Et notandum, quod non ait dilexi Iacob, Esau autem non dilexi: sed Esau autem odio habui: Quod grauius est. Deus autem quamuis omnia amet, in quantùm sunt, tamen peccatores odit, in quantùm peccatores sunt: quia in quantùm peccatores sunt, non sunt, sed ab eo quod est esse, deficiunt. Id quod in eis à Deo non est: neque solùm non diliguntur, quia Deus, ipsis bonũ non vult: sed etiã odio habentur, quia Deus ipsis æternam mortem vult: Quæ pœna quamuis sit ex iustitia, est tamen coniuncta cum odio ipsorum damnatorum, ratione peccati adiuncti, quod Deus simpliciter, & absolutè & per se odit: at damnatos ipsos, non per se, sed propter peccatum auersatur, & odio habet. Ex quo intelligitur, quantum sit fugiendum peccatum, propter quod Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam conditum, abominatur, & odio habet. ¶ *Et posui montes eius in solitudinem & hereditatem eius in dracones deserti.*] Per hoc ostendit, quòd Esau odio habuerit, & habeat: quia videlicet eius possessionem, hoc est, montem Seir deuastauerit & in desertum redegerit: ita vt non habitent in eo iam homines, sed serpentes, & dracones. Quę deuastatio, Domino disponente, facta est per Nabuchodonosor, quo rege Deus pro flagello vsus est: & notandum, quòd odium suum in Esau & Idumæos eius posteros, per hæc malo & damna sensibilia, & corporalia, quæ ipsis inflixit, ostendit: propterea quòd Iudæi rudes, & crassi atque carnales erant,

Quomodo Dominus peccatores odit in quãtum tales sunt.

Dominus simpliciter peccatũ odit.

vt hodiéque ſunt: & ſola bona aut mala ſenſibilia percipiebant,& percipiunt. ¶ [*Et poſui.*] id eſt, redegi per Nabuchodonoſor montes eius : quia regio Idumęorum montoſa erat. Et hæreditatem eius: eoſdem montes intelligit quos Deus Idumæis dedit in poſſeſſionem,& hęreditatem:iuxta illud Ioſue 24. *Eſau dedi montem Seir, ad poſſidendum* : & Deuter.2. *Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau,qui habitant in Seir,& timebunt vos. Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos: nec enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium:quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir, &c.* Et nota quòd Eſau vocatus eſt etiam Edom:ex quo poſteri eius vocati ſunt Idumæi, & ipſorum regio Idumæa. Sed quoniam Deo ingrati fuerunt, eos tandem de illa terra expulit per Nabuchodonoſor, & ipſam terram in ſolitudinem per aliquot annos redegit Vnde ait: ¶ [*Et hæreditatem eius.*] id eſt,à me ipſi. ¶ [*Datam ſubaudi,poſui in dracones deſerti.*] id eſt, in habitaculum draconum & ſerpentum, aliarúmque ſylueſtrium beſtiarum:propter malitiam habitantiũ in ea. Tropologicè verò montes in homine,ſunt intellectus & voluntas, quæ ſunt ſupræmæ animæ potentiæ. Qui quidem montes in peccatoribus rediguntur in ſolitudinem & deſertum,ablatis ex eis omnibus virtutibus & donis ſpiritus ſancti:& fiunt habitaculum draconum, id eſt, dæmonum & omnium vitiorum: & maximè in damnatis, quorũ intellectus prorſus & ex toto,diuino lumine priuantur;affectus autem obſtinatiſſimè à Dei bonitate auerti-

Idumæorũ regio montoſa.

Ioſue.24.

Deut.2.

Eſau Edom vnde Idumæi & regio Idumæa.

Tropologicè. Intellectus & voluntas quæ sũt mõtes rediguntur in ſolitudinem quomodo.

tur: & sic fiunt horrendissimum desertum, & desertissima solitudo.

VVLG. *Quod si dixerit Idumæa, destructi sumus: sed reuertentes ædificabimus, quæ destructa sunt: hæc dicit Dominus exercituum, isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus in æternum.*

CHALD. *Quod si dixerint Idumæi depauperati sumus, reuertamur & ædificemus quæ desolata sunt: sic ait Dominus exercituum: ipsi ædificabunt, & ego destruam: & appellabunt eos terminum, cuius populus impius est, & populum, super quem adduxit Dominus maledictionem in æternum.*

¶ *Quod si dixerit.*] Explicat amplius odium suum Dominus aduersùs Esau, & Idumæos eius posteros: declarans odij perseuerantiam. Perseuerantibus enim peccatis, perseuerat etiã odium Dei in peccatores. Ait igitur. ¶ *Si autem dixerit Idumæa.*] id est, Idumæi, incolę Idumęæ, & montis Seir. ¶ *Destructi sumus.*] Hebr. רששנו hoc est, depauperati sumus; quasi dicant, accisæ & attenuatæ sunt res nostræ ex eò quòd vrbes, & oppida nostra destructa sunt. ¶ *Sed reuertentes ædifi-*

cabimus.

cabimus.] id est, sed iterum ædificabimus, &c. ea quæ destructa sunt per Nabuchodonosor. Sicut etiam Israel nunc ab exilio reuersus reædificat Hierusalem, & alias vrbes ab eodem Nabuchodonosor destructas. ¶ *Hæc dicit Dominus exercituum.*] cuius odium in eos non transiit, sed perdurat. ¶ *Isti ædificabunt, & ego destruam.*] non ait, non permittam eos ædificare; sed postquam iterum in ædificando laborauerint, & opes, si quas habuerint, consumpserint, ego quoque iterum diruam, quæ ædificauerint, vt duplici labore afficiantur. Ex quo apparet, Idumæos iterum fuisse deuastatos, sic tandem nomen eorum periisse, sicut & aliarum vicinarum gentium. ¶ *Et vocabuntur termini impietatis.*] id est, vocabitur eorum regio, seu prouincia, quæ certi terminis terminatur, prouincia, seu regio impia: propter impietatem habitantium in ea. Ipsi autem Idumæi, vocabuntur. ¶ *Populus cui iratus est Dominus in æternum.*] id est, in quem Dominus perpetuam, & incessabilem iram, id est, vindictam & vltionem exercet, non sinendo eos caput erigere, & quæcumque ædificauerint destruendo, vt nullum laborum suorum fructum capiat, nisi tristitiam & mœrorem. Id quod in damnatis maximè, comprobatur, quibus ipsum etiam esse, quod omnia appetunt, molestum, & acerbum est: neque quicquam habent, vnde gaudium aliquod, aut consolationem vllam capere possint. Quod si Dominus ex eo odium suum in Idumæos ostendit, quòd eos deuastauit, & eorum terram draconibus habitan-

Idumæos iterũ deuastatos.

Ira & odiũ Dei in Iudæos.

dam dedit, ipsisque ædificantibus, ipse rursus ædificata, destruit: eodẽ argumento licet colligere etiã einsdem Domini irã, & odium in Iudęos, quamuis eos tunc ad tẽpus dilexerit, & Hierusalem cũ templo reędificatã stare aliquãdiu permiserit, sed postquã Dei filiũ ad se missum occiderũt, & lõgè grauius, quàm vnquã Idumęi in Deo peccauerunt, & Hierusalem, & alia Iudeę oppida subuersa sunt, & eorum terra draconibus & serpẽtibus, hoc est, impiissimis & spurcissimis Turcis tradita: & peruenit in eos ira Dei vsque in finem. 1. Thessal. 2. Notandum autem, quòd hoc loco scriptura non commemorat aliquod peccatum Idumæorũ propter quod tam graue odium mereantur, aut meriti sunt: sed alibi commemorantur. Cũ enim Dominus Israelitis præcepisset, dicens: Deut. 23. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* Ipsi Idumæi, contra Israëlitas odio persequebantur, & quoad poterant vexabant: déque ipsorum desolatione, & captiuitate & desolatione lætati sunt: vt constat ex Abdia. Nunc videamus quemadmodum Dominus ostendit suam ergà Iacob & Israëlitas dilectionem.

1. Thess. 2.

Deut 23. Peccatũ Idumæorũ odiũ in fratres suos fuit.

VVLG. *Et oculi vestri videbunt: & vos dicetis, magnificetur Dominus super terminum Israel.*

CHALD. *Et oculi vestri videbunt & vos dicetis, multiplicetur gloria Domini, qui ampliauit terminos Israel.*

Et

¶ *Et oculi vestri.*] Hoc est, Idumæis destructis & in solitudinem redactis, videbunt oculi vestri; subaudi vestrorum inimicorum vindictam, & vltionem: videbitis id quod optabatis, & cosolabimini iuxta illud, *lætabitur iustus cum viderit vindictam*. Eadem phrasis est Psalm. 34. *Dilatauerunt super me os suum. Dixerunt, euge euge viderunt oculi nostri.* Est autem iusta consolatio, & iustum gaudium, videre inimicorum, & eorum qui nos inique vexant, vindictam: præsertim à Deo factam. Vnde Dauid gratias egit, vbi Nadal, à quo iniuria fuerat affectus, à Domino percussum & mortuum esse cognouit, &c. 1. Reg. 25. *Sed cõtrarium vt illud* Eccles. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere, *Sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium volumus venire.* Et idem Dauid mortem luxit Saulis inimici sui, & tristitiã super eam ostendit. Dicendum videtur, quòd gaudere de morte inimici, simpliciter, & absolutè malum est: quia est gaudere de malo, cui nos quoque obnoxij sumus. Vnde addit, sciens quòd omnes morimur. Sed gaudere de morte inimici, in quãtùm est diuina iustitia & vindicta, & per eam cessat iniqua innocentum oppresio, & persequutio, nõ videtur affectus à virtute & recta ratione alienus.

Psal. 57.
Psal. 34.

Cõsolat o iusta, videre inimicorum vindictã à Deo præsertim factam.

Eccles. 8.

In quãtum gaudendum de morte inimici.

¶ *Et vos dicetis, magnificetur Dominus super termino Israel.*] id est, & vos tunc dicetis, vbi videritis hostium terminos, & hæreditatem desolatam: vos autem in terminum & hereditatem vestram restitutos, dicetis, inquam, Dominum laudando, & gratias agendo, ¶ *Magnificetur Dominus.*] id est, ab omnibus agnoscatur, & laudetur Do-

mini magnificentia & maiestas, qui tam potenter destruit quos odit, & protegit quos diligit, super terminũ Israel. Hebraicè est, desuper terminum seu termino Israel. Et R. Abraham construit hoc modo. Et vos desuper termino Israel, id est, vos habitantes & manentes super terminis Israel, dicetis, magnificetur Dominus, quasi dicat, laudabitis & magnificabitis Dominum, quòd sitis in terminis vestris: eorum autem termini destructi & desolati sunt, vestérque terminus dicatur terminus Israel, illorum verò, terminus impietatis. Ac per hoc ostendit suam erga Israëlitas dilectionem. Qua ostensa, & tanquam proposita, aggreditur ad conquerẽdum & obiurgandum, dicens.

V V L G. *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum: Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum: ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum: & dixistis, in quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in eo quòd dicitis, mensa Domini despecta est, si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & lan-*

guidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam: dicit Dominus exercituum.

CHALD. *Ecce, de filio dicitur, vt patrem honoret, & de seruo, vt reuereatur Dominum suum: si vt pater ego sum, vbi nam vos honoratis me? & si vt Dominus ego sum, vbi nam vos reueremini conspectum meum? dicit Dominus exercituum: vobis sacerdotibus qui contemnitis nomen meum? quòd si dixeritis, in quo contemnimus nomen tuum? vos offertis super altare meum sacrificium abominabile. Quòd si dixeritis, in quo abominabile? in eo quod dicitis, mensa Domini contemptibilis est: & cum vos offertis id, quod cæcum est, ad immolandum: nonne malum est? & cum offertis id, quod claudum & infirmum est: nonne malum est? offer nunc principi tuo, ac præsidi, nunquid acceptus ei eris? aut, numquid honorabit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.*

¶ *Filius honorat patrem.*] Hinc incipit obiurgatio: loquitur autem ad eos, qui sub Zorobabel & Iesu filio Iosedec, sacerdote maximo, & Esdra scriba, atque Neemia, de Babylonica captiuitate fuerant reuersi, extructóque altari: nec dum templum ædificauerant, nec muros ciuitatis: & nihilominus in pristinis vitiis permanebant, & con-

tra legem Dei vxores alienigenas ducebant, & retinebant: qua de re Esdras eos increpauit & noster quoque Malach.cap. 2. Ait ergo Deus. *Filius honorat patrem*, iure naturali, quod etiam in decalogi præcepti exprimitur, Exo. 20. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Vnde Apostolus ait, hoc esse primum præceptum cum promissione: quia huic soli adiicitur prima promissio diuina, quòd parentes honorantibus, vita longa conceditur: vnde & philosophus Aristoteles ait, quòd Deo, & parentibus nihil possumus reddere æquale: quoniam, videlicet, tã à Deo, quàm à parentibus esse ipsum accepimus, quod fundamentum est omnium donorum. Honorare autem debemus eos à quibus beneficia accepimus, & eos magis à quibus maiora. Honorat Hebr. futuri temporis est, כבד sed hebraica futura, vt aliàs sæpe monui, pro presentibus accipiuntur, vbi significatur quædam actionis cõtinuatio, aut consuetudo; vt hoc loco, filius honorabit patrem, hoc est, honorat quasi dicat, in more positum est, & hominum consuetudine comprobatum, vt filius patrem suum colat, honoret & reuereatur: nec est vlla gens tam barbara, quæ honorem hunc & reuerentiã non agnoscat. ¶ *Et seruus Dominum suum.*] subauditur ἀπὸ κοινοῦ, verbum honorat, vt etiam notat D. Hieronymus: Seruus etiam honorat Dominum suum, non tamen eadem charitate qua filius: quia nec paria beneficia seruus à Domino accipit, atque à patre, filius. Potest etiã subdiri verbum, timet, vt sit zeugma non integrũ

Exod. 20.

Ephes. 6.

Parẽtes honorandi.

vt in illo Virgilij.12.Æneidos.

Disce puer virtutem ex me, verúmque laborem:
Fortunam ex aliis.

vbi Seruius ſubaudit verbum, opta. vnde ſubiungitur. ¶ *Si pater ego ſum vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum vbi eſt timor meus?* quaſi honor propriè ſeruis in dominos non conueniat, ſed timor: ſic etiam intellexit Paraphraſtes, & R.Dauid, & R.Abraham, & Lira: ſed poteſt etiam ſubaudiri verbum honorat, per integrum Zeugma: quia re vera ſeruus etiam honorare debet dominum ſuum, iuxta illud. 1. Timo.6. *Quicumque ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur:* & ſi ſubaudiatur verbum timet, tamen timor, & timere, in ſcripturis ſignificat colere, & reuereri: cultúmque & reuerentiam. Vnde etiam D. Petrus ait 1.cap.2. *Serui ſubdit eſtote in omni timore Dominis: non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis:* hoc eſt, cum omni reuerentia. Et ibidem ait: *omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.* Si enim in ſcripturis minus, aut deterius eſſet timere, quàm honorare, aut honorificare, non dixiſſet Petrus, omnes honorate. Regem honorificate, Deum timete: ſed ita locutus eſt, quia iuxta ſcripturarum idioma, nouerat timere idem eſſe atque honorare, honorificare, colere, reuereri, obſeruare. Sciendum tamen, quòd Deus vtroque timore timendus eſt, hoc eſt, non ſolùm timore reuerentiæ, quo timemus, & cauemus ipſum offendere, eíve diſplicere: ſed etiam timore ſeruili, quo pœnam timemus, ſi ipſum offenderimus: iuxta illud Domini *illu-*

Honor propriè ſeruis in dominos non cõuenit.

1.Tim.6.

Timor in ſacra ſcriptura pro reuerentia & cu'tu.
1.Petr.2.

Timẽdus eſt Dominus & timore reuerentiæ & ſeruili.

timete, qui poteſt animã ſimul & corpus perdere in gehẽnam. Quanquam is timor magis ſeruorum eſt, quàm filiorum: à quo tamẽ, ad filiorum amorem facilis eſt tranſitio: quare ab incipientibus amplectendus eſt. ¶ *Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus?*] Duo ſumpſit tanquam manifeſta: primùm, quòd omnis filius honorat, id eſt, iure naturali honorare debet, & iuxta morem omnium gentium: honorat patrem ſuum. Cui ſubiungit ego autem pater ſum, vos autem filij. Hoc Iudæi fatebantur, imo de eo etiam ſeſe iactabant. Ex quibus infertur: vos etiam honorare me debetis. Quare cum me nõ honoratis, naturæ, atque omnium gentium ius violatis, & peruertitis. Hanc tamen concluſionem acriorem per interrogationem fecit: vt etiam vbi dixit: nonne decem curati ſunt, & nouem vbi ſunt? Notandum autem quòd quamuis Deus olim pater dicebatur Iudæorum, iuxta illud. *Nonne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te & fecit, & creauit te?* Deut. 32. Multò tamen nunc familiarius, & frequentius pater vocatur Chriſtianorum, quippe quos peculiariter per ſe ipſe orare docuit, & iuſſit, vt diceremus. *Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum.* Quibus etiã multò præſtantiora præſtitit beneficia, ipſum ſuum filium vnigenitum nobis dando, & non à temporali, ſed à ſpirituali ſeruitute, & captiuitate nos redimendo. Cum autem dicit, vbi eſt honor meus? apertè ſignificat, ſe ab eis non honorari. Quod mox oſtendet. Colligimus etiam hinc Deum honorari velle, & honorem ſibi debitum exigere. Ille autem Deum honorat, qui diligit: il-

Deut. 32.

Deus peculiariter pater Chriſtianorum.

le autem diligit, qui pręcepta eius seruat: iuxta illud, *si diligitis me pracepta mea seruate.* ¶ *Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus?*] Hoc loco Domin⁹ nō est nomē tetragrāmatō, sed אדונים quod propriè dominum significat: estque hoc loco numeri pluralis, sed hoc nomen hebraico more sæpe pluraliter dictum, pro singulari accipitur: nisi dicas innui mysterium sanctæ Trinitatis, in qua tametsi non sunt tres Domini substantiuè, sunt tamen tres dominantes, quorum vnusquisque est Dominus, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: significat autem Iudæos sinè vllo fræno viuere, in quibus, nec amor Dei sit, neque timor. Hæc enim duo homines à peccando retinent: iuxta illud triuiale, & tamen verum:

Adonim pluraliter pro singulari accipi, nisi mysterium Trinitatis innuatur.

Tres dominantes in Trinitate nō tamē tres Domini.

Amor Dei & timor homines in officio cōtinet.

Oderunt peccare boni, virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Vbi autem nec amor, nec timor est, omnibus vitiis & sceleribus aditus patet. Quamobrem etiam regna, & respublicæ præmiis & pœnis, minis & promissionibus continentur, & conseruantur, quamdiu durat hoc sæculum. Nam in Ecclesia triumphante beatorum, omnia amore geruntur: in damnatis verò, omnia timore agitabūtur. ¶ *Dicit Dominus exercituum. Ad vos, ò sacerdotes, qui despicitis nomen meum.*] Sic coniungitur in Hebraico. Et potest clarius fortasse reddi: vobis sacerdotibus contemptoribus nominis mei: superior itáque obiurgatio, si pater ego sum, &c. Ad sacerdotes priuatim pertinet: hos autem priuātim increpat, atque priori loco: quoniam sacerdotum munus est populum corripere, & admo-

nere

Deut.17. & Ibid. caput 24. Leuit.10.

nere de iis quæ ad Dei cultum, & honorem spectãt,iuxta illud Deut.17. *Venies ad sacerdotes Leuitici generis,&c.*& cap. 24. *Facies quæcumque docuerint te sacerdotes Leuitici generis* & Leuit.10.sacerdotibus præcipitur: *Vinum & omne quod inebriare potest non bibetis, quando intrabitis in tabernaculum testimonij:vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum,inter pollutum & immundum:doceatisque filios Israël omnia, &c.* Illi autem tantùm abest vt id facerent,vt etiam iniquorum socij essent,& eorum qui Dei honorem contemnebant, ait: qui despicitis nomen meum, id est, me,honorem meum,gloriam meam:contra ambo illa, si ego Pater,vbi honor?si Dominus, vbi timor. Nam & amor, & timor contemptum, & despectum expellunt. Nemo enim contemnit quem vel amat, vel metuit. Isti autem nec amabant,nec timebant; idcirco despiciebant, & negligebant. ❡ *Et dixistis, in quo despeximus nomne tuum?*] eadem impudentia,qua iam dixerãt: In quo dilexisti nos?sed eos Dominus aperto argumento coarguit dicens: ❡ *Offertis super altare meum panem pollutum,& dicitis in quo polluimus te.*] Panem pollutum, panes videlicet propositionis quos iuxta traditiones hebraicas ipsimet sacerdotes serere,ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis: & nunc sumitis quoscumque de medio:& voce temeraria respondetis, in quo polluimus te?Dum enim Sacramenta violantur, ipse cuius sunt sacramenta violatur. Sic D. Hieronimus,qui panem pollutum interpretatur panem de medio sumptum, nec sacerdotum mani-

Et Amor & timor despectũ expellunt.

Panũ propositionis religio.

bus

bus concinnatum. Poteſt etiam dici, panem mucidum eſt ſitu plenum: Lira quoque ait: Panes propoſitionis debebant per ſacerdotes pinſi, formari, & decoqui: ipſi vero laborem fugientes, eã curam aliis demandabant. Alij verò, inquit, aiunt panem pollutum dici de rapina comparatum: ſed ea expoſitio aliena ab hoc loco videtur. Eſt enim metaphorica, ad quam veniendum non eſt, niſi vbi propria ſignificatio locum non habet. Poteſt enim panis, quamuis de rapina, tamen mundus propriè eſſe, & non pollutus: & rurſum panis alioqui iuſtè acquiſitus, immundus & pollutus, & ad offerendum ineptus. Hebræi non de panibus propoſitionis interpretãtur, ſed de oſtiis, & victimis, vnde R. Dauid hoc mòdo ſcribit: panem pollutum, id eſt, victimam ſeu ſacrificium, quod Hebræis dicitur (Corban) ab mouendo: admouetur enim hoſtia altari, panis enim nomẽ: ſacrificiũ ſignificat, vt Leui. 21. *Incẽſum Domini, & panes*, Heb. ſingulariter, & pane Dei ſui offerunt. Heb. aduerbũ eſt, quia incẽſa, ſeu ignita Domini panem Dei ſui offerũt, ſeu admouent. Et mox. Et panes propoſitionis offert, Heb. Et panẽ Dei ſui offert. Et Leuit. 3. *Adolebit ea ſacerdos ſuper altare, &c.* Hebraicè, adolebit ea ſacerdos in altare: panem, &c. panem incenſi Domino, id eſt, לחם אשה ליהוה, lechẽ iſſe ladonai. Et mox ſimiliter iuxta hebraicum: & adolebit ea ſacerdos in altare panem incenſi, in odorem, ſuauem omnem adipem Domino. Et Nu. 28. iuxta hebraicũ, oblationem meam, panem meum ad incenſa mea: odorem ſuauem meum, obſeruabitis vt offeratis

Panis nomẽ ſacrificium ſignificat.
Leuit. 21.
Leuit. 3.
Num. 28.

mihi

mihi in tempore ſuo : Panem itaque pollutum, inquinatū, & abominabilem dicit victimā claudam, cæcam, & ægrotam. Hæc eſt ſententia R. Dauid: Paraphraſtes etiam habet: offertis ſuper altare meum ſacrificium auerſandum, ſeu abominandum. Nomen לחם quod fere interpretatur, panis, iuxta hebræos, interdum ſolam carnem ſignificat: vt Iob. 6. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc pro anguſtia cibi mei ſunt.* Heb. המה כדוי לחמי id eſt, ea, veluti ægritudines panis mei, id eſt, carnis meæ, iuxta R. Dauid. quamquam R. Selomo panem, ſeu cibum ſimpliciter interpretatur. Mihi certè non probatur, vt nomen panis alicubi ſcripturarum pro ſola carne capiatur: nec loca à R. Dauid & Pagnino citata id oſtendunt: ſed ſumitur interdum pro pane propriè, interdum pro cibo quocumque vt in locis citatis, in quibus Deus ſua ſacrificia appellat panem ſuum, id eſt, cibum ſuum: quia ſacrificiis, & cultu religioſo ſuſtētatur, & nutritur, non in ſe, ſed in nobis. Quomodo etiam eadem appellat odorem ſibi ſuauem: non quòd ipſe in ſe eo odore recreetur, reficiatur, aut delectetur: ſed quia eius fideles ſacrificiis delectantur, reficiuntur, & animum recipiunt. Hoc etiam modo loquitur D. Paulus. Dum ait, Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Non ait donec formetur Chriſtus in ſe, ſed in vobis: Qui enim in ſe iā eſt, & perfectus eſt, in nobis, per fidem de nouo naſcitur, & creſcit, & nutritur, & rurſum per infirmitatem fidei vel diminuitur, vel deficit. In præſenti autem loco, poteſt panis,

Lechē Hebr. interdū pro ſola carne acceptū, non vſquequaq; verum.

Galat. 4.

vel

vel propriè de panibus propoſitionis accipi, vel generaliter de ſacrificiis,quę,vti diximus,panem ſuum Deus appellat. Ex quo etiam intelligitur, quòd quemadmodum homo ſinè cibo corporali corporaliter interit, ſic etiam ſinè ſacrificiis Spiritualiter interiret: Eccleſia enim religione ſuſtētatur,quæ in ſacrificiis offerēdis præcipuè cōſiſtit. Quamobrem deteſtanda eſt eorũ impietas, qui priuatas miſſas eſſe abrogandas contendunt. Quod autem potius de hoſtiis & ſacrificiis accipiatur, videri poteſt ex eo quod ait. ¶ *Offertis ſuper altare meum panem pollutum.*] Menſam ſuper quam ponebantur panes facierum, nuſquam altare vocari legimus:quamuis altare ipſum menſa appelletur interdum:quia in eo cibus Dei ponebatur. Vt Ezech.41.De altari dicitur. *Hæc eſt menſa coram Domino.* Et hoc loco,quod prius altare dixerat,mox menſam appellatdicens:¶ *Menſa Domini deſpecta eſt, & dicitis.*] Nota Hebraicum præteritum ואמרתם *vaamartem*, reddi per præſens:quoniam,vt ſæpe monui,Hebraica pręterita, pro quocumque tempore accipi poſſunt, pro opportunitate. ¶ *In quo polluimus te.*] Pro eo quod ante dixerat: in quo deſpeximus nomen tuum?nunc ſubiungit. In quo polluimus te? Qui enim negligenter, aut cōtemptim tractat & agit ea quæ ad religionem & Dei cultum pertinent, is re vera & nomen Dei contemnit, & Deum ipſum polluit, & contaminat:non ipſum, ſed in opinionibus & cogitationibus hominum: qui Deum contemptibilem,& inquinatum credunt, quem vident, hoſtiis contemptibilibus, & con-

Dominus panem ſuum ſacrificia appellat.

Eccleſia religione ſtat ſacrificiis fulcitur.

Licet altare aliquando mēſa appelletur, nunquã tamen mēſa propoſitionis altare ducebatur alibi.

Ezech. 41.

Heb præterita pro quocũque tempore accepta pro opportunitate.

Qui male Deum colit quomodo ipſum contemnit.

taminatis coli. Quomodo reuera intelligimus dæmones inquinatos & impuros esse, ex eo, quòd sacrificiis impuris, & abominandis coluntur, & delectantur. Vt igitur diximus Deum sacrificiis ali, nutriri, & crescere, non in se, sed in nobis: sic etiam dicimus eum sacrificiis contaminatis, & pollutis pollui, non in se, sed in hominum opinione; qui per ea quæ oculis cernunt, iudicant etiam de iis quæ non videntur. Interrogationi autem quamuis proteruæ & impudenti respondet clemētissimus Dominus, in eo à regibus, & principibus imitandus. ¶ *In eo quod dicitis, mēsa Domini despecta est.*] In eo, inquit, vos polluitis me, & nomen meum despicitis, quod dicitis: hoc est altare Domini, in quo ponūtur sacrificia: Quæ sunt panis, & cibus eius, vt supra exposuimus: ea, inquam, mensa & ara despecta est, hoc est, despicabilis est, contemptibilis est, vilis habenda est. Mensam altare dici, supra, ex Ezechiele ostendimus, & nunc etiam in Ecclesia altare mēsa appellatur à fidelibus. Nomina autē huius terminationis, qualis est despectus, delectus, & eiusmodi, sæpe sumūtur pro terminatis in (bilis) despicabilis, diligibilis; vnde sępè ἀγαπητὸς, quod propriè diligibilē seu amabilē significat, interpretatur dilectus. Quid autē intersit inter dilectum & diligibilē, docet D. Hieronymus in epistola ad Philemonem, dicens: dilectus appellari potest & ille, qui dilectionem non meretur: diligibilis verò is tantùm, qui meritò diligitur. Sic etiam incorruptus pro incorruptibili accipitur, vbi Apostolus ait. 1. Corinth. 9. *Et illi quidem vt corrupti-*

Nomina terminata in us, in sacra script. multoties pro in, bilis.

1. Cor. 9.

bilem

bilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, id eſt, incorruptibilem, & vbi dicitur, adoleſcentulus ſum ego, & contemptus, hoc eſt, contemptibilis, & contemni dignus. Et ſæpè aliàs. Iſti igitur dicebant, vel re ipſa, vel etiam verbis, menſam, & aram Domini eſſe deſpectam, id eſt, deſpicabilem, neque multa cura, aut diligentia dignam: ideóque circa victimas etiam alia ad templi cultum pertinentia, negligentes erant. R. Dauid ait, ex eo ſacerdotes putauiſſe menſam, id eſt, aram Domini eſſe vilem & deſpicabilem, quia in ea offerretur ſanguis & adeps hircorum, & aliarum belluarum: qui ſanguis & adeps ſunt res viles, & contemptibiles: non conſiderantes rationem, ob quam Deus talia ſibi offerri voluit. Sic R. Dauid, & ille quidem alibi rationem tropologicam aſſignat, dicens, Deum ſibi voluiſſe ſacrificari, & incendi ſanguinem & adipem belluarum: vt ex eo intelligeretur, carnales, & belluinas cupiditates hominum eſſe in Dei honorem comburendas, & conſumendas, non obediendo eis, ſed reſiſtendo. Nos autem addimus, omnia illa ſacrificia ſignum fuiſſe vnius, ac ſingularis ſacrificij Chriſti, qui ſe obtulit ad mortem crucis, pro reconciliatione generis humani. Quod quidem ſacrificium, propter ſuam ampliſſimam, & multiplicem virtutem, non potuit vno tãtùm hoſtiarum genere ſignificari, ſed multis atque variis. Itaque ſacrificia illa veteris legis, vt ſigna accepta Deo erãt propter id quod ſignificabant: quod quidem ſponte ſua, & per ſe, Deo charum, & acceptum eſt. Illi autem, ex eo, quia menſam,

Pſal. 118.

Carnales & belluinas hominũ cupiditates comburẽdas in ſacrificijs quo modo.

Omnia ſacrificia ſignũ vnius ſacrificij Chriſti.

& altare Domini vile putabant: idcirco non selectas victimas super eo offerebant, vt Abel: sed viles & abiectas: vt Caim, sicut hodiéque faciut, qui tam ex frugibus, quàm ex pecore deteriora Deo soluunt, decimę nomine. Quare mirum non est, si frequenter etiam sterilitate ferimur, & rerum necessariarum inopia laboramus. Ingratitudo enim, canales liberalitatis obturat: & nouis beneficiis indignus est, qui vetera non agnoscit. D. Hieronymus interpretatur illud: in eo quòd dicitis, mensa Domini despecta est, hoc modo. Quod reuersi de Babylone, nec dum tẽplo ædificato, altare tantùm struxerant, non eiusdem gloriæ, cuius pristinum fuerat, & putabant deesse religionis sanctimoniam, quia deerat ædificationis ambitio. Sic Hieronymus, caussam assignans illis despectionis, altaris humilitatem, & vilitatem: quòd videlicet, antiquo in gloria & magnificentia non responderet: cum tamen Deus non minori religione & diligentia in pauperi tẽplo, quàm in diuite colendus sit. ¶ *Si offertis cæcum ad immolandum nonne malum est?*] probat ex facto, quòd mensam & altare Domini contemptui habebant. Si offertis, hòc est, cùm seu, quando offertis. Nam particula, si, in scripturis pro quando, quum, seu, cum, interdum accipitur. Vt cum dicitur Isai. 4. *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion*. Et Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum; cæcum*. Id est, victimam cæcam, agnum, capram, bouem, aut aliam eiusmodi. Id quod Leuit. 22. prohibebatur, his verbis. *Si cæcum fuerit aut fractum, si cicatricem habens,*

Qui decimas ex deterioribus soluũt, tã ex pecore quã ex frugibus.

Si in script. pro quando quum, &c.

Isaia 4. Ioan. 12.

Leuit. 22.

ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini. Cæcam autem victimam Deo offert, qui obſequium imprudens ei preſtat. Honor enim regis iudicium diligit. ¶ *Ad immolandum.*] id eſt, ad ſacrificandum; poterat quidem dari agnus, vel hœdus, aut aliud pecus cæcum pauperi pro eleemoſyna: ſed ad immolandum, offerri non poterat, neque decebat. ¶ *Nonne malum eſt.*] Quaſi dicat, certè malum: indecens & irreligioſum eſt. Deo enim ſelectiſſima quæque offerenda ſunt, tanquam bonorum omnium autori. Iuxta Hebraicum poteſt etiam ſinè nota interrogationis, quæ in Hebraico non eſt, legi, hoc modo: non eſt malum: ſubaudi, iuxta veſtram ſententiam. Vnde R. Dauid exponit hoc modo. Cum offertis victimam cæcam ad ſacrificandum, & offerendo ipſam, dicitis: non eſt malum hoc, imò bonum eſt, vt ea offeratur, quia menſa vilis & deſpicabilis eſt: quare etiam ſacrificium, non malum eſt, vt vile, & contemptibile ſit: & ſic illud offertis ad altare meum: cum deberetis animum aduertere, & admonere eos, qui tale offerunt, quòd malum ſit, & indecens vt offeratur, iuxta illud Leuit. 22. *Cæcum aut fractum, &c. Non offeretis ea Domino.* Vos autem reſpicitis vultum offerentium, & recipitis id quod vile & abiectum eſt, & tamen dicitis: haud malum eſt. Sic R. Dauid. Qui reprehenſionem hanc refert, tam ad laicos offerentes, quàm ad ſacerdotes recipientes. Sermo tamen ad ſolos dirigitur ſacerdotes, vt conſtat ex contextu, qui ſacrificia, quæ ipſi ſacri-

Cæca victima Deo oblata, obſequium imprudens.

Leuit. 22.

ficare tenebantur, vilia & abiecta eligebant propter auaritiam, & irreligiosi animi sordes. ¶ *Et si offeratis*, id est, *& cùm offertis. Claudum*, id est, *pecudem claudam ad immolandum Domino, & languidam.*] id est, pecudem ægrotã quocumque morbo laborantem, vt scabiosam, aut phthisicam, & eiusmodi. Tres enim conditiones habere debebat hostia. Vnam, vt esset membris integra: Alteram, vt toto corpore sana, & vegeta: Tertiam, vt non esset varia, aut maculosa, sed tota vnius coloris. Quæ conditiones ad spiritum & tropologiam facilè accommodantur. Membra enim dici possunt, vel ipsæ animæ potentiæ, intellectus, voluntas, memoria, & appetitus: vel singulæ virtutes, ex quibus spiritualis homo constituitur, & quæ in prædictis potentiis sedem habent: quæ membra, si integra non sint, inepta hostia est, quæ Domino offeratur: sanitas autem totius corporis dici potest ipsa intentio, & propositum bonum, quod in agendo sequimur & proponimus: vniformitate verò coloris, intelligitur constantia, atque perseuerantia in bono: vt non modò vnum, modò aliud velimus: sed semper vnus, & idem simus. ¶ *Nonne malum est?*] quasi dicat, certè malum & indecens est. Vel sinè interrogatione, non malum est; iuxta vestram sententiam. Quod autem id malum & indecens sit, ostendit argumento à minori, dicẽs; offert illud, nempe munus cæcũ, claudum, aut lãguidum & ægrotum. Duci tuo. i. regi, aut principi & Domino tuo. ¶ *Si placuerit ei.*] id est, certè non placebit ei tale munus: imò non munus, sed iniuriã

Tres hostiæ conditiones quales.

Tropologicè, mẽbra animæ potẽtiæ, intellectus voluntas, & memoria.

Sanitas ipsa intentio dicitur, & bonum propositum.

Vniformitas coloris perseuerantia.

& con

& contéptionem ſui interpretabitur, & accipiet. Vnde Hebr. eſt. *Haiyrtſecha*. i. acceptabit te:propriè,an volet te?quaſi dicat,beneuolè te recipiet, & recipiet tale munus offerentem? q.d.minimè. Aut ſi ſuſceperit,faciẽ tuã.Epexegeſis eſt.q.d.minimè ſuſcipiet.i.honorabit faciẽ tuã.Heb.etiã & interrogatiuè: Aut num ſuſcipiet faciẽ tuã?ſuſcipere,vel accipere faciem alicuius Hebr.idiomate eſt ipſum honorare,& honorem ei tribuere.*Dicit Dominus exercituũ.*] i. Deus cõditor & autor omnium creaturarum. Si ergo homini talia munera offerre,indecens eſt,neque honorem vllum meretur,aut gratiam,ſed potius iram & indignationem:quantò magis indignum & indecorum eſt, vt ea offerantur Domino exercituum? cui tanquam bonorum omnium conditori,& largitori, optima quæque ſeleċtiſſima debentur.Conſiderent hoc Sacerdotes, & omnes fideles, atque videant qualia Deo munera offerant:atque intelligant futurum, vt aliquando ei expoſtulandi rationem reddant. Indignum eſt enim, vt velis tu domi tua vaſa & pocula nitidiſſima & pretioſa habere, & veſtes, atque linteamina menſæ tuæ mundiſsima: ea verò, quæ ad Dei cultum pertinẽt,ſordida & vilia eſſe patiaris. Indignum quoque eſt,vt bonam temporis partem in tuis lucris, aut voluptatibus conſumas, nullam autem Deo colendo attribuas: imò ea etiam ipſum fraudes, quæ ab Eccleſia ad id eſt dedicata: quibuſdam enim non ſatis ſunt omnes dies hebdomadæ ad ludendum,venãdum,& luxuriandum,niſi etiam diem ipſum Dominicũ & alios dies ſacros ſurri-

piant, contaminent, & profanent, tanta eſt rerum præſentium delectatio, & futurarum obliuio.

VVLG. *Et nunc deprecamini vultum Dei, vt miſereatur veſtri: de manu enim veſtra factum eſt hoc: ſi quomodo ſuſcipiat facies veſtras, dicit Dominus exercituum. Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus: dicit Dominus exercituum.*

CHALD. *Et nunc orate quæſo Deum, & ſuſcipiet orationes veſtras: de manu veſtra factum eſt hoc, numquid ſuſcipientur vobis facies, ait Dominus exercituum? Quis etiam hic in vobis vt claudat oſtia domus ſanctuarij mei, & ne offeratis ſuper altare meum ſacrificium abominabile: non placetis mihi; ait Do-*

minus exercituum, & sacrificium acceptabile non suscipiam de manu vestra, quoniam ab ortu solis, & vsque ad occasum eius, magnum nomen meum inter populos & in omni tēpore quo vos feceritis voluntatem meam, ego suscipiam orationem vestram: & nomen meum magnum sanctificatur per manus vestras, & oratio vestra tanquam sacrificium purum coram me: quoniam magnum nomen meum inter populos, ait Dominus exercituum.

¶ *Et nunc deprecamini vultum Dei.*] Iuxta D. Hieronymum, simplex, & sinè figura sermo est, exponit enim hoc modo. Quia obtulistis claudas, & cæcas, & debiles victimas: vos enim hæc quæ dixi vniuersa fecistis, agite pœnitentiam, si quo modo misereatur vestri Deus. Nullus enim in vobis est, vsque ad extremum ministerium, qui non à me mercedem accipiat laboris sui: nimirum decimas omnium fructuum, quæ offeruntur à populo. Sic Hieronymus, quem sequitur Lira, & Dyonisius. Sic etiam R. Dauid, hoc enim modo exponit. Si concessi fueritis ad eum, & eius vultum comprecati fueritis ex corde, adhuc miserebitur vestri, & benefaciet vobis. Dicit autem & miserebitur vestri, quoniam ipsorum angor & tribulatio prophetam etiam angebat: item etiam vt sese connumeraret cum Israel: sicut dixit Moses Exod. 34. Et propitius eris iniquitatibus & peccatis nostris. Id quod ab ipso Deo didicit, dicentes: *Vsquequo non vultis custodire* *Exod. 34.*

Exod.16. *præcepta mea, & leges meas?* Exod. 16. *de manu enim veſtra factum eſt hoc.* Id eſt, hæc maledictio, quæ venit ſuper vos, ſicut infra dicit cap. 2. *Mittam in vos egeſtatem:* Facta eſt, & venit vobis de manu veſtra: quoniam facitis malum in oculis Domini: idcirco immittam in vos maledictionem. ¶ *An ſuſcipiet facies veſtras?*] Num creditis quòd ſuſcipiet faciem cuiuſquam veſtrûm, vt non corripiat vos de factis veſtris iniquis: cùm ipſe neque perſonarum acceptator ſit, neque muneribus corrumpatur? Sic Rabbi Dauid. Sic etiam R. Abraham. Placet expoſitio R. Selomo, & magis cohæret: hoc modo. ¶ *Et nunc precamini quæſo.*] Et nunc vos Sacerdotes, qui malum hoc facitis, vnde vobis in mentem venit, vt velitis eſſe Apoſtoli Iſraëlis, ad quærendum eis miſerationes: cùm à manu veſtra factum ſit malum hoc? An ſuſcipiet facies veſtras, vt audiat orationem de ore veſtro, & miſereatur, aut gratos, & acceptos habeat nũtios & legatos veſtros? Sic R. Selomo: Eſt igitur ſenſus ironicus hoc modo: Et nunc cùm tales ſitis, & Deum veſtris abiectis ſacrificiis, non modò non placetis, ſed etiam irritetis & prouocetis: deprecamini vultum Dei, vt miſereatur veſtri: Quaſi dicat, in vanũ deprecabimini, & rationem ſubdit. De manu enim veſtra factum eſt hoc, id eſt, à vobis factum eſt, atque fit hoc quod dixi: Nimirum quòd offertis Deo victimas claudas, cæcas, & ægrotas, quales nec homini principi offerri æquum eſt: ſi quomodo ſuſcipiat facies veſtras, quaſi dicat, nullo modo ſuſcipiet, nec honorabit, nec gratum habebit conſpe-

ctum vestrum, imò detestabitur & aduersabitur vos: Vnde in Hebraico apertè per interrogationem legitur הישא מכם פנים *Hayssa mikkem panim*, id est, an suscipiet ex vobis facies? hoc est, an suscipiet cum gratia preces, & deprecationes vestras? quasi dicat, minimè. Consimiliter ait Isai.cap. 1. *Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? ne offeratis vltra sacrificiũ frustra, &c.* & cap. 58. *Me de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit: rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt.* Et nota, quòd ironia, quam Hebræi vocant גיזום *ghizum*, interdum in sacra scriptura inuenitur vt in illo loco: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum & malum.* Genes.cap.3.& Eccles.11. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, &c.* Sensus est enim, imò in iuuentute cùm vires suppetunt, laborandum est, & viaticum senectuti parandum. Sic in præsenti: & nũc precamini, quæso, vultum Dei vt misereatur vestri, vel & miserebitur vestri, quasi dicat, confecta res est, tantùm precamini, & obtinebitis, scilicet; Atque huic intellectui congruit id quod sequitur, quod iuxta Hebraicum sic legitur: Quis etiam in vobis, & claudat ostia, & non incendatis altare meum frustrà, quasi dicat: Tantùm abest vt vestra munera & sacrificia suscipiam, aut grata habeã, vt etiam optem esse aliquẽ ex vobis, qui mihi hoc obsequium gratissimum præstet, vt claudat ostia templi, vt non incendatis vltra altare meum, id est, victimas

Isai.1.

Idem.58.

Ironia in sacra scriptura non nunquam.

Genes.3.
Eccles.11.

ſuper altari meo, fruſtra, & in vanum: quia non eis placor, ſed offendor & commoueor. Quomodo etiam per Iſaiam dicit cap. 1. *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtrà. Incenſum abominatio eſt mihi, &c.* Et cum extenderitis manus veſtras auertam oculos meos à vobis, &c. Verbum Hebraicum חנם *Chinnam*, quod D. Hieronymus vertit, gratuitò, ſignificat fruſtrà & ſinè cauſa, vt

Prou. 1. Prouerb. cap. 1. *Abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtrà.* Et paulo poſt, *Fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum*, & cap. 3. *Non contendas ad-*

Idem 3. & 26. *uersùs hominem fruſtrà.* Et cap. 26. *Sicut auis ad alia tranſuolans, & paſſer quolibet vadens, ſic maledictum fruſtrà prolatum in quempiam non ſuperueniet. Sic in præſenti accommodatus ſenſus eſt, & non incendatis altare meum frùſtrà.* D. autem Hieronymus vertit. Gratuito, id eſt, gratis: & interpretatur ſinè mercede. Cur autem negationem reiicerit, quæ eſt in Hebraico, & in Chaldaico, & in LXX. cauſam ignoro: Omiſit quoque particulam (etiã) quę tamẽ aliquid ad ſenſum facit. Denique huic ſenſui quem proſequimur valde congruit, id quod ſubiungitur. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Rectè enim iſta concinnunt: vtinam etiam aliquis in vobis claudat oſtia, nec incendatis altare meum fruſtrà: quia non eſt mihi voluntas in vobis, &c. Et nota quod ait, non eſt mihi voluntas in vobis; hoc eſt, vos ipſi mihi non placetis: quare nec ſacrificia veſtra mihi placere poſſunt, etiam ſi maximè eſſent electa, ſana, & pinguia: numquid enim mã

ducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? aut incenſorum nidore capiar, incẽſum abominatio eſt mihi: ſacrificia enim veteris legis, cum eſſent belluarum mortuæ carnes, Deo, ſponte ſua, & per ſe placere non poterant. Sed ex fide, & deuotione atque charitate offerẽtium. Quare ſi offerentes fide, aut deuotione, aut charitate carebant, ipſa quoque eorum ſacrificia cum ipſis à Deo reiiciebãtur: Vnde etiã de Abel dicitur: *Reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius.* Prius ad Abel fidelem, deuotum, & amicum: deinde propter ipſum etiam ad munera eius. Sic in preſenti: non eſt mihi voluntas in vobis, & munus, id eſt, ſacrificium non ſuſcipiam de manu veſtra: quia tum vos ipſi mihi ingrati, odioſi, & inuiſi eſtis: tum ſacrificia & munera veſtra. Non autem ita eſt ſacrificium nouæ legis: id enim ſponte ſua, & per ſe Deo gratum & charum eſt, quantumuis ab immundo & ingrato ſacerdote offeratur: Non enim poteſt dominus Ieſus Chriſtus patri ac Deo non placere: quod vnicum eſt Chriſtianorum ſacrificium: vnde de eo ſubiungit: *Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Vbi nota, quod numquam Deus paſſus eſt mundum prorſus ſinè vera religione, & cultu ſui cõſiſtere. Vnde ſtatim initio mouit Abel, & Cain ad offerendum ſibi ſacrificium: quam religionem, à Patre ipſo Adam eos accepiſſe verò ſimile eſt: qu-

Sacrificia veteris legis solũ ex deuotione & offerentium fide placebãtur quare.

Genes 4.

Sacrificia noua legis per se grata Deo etiam si ab immundo offerantur.

Christianorum unicũ sacrificium Christus Dominus ab initio mundi statim sacrificium & religio.

uis

uis ipſe non legatur vnquam ſacrificium Deo obtuliſſe : & fortè ab eo munere ſe ſe abſtinuit propter modeſtiam & humilitatem, memor quàm grauiter Deum offendiſſet, à quo etiam ſeſe abſcondit. Quoniam igitur mundus ſinè religione & ſacrificio conſiſtere non poteſt : abiecta Iudæorum religione & ceremoniis, dum ait : non eſt mihi voluntas in vobis ; & munus, id eſt, ſacrificium non ſuſcipiam de manu veſtra : Chriſtianorum ſacrificium & ceremonias admittit, & introducit, dicens : ¶ *In omni loco ſacrificatur.*] id eſt, ſacrificabitur nomini meo oblatio munda. Et vocatur Sacrificium Chriſtianorum oblatio munda, comparatione Sacrificiorum Iudaicorum, quę ſanguinolenta erant, & carnes mortuæ : quamobrem etiam erat in templo piſcina probatica, & mare æneum, ad ea abluenda, priuſquam incenderētur. At noſtra Euchariſtia, & in ſe puriſſima, & mundiſſima eſt, neque lauari indiget, ſed ipſa lauat & purificat non ſolùm corpora, ſed etiam atque multò magis animas offerentium & ſumētium & in ſuis etiam ceremonijs pura, & munda, atque plena decoris eſt & pulchritudinis, & maieſtatis. Hunc itaque locum omnes catholici de euchariſtia interpretantur. Vnde Hiero. ait: non in vna Iudææ vrbe Ieruſalem, ſed in omni loco offerri oblationem nequaquam immundam, vt à populo Iſraël : ſed mundam : vt in ceremoniis Chriſtianorum, &c. Miſſam vocat ceremonias Chriſtianorum, quia ſanctiſſimis ceremoniis cōſtat, & cum eis celebratur. Irenæus Martyr libro

Sacroſācta Euchariſtia ſacrificium quod in omni loco offertur.

quarto contra Valentinũ c.32.hoc modo ſcribit, Chriſtus noui teſtamenti nouam docuit oblationem,quam eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, de quo in duodecim prophetis Malachias ſic ait:Nõ eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens,& ſacrificium non accipiam de manibus veſtris: quoniam ab ortu ſolis vſque ad occaſum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum: quoniam magnum eſt nomen meum in gẽtibus, dicit Dominus omnipotens: manifeſtiſſimè ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſauit offerre Deo:omni autem loco ſacrificium offertur ei,& hoc purum. Hæc Irenæus. Sanctus etiam Martialis in epiſtola ad Burdegalenſes cap. 3.ad hunc locum alludit, dum ait: ſacrificium Deo creatori offertur in ara, non homini, neque angelo:nec ſolũ in ara ſacrificata, ſed vbique offertur Deo oblatio mũda,ſicut teſtatus eſt, cuius corpus & ſanguinem in vitam æternam offerimus: Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus libro primo Euangelicæ demonſtrationis cap.vltimo ait: ab ortu ſolis vſque ad occaſum nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & hoſtia munda: ſacrificamus igitur Deo altiſſimo ſacrificiũ laudis,ſacrificamus Deo plenum & horrorem adferens, & ſacroſanctum ſacrificium, ſacrificamus nouo more ſecundum nouum teſtamentum hoſtiam mundam. Sic Euſebius. Item D. Auguſt.

lib.18.

lib.18.de ciuit.Dei cap.35.ait Malachias prophetas Ecclesiam,quam per Christum iam cernimus propagatam,Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei: non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra,ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus,& in omni loco sacrificabitur,& offeretur nomini meo oblatio munda: quoniam magnum est nomen meum in gentibus,dicit Dominus.Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedec, cum in omni loco,à solis ortu vsque ad occasum, Deo iam videamus offerri: sacrificium autem Iudęorum, quibus dictum est, non est mihi voluntas in vobis,nec accipiam de manibus vestris munus,cessare negare non possunt: quid adhuc expectant alium Christum, cum hoc quòd prophetatum est,legunt,& impletum vident, impleri potuerit nisi per ipsum?Sic August. & concilium Tridentinum,sessione 22. in doctrina de sacrificio Missæ.cap.1.ait:Hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest:quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gẽtibus,in omni loco, mundam offerendam prædixit.Hæc ibi,Sed in re manifestissima vereor ne videar nimius,in pluribus citandis testibus. Notãdum igitur,quòd Deus Eucharistiam,& Christianorum sacrificium appellat oblationem mundam,id est,מנחה טהורה *minchatoria*; vt intelligamus, quod tam offerentes & sacrificantes, quàm etiam quoscunque eam sumentes, maxi-

Maxima puritas debet esse sumentium & offerentium Eucharistiã

ma

ma decet puritas & mundicia: non solùm animi & cordis, sed etiam corporis: cùm ea & corde, & corpore suscipiatur. Vnde & Apostolus præcipit, dicens: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.* 1. Cor. 11. Quid autem est, probare seipsum, nisi sacramentali confessione præmissa, à peccatorum se sordibus expurgare? Sic enim declarat sacrosancta Synodus Tridẽtina sessione 13. cap. 7. in decreto de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, idque eo modo ipsa etiam fidelium generalis & Catholica consuetudo declarat, & Apostoli, quamuis in Domini Iesu Christi passione omnes scandalizati sunt, solus tamen Iudas sese suspendit: quia solus fictè & indignè corpus Domini edere veritus nõ est. Alij enim discipuli, licet paulò post casuri, tamen Domini corpus & sanguinem accipientes, eo ipso tempore quo accipiebant, mundi erant, iuxta Domini testimonium dicentis: *Vos mundi estis, sed non omnes.* Iudas autem iam Dominum vendiderat, nec tanti sceleris eum pœnitebat etiam tunc, quando ipsum Domini corpus immundo ore & immundiori corde accepit. Quare meritò solus in tantam desperationem venire permissus est. Si autem nunc non omnes qui fictè & indignè accedunt, sese suspendunt, nec sic à Domino puniuntur, sciant quòd etiam nunc non omnes Sodomitæ igne & sulphure de cælo misso concremantur. Eiusmodi enim pœnæ in scripturis ideò prædicantur, vt intelligant peccatores iram Dei aduersum se, &

1. Cor. 11.

Probatio ante sumptionẽ Eucharistia per cõfessionem.

Pœnæ in sacra Scriptura prædicãtur, ad ostendendam iram Dei, & homines ab eius offensa reuocentur.

ſeſe corrigant, alioqui multo grauiora ſupplicia ſubituri, ſi etiam aliorum ſupplicio admoniti non reſipuerunt. Qui autem mundam oblationem, mundo item corde corporéque offerunt, & ſumunt, ij non ſolùm ſupplicia non timebunt, ſed etiam tam multa & tam grandia dona à Deo conſequentur, & obtinebunt, quàm multa & quàm grandia ſoli illi intelligunt, qui cõſequuntur & obtinent, hoc eſt, qui dignè & mundi mundam oblationem offerunt & ſumunt. Illud autem notandum, quòd cùm dicitur, offertur nomini meo oblatio munda, illud nomen (oblatio) in Hebraico eſt מנחה minchà, quod idem verbum ante interpretatum eſt munus, vbi dicitur: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Quoniam Euchariſtia & munus eſt, & oblatio. Munus enim eſt, quia in gratiarum actionem Deo offertur, tanquam principi & bonorum omnium largitori. Eſt item oblatio, hoc eſt, ſacrificiũ: quia in peccatorum remiſſionẽ offertur. Vnde etiam in lege veteri duplex erat ſacrificiorum genus: alterum pro peccato, alterum in gratiarũ actionem. Apud nos autem, vnum ſacrificium vtramque rem prętat: per id enim & gratias Deo de beneficiis acceptis agimus, & Deum pro offenſis quas in eum commiſimus, placamus. Nam vnicum Chriſtianorum ſacrificium, & vnica oblatio, omnes virtutes, & omnes gratias in ſe habet & complectitur, quas adumbrabãt, & pręfigurabant omnia veteris legis ſacrificia & oblationes. Nunc iuxta inſtitutum noſtrum, in gratiam Iudæorum contextum conſtruamus. ¶ *Et nunc*

Euchariſtia munus & oblatio quomodo.

In lege veteri aliud ſacrificium pro peccato, & aliud in gratiarum actionem.

In lege gratia vtrumq; idẽ munus praſtat.

depre

deprecamini.] Hebraicè additur particula נא nà, id eſt,quęſo,hoc modo:& nunc deprecamini,ſeu comprecamini,quæſo vultum ſeu faciem Dei.Et ſubeſt ironia:vti diximus. Alloquitur autem Sacerdotes, quorũ munus erat atque eſt orare pro populo;iuxta illud Ioelis, *Inter veſtibulum & altare plorent ſacerdotes.* Ait igitur, cùm ſacerdotes ſitis irreligioſi & impuri,deprecamini ſcilicet faciem Dei, pro vobis & pro populo, vt misereatur veſtri. Hebræi legunt,noſtri. Connumerat enim ſe propheta cum populo, quaſi dicat, fruſtra id facietis,ſicut fruſtrà quis offerret duci ſuo munus cæcum, aut claudum, aut ægrotum, ad placandum ipſum, & eius gratiam promerendam. De manu enim veſtra,id eſt,à vobis factum eſt hoc, id eſt,hæc, ſeu ſimilis impudentia,& iniuria: dum Deo offertis hoſtias abiectas & infirmas: ¶ *Si quomodo.*] id eſt,an aliquo modo:ſuſcipiat,aut ſuſcipiet,id eſt,honorabit & placidè excipiet facies veſtras, id eſt, præſentiam veſtram. Et legendum interrogatiuè, quaſi dicat, minimè.Reſpondet enim illi ſuperiori,offer illud duci tuo,ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciẽ tuam, quaſi dicat, nec placebit ei, nec ſuſcipiet faciem tuam. ¶ *Dicit Dominus exercituum.*] Qui eſt ſupra omnes duces & principes, & ideo ſupra omnes coli debet & honorari.Quis eſt in vobis.Hebraicè additur particula (etiam) atque negatio, hoc modo.Quis etiã in vobis& claudat oſtia:ſeu qui claudat oſtia, vt nõ incẽdatis altare meũ fruſtrà,ſeu gratis, ſeu gratuitò, q.d.tantùm abeſt vt veſtra ſacrificia velim, vt etiã optẽ claudi ianuas

Munus ſacerdotis orare pro populo.

Ioel.2.

tẽpli,in quo offeruntur,vt non incẽdatis amplius altare meũ. i. holocausta & victimas super altari meo,gratuitò.i. frustra,& in vanum,& sine mercede, quia propter hoc nullam à me gratiam inibitis, nec vllam mercedem,sed potius supplicium accipietis.Nõ est enim mihi volũtas in vobis, id est, extra gratiam meam estis, ideo munus,id est,sacrificium aut oblationem non suscipiam de manu vestra, id est, à vobis, quasi dicat, iam me tæder vestrorum sacrificiorum & victimarum:statuíque illas abiicere,& loco earum victimam & oblationem vnam mundam & mihi gratissimam instituere, quæ sola mihi munus & sacrificium sit nouæ à me condendæ legis: vnde addidit, ab ortu enim solis vsque ad occasum, id est, in omni orbe terrarum. Quoniam terra frequentius habitatur ab oriente ad occidentem, quàm ab Aquilone ad meridiem. ¶ *Magnum est nomen meũ in gentibus.*] in Heb.nullum verbum exprimitur,sed subauditur (est) aut erit:sed dicitur,est,pro erit,propter certitudinem prophetię, & diuinæ prouidentiæ. Et est sensus, ideo vos Iudæos abiicio & reprobo, cum vestris hostiis & sacrificiis, quia alium populum mihi delegi, & aliud sacrificium, in quibus erit mea voluntas & gratia. Magnum est, id est, magnum erit, hoc est, magnificabitur, honorabitur, adorabitur,& coletur nomen meum, quo dicor Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & creator cæli & terræ, & generis humani Redemptor & glorificator. Nomen meum, id est,ego ipse,quatenus gentibus notus ero, atque dicitur notus in

genti

gentibus Deus, in Ecclesia magnum nomē eius, & ideo dixit ab ortu solis vsque ad occasum: quoniam ecclesia nullis terræ terminis describitur, aut continetur, vt olim terra Iudęa, sed per omnē terrarum orbem extenditur, multóque magis olim extendetur, quando erit vnus pastor, & vnum ouile. Et in omni loco, nō solùm Hierosolymis, vt in lege veteri, in qua præscriptus erat vnus certus locus, extra quem sacrificare non licebat: sed in noua lege, in omni loco, id est, per omnia oppida & ciuitates Christianorum, sacrificatur Hebr. מקטר *muštar*, id est, adoletur, incenditur, suffitur. Et non explicat quid: verbum autem קטר *Kitter* significat ądolere, seu adolendo, & incendendo suffitum & fumum excitare. Et dicitur in scripturis, tam de carnibus & adipe, quæ adolebantur in honorem Dei, quàm etiam de myrrha. Cant. 3. מקטרת מור id est, suffita, seu incensa myrrha, vbi nos habemus ex aromatibus myrrhæ: & de quibuscunque aromatibus vt Exod. 30. *Et adolebit incensum super eo Aaron suaue fragrans.* Pro quo in Hebraico apertè dicitur, & incendet super eo Aaron incensum aromatum. Et cap. 35. *Vt conficiatur vnguentum, & thymiama suauissimum.* Hebraicè, & ad incensum, seu suffitum aromatum. Et Exod. 40. *Posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum, & adoleuit super eum incensum aromatum.* Et ex hoc verbo deducūt מקטרת *mictereth*, pro thuribulo vel acerra. Quod ergo dicitur, & in omni loco sacrificatur, hoc Hebr. est מקטר id est, incenditur, suffitur, adoletur, de thure præcipuè intel-

In Ecclesia noua vbiq; & in omni loco sacrificatur.

Cant. 3.

Exod. 30.

Ibidem 35.

Ibidem 40.

ligitur: quod secundum vsum ecclesiasticũ ad altare, & in missa in solemnioribus festis adoletur, suffitur, & inceditur. Quod significat orationes sanctorum iuxta illud Apocalypseos cap. 5. *Habentes singuli phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*, & cap. 8. *Alius angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum: & ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo, &c.* Quo loco, incensa multa significãt multa incendibilia, vt ita dixerim, hoc est, multa genera aromatum, quæ incendi & suffiri apta sunt in honorem Dei. Qualia sunt imprimis thus, & alia aromata, vel simplicia, vt quod nostrum vulgus vocat Benjuim. I. commixta, vt quæ appellantur *pastilla, & peuites, & caçuelas*. Quę omnia, vti diximus, significant orationes sanctorum quæ de corde puro tanquam acerra & thuribulo, ascenduntur in conspectum Domini. Vnde D. Hierony. ait in præsenti: vt sciant sacerdotes veteris legis videlicet, nequaquam taurorum hircorúmque sanguinem, sed thymiama, id est, sanctorum orationes Domino offerẽdas. Quibus verbis allusit tum ad loca illa Apocalypseos, tum ad verbum Hebraicum (muctar) quod propriè thymiama, id est, vaporationem, exhalationẽ, incẽsum, suffitum, suffimẽtúmque significat, à verbo θυμιάω, quod est suffio, incendo, adoleo, vnde etiam θυμιατήριον acerra dicitur, aut thuribulum, sicut à קטר dicitur מקטרת vt supra diximus

Apocal. 5.
Orationes sanctorum thus suffitum.
Apocal. 8.

mus. Quod igitur in præſenti dicitur,& in omni loco ſacrificatur nomini meo, propriè de thure & aliis aromatibus intelligitur,quæ nomini Domini Dei noſtri adolentur & offeruntur,& ſacrificantur ad altare, vt iuxta eccleſiæ laudabilem vſum à Propheta prædictum fieri quotidie videmus, vt eſt intelligendum in omni loco ſacrificatur,id eſt,adoletur,ſubaudi thymiama aromatum. Et offertur, id eſt,adducitur Hebraicè מגש ſine coniunctione vt legatur, & in omni loco adoletur, offertur:deinde cum coniunctione additur in Hebraico, & oblatio munda, vt ſit ſenſus, in omni loco adoletur nomini meo thymiama,& offertur,& oblatio munda, ſubaudi offertur, id eſt, corpus & ſanguis Domini. Et nota quòd quamuis in Latino per verbum tranſlatum ſit, ſacrificatur, & offertur, in Hebraico tamen vtrumque eſt participium paſſiuum, & quamuis quoad vocem ſit temporis præſentis,tamē apud Hebręos participia temporis pręſentis,pro quouis tempore capiuntur, pro præterito, pro præſenti,& pro futuro, quia ſubauditur pro exigentia loci verbum ſubſtantiuum præteriti,aut præſenti,aut futuri temporis,id quod ſciunt,quicunque Hebraicè ſciunt,& eſt in promptu id probare ex innumeris locis ſcripturæ Hebraicæ. Et iuxta Hebræos clarius legitur, & in omni loco thymiama, ſeu incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda,ſeu ſacrificium mūdum. Quo autem magis eluceat noſtræ interpretationis ac fidei claritas,operæprecium fuerit Rabbinorum huius loci interpretationes, ſeu potius peruer-

ſiones adſcribere: Igitur Rabbi Dauid hoc modo enarrat: Magnum eſt nomen meum in gentibus. Quoniam tametſi colunt militiam cæli, confitentur tamen, quòd ego ſum cauſa prima: niſi quòd colunt ea, eo quòd opinentur ea eſſe media inter me & ipſos. Vnde, aiunt, magiſtri noſtri, quòd vocant eum Deum deorum. Et in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium mundum. Hoc eſt, & ſi præcepiſſem eis ſicut præcepi vobis, adolerent vtique atque offerrent nomini meo: & inſuper ſacrificium mundum offerrent, non ſicut vos facitis ſacrificium pollutum, & contemptibile: Vel aliter, quamuis ipſi adoleant & offerant idolis, opinio ipſorum eſt quòd offerunt nomini meo. Sic R. Dauid. Militiam autem cæli vocant ſtellas, & angelos, ſeu dæmonas. Duas expoſitiones adfert, quarum vtraque falſa eſt. Gentes enim quæ idola colebant, nullum alium eſſe Deum credebant præter idola ſua: nam alioqui, vel ei ſoli ſacrificarent, vel ei quoque cum idolis, vt faciebant Samaritani poſtquam de vno Deo Iudæorum edocti ſunt. 4. Reg. 17. Quòd ſi fortè philoſophus aliquis cognoſcebat vnum ſolum eſſe Deum, non tamen quiſquam eum tanquam Deum glorificauit, aut coluit, vt docet noſter
Rom. 1. Apoſtolus ad Rom. cap. 1. dicens: *Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Vnde cùm adhuc extent libri de ceremoniis, quibus falſi Dij colebantur, ne vna quidē litera extat de cultu vnius atque veri Dei: niſi ſolum de ara illa ſtatuta ignoto Deo. Sed ea

tunc

tunc ædificata fuit, quando patiente Domino solis eclypsis per vniuersum orbem facta est. Quomodo igitur de idololatris intelligi potest, quod dicitur, magnum nomē meum in gentibus, cùm Dei veri nomen & plurimi ignorarent, & paucissimi qui nouerant, non honorarent nec glorificarent? Ergo de Christianis intelligitur: & apud quos verè Dei nomen agnoscitur, colitur & adoratur. Id quod nec ipsi Iudæi faciunt. Qui enim Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum in essentia, trinum autem in personis non adorat, is certè verum Deum non adorat. Deinde quòd ait gentes colere idola vel stellarum vel dæmonum, quod opinarentur ea esse media, & veluti prouenetas seu pararios inter Deum & ipsos, falsum est. Quis enim Mercurium, aut Venerem, aut Apollinem rogauit, vt pro ipso apud Deum intercederet? Deum autem deorum non gentes idololatræ, sed fideles Iudæi nuncupabant: iuxta illud; *Deus deorum, Dominus locutus est:* Psal. 49. Quis verò idololatrarum vnquam dixit. *Quis Deus præter Dominum*, aut, *quis Deus præter Deum nostrum?* Psalm. 17. Deinde Rabinus id quod scriptura asserendo dicit: per fictionem explicat: quoniam si præcepissem eis vt offerrent nomini meo, offerrent nomini meo. Atqui Deus non ita dicit, sed quòd re vera magnum est nomen suum inter gentes, & quòd in omni loco incensum & oblatio munda offertur nomini suo. Quod verò in secunda expositione dicit, planè non solùm falsum, sed ridiculum est. Si enim gentes dum Ioui aut Mer-

Ara ignoto Deo ædificata quādo dominus passus est.

Psal. 49.

Psal. 17.

curio ſacrificant, credunt ſe Deo vni atque vero ſacrificare, cur Ioui ſacrificant, & non Deo vero? Deinde, ſi putant ſe Deo ſacrificare, pia eorum oblatio eſt, & Deo grata. Cur igitur præcepit eorum aras deſtruere? Deut. 7. Imo verò cùm Deus in præſenti ſacrificiis Iudæorum, atque ipſis Iudæis è regione opponat ſacrificium gentium, atque ipſas gentes: aſſerátque tum Iudæos ipſos, tum ipſorum ſacrificia extra ſuam eſſe gratiam, & voluntatem: conſequens eſt, vt gentes & ipſarum ſacrificium ſibi gratum & acceptum eſſe ſignificet: nam alioqui nulla eſſet dicti ratio, aut pondus vllum. Quæ enim eſt conſequentia, non eſt mihi voluntas in vobis Iudæis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: quia ab ortu ſolis ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco thymiama offertur nomini meo, & oblatio munda: niſi intelligatur eſſe ei voluntatem in gentibus, & munus atque oblationem ſuſcipere de manu earum? Quare non de idololatris, & eorum ſacrificiis intelligitur, quæ certè Deus grata non habet, ſed eorum aras & altaria dirui iubet, ſed de Chriſtianis, & ipſorum munda oblatione, quæ Deo eſt acceptiſſima. Nam alioqui, eſſet orbis vniuerſus ſinè religione & ſacrificio. Quòd autem Deus Iudæorum ſacrificia non ſuſcipiat, præter hunc locum, docet etiam Oſeas, dum ait, cap. 3. *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſinè rege, & ſinè principe, & ſinè ſacrificio, & ſinè altari, & ſinè ephod, & ſinè teraphim.* Atque hæc de expoſitione R. Dauid, R. Selomo duas quoque expoſitiones affert: quarum prior conſentit

ſentit cum illa priori R. Dauidis. Poſterior,eſt,id quod dicitur,magnum eſt nomen meum in gentibus,intelligi,non quòd ipſę gentes Deum laudent & magnificent: ſed quòd diſcipuli ſapientum, qui in omni loco, in ſynagogis dant operam Talmudicis ſcripturis, & incumbunt atque vacant orationi, ſunt Deo tanquam ſacrificium mundum,& purum. Sed hæc quoque expoſitio violenta eſt,quare nec eam citat,neque ſequitur R.Dauid,qui aliàs R.Selomonem libenter ſequi ſolet. Deinde, Deus apertè confert,non Iudæos cum Iudæis, nec ſacrificium Iudaicum cum Iudaico:ſed Iudæos cum gẽtibus,& ipſorum ſacrificia cum ſacrificio gentiũ. Tertio,quia qui Talmudicis incumbũt doctrinis,atque adeò omnes Iudæi extra gratiam Dei ſunt, vt conſtat ex illo loco Oſeæ cap. 3. vbi ait: *Dies multi ſedebunt filij Iſrael ſine ſacrificio:*& ſubiũgit, *& poſt hæc,*hoc eſt, *poſt iſtos dies multos reuertentur ſeu conuertentur filij Iſrael,& quærent Dominum Deũ ſuum,& Dauid regem ſuum.* Hoc eſt, Chriſtum Meſſiam ſuum. Si enim poſt hos dies multos Deum quęſituri ſunt, atque Meſſiam ſuum:igitur nunc interim neque Deum habent, neque Meſſiam, ſed eum per infidelitatem perdunt. Id quod etiam Moſes illis prędixit Deut.cap.4.dicens:*Nouiſſimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.* Ante nouiſſimum ergo illud tempus à Deo recedunt, nec audiunt vocem eius. R.Abraham exponit, & primò per fictionem,vt R.Dauid: Si præcepiſſem eis, &c. Deinde addit ſe accepiſſe à neſcio quo ſapiente expoſitionem huius loci

Ibidem.

Deut.4.

con

congruentiſſimam: Sed ea nihil noui adfert, vt potes apud eum videre. Quare piget eam adſcribere, & pium lectorem amplius his ineptiis Rabbinorum onerare. Quamobrem ad ea quæ in contextu prophetæ ſequuntur, tranſeamus.

VVLG. *Et vos polluiſtis illud, in eo quod dicitis, menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile eſt, cum ign, qui illud deuorat. Et dixiſtis, ecce de labore, & exufflaſtis illud, dicit Dominus exercituum, & intuliſtis de rapinis claudum, & languidum,, & intuliſtis munus: nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus exercituum? Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum & nomen meum horribile in gentibus.*

CHALD. *Vos autem prophanatis illud: in eo quod dicitis, menſa Domini contemptibilis eſt, & contemptibiliora ſunt dona, quàm ea. Quod ſi dixeritis, ecce quod adferimus de la-*

bore nostro, & suffocatis illud, ait Dominus exercituum, & adfertis raptum & claudum, & languidum, & adfertis illud in sacrificium: an suscipiam illud cum grande manu vestra, dicit Dominus exercituum? Et maledictus, qui agit cum fraude, estq́ in grege eius masculus, & voto obligatus est, & sacrificat id quod corruptum est coram Domino: quoniam Rex magnus ego, ait Dominus exercituum, & nomen meum forte ac timendum inter populos.

¶ *Et vos polluistis*] Hebraicè pręsens est, polluistis, vnum Hier. ait: vos, ô Principes Iudæorũ polluistis illud, atque polluitis. Cùm, inquit, nomen meũ apud gẽtes magnũ sit, & in magno honore habeatur: vos Iudæi qui illud magis honorare debebatis & debetis, polluitis & contaminatis, idest, cultu vestro vili pollutum & contaminatum, atque abominabile esse existimari ab hominibus facitis. Meritò igitur vos & vestra munera reprobo & abiicio, gentes autem, & ipsarum oblationem cum gratia suscipio. Polluitis autem nomen meum, & gloriam meam in eo quod dicitis, vel verbo vel facto, vel vtroque: Mensa Domini contaminata seu polluta est, hoc est, contaminabilis, & digna quæ vilibus hostiis contaminetur & polluatur, potius quàm vt pinguibus & selectis honoretur. Et hoc loco, vt in superiori, mensa pro altari accipitur: sed mensa appellatur: quòd in eo ponerentur sacrificia, quæ sunt veluti panis & cibus Domini, vt supra iam expo- *Mensa pro altari.*

suimus

ſuimus, vnde Hieronymus ait, qui arbitrantur non altare, ſed menſam debere intelligi, in qua panes ponebantur, quo modo hoc interpretari poſſunt quod ſequitur, (cum igne qui illud deuorat) omnino non video: nec enim ignis deuorat panes propoſitionis, &c. Et item dicitis, quod ſuperponitur, ideſt, ſacrificium, quod ſuper altari incendendum ponitur contemptibile eſſe, ideſt, contemptibile & vile eſſe debet, cum igne qui illud deuorat: qui quidem ignis perinde viles & abiectas, atque optimas & ſelectas victimas deuorat & abſumit. Quaſi dicant, quid prodeſt ſi offeramus optima? qualiacunque fuerint quæ offeruntur, igne ſunt deuoranda. Sic iuxta D. Hieronymum; ſciendum autem quod in hebraico non fit expreſſa mentio ignis: & ad verbũ legitur hoc modo, וניבו נבזה אכלו, ideſt, & ſermo eius, vilis cibus eius, hoc eſt, ſermo ſacerdotis, quem ſemper habet in ore, hic eſt nimirum cibus eius, ideſt, Dei, videlicet adeps & ſanguis & carnes mortuæ, vilis eſt, immundus atque pollutus. Vel aliter, & fructus eius vilis, cibus eius. Vtroque modo legit R. Dauid, & R. Abraham dicit eſſe epexegeſim, & fructus eius, ideſt, panis eius vilis, cibus eius videlicet. Sic R. Abraham. R. Selomo hoc modo locutio, ſeu ſermo eius, nempe altaris, vſitatus in labijs veſtris, hic eſt, iugiter: vilis eſt cibus eius, vos dicitis de eo, quaſi dicat: iam protuliſtis in illud obloquutionem hanc, & ſermonem hunc apprehendiſtis & retinuiſtis contra altare meum, nempe, vilis eſt cibus eius. Sic R. Selomo. Lxx. habent. καὶ τὰ

ἐπιτιθέμενα ἐξουδενωμένα βρώματα αὐτοῦ,ideſt,ſuperpoſiti contemnuntur cibi eius. Et pronomen, eius,refertur ad ipſum Dominum,non ad menſam,quæ Græcè fœminini generis eſt,τράπεζα: Græcè verò ſcribitur, αὐτοῦ generis maſculini.D.autem Hier. neſcio cui ſcripſerit: fructus autem altaris ignis eſt;cibúſque ignis,hoſtiæ vel holocauſta:niſi fortè ſpiritualiter intelligit, quod fructus altaris, ideſt ſacrificij eſt ignis,hoc eſt, charitas & amor Dei,qui in ſacrificando excitatur & accenditur: De quo igne Dominus ait,*Ignem veni mittere in terram, & quid volo,niſi vt ardeat?* huius autem ignis cibus ſunt hoſtiæ & holocauſta, ideſt, nos ipſi quos totos in ſe charitas, & in Deum conuertit,ſicut ignis materiã & ligna in ſe tranſmutat,vt non iam faciant effectum ligni, ſed ignis: ſic etiam qui in Deum conuerſus eſt per charitatem(qui enim Deo adhęret,vnus ſpiritus eſt)iã non facit effectus carnis & ſanguinis,ſed effectus Dei atque diuinos.Idem D.Hiero.etiam in præſenti: ſentit Iudæos ideò dixiſſe altare Dei pollutum, quòd non eſſet præclarè ædificatum & exornatum. Ait enim: putabant minorem eſſe cultum religionis, quia templi ornatus deerat: Ad quos Dominus loquitur:Nõ intelligitis omnipotentem Deum, non aurum gemmáſque, & hoſtiarum multitudinem quærere: ſed offerentium voluntates.Sic Hieronymus: ſciendum tamen,Deum opt.max,voluntates quidem primariò quærere:Deinde etiã voluntatis ſigna, hoc eſt,opera etiam exteriora.Indignum eſt enim vt priuata domus nitida ſit & ſplendida, domus

De primario voluntates quærit, deinde voluntatis ſigna externa.

autem

autem Dei obſcura & neglecta. Vnde Dauid ad Nathan prophetam ait. 2. reg 7. *Vides ne quòd ego habitem in domo cedrina, &c.* Et ipſemet Dominus multa ad vſum tẽpli ex auro puro fieri præcepit. Non igitur huiuſmodi diuitias & ſplendorem in domo ſua Deus contemnit: ſed tamẽ vult ea eſſe cum pietate coniũcta. Nam ſi pietas abſit, omnia tradet in manus Nabuchodonoſor, aut Titi. ¶ *Et dixiſtis, ecce de labore, & exufflaſtis illud, dicit Dominus exercituũ.* i. nõ ſufficit prioris ſermonis impietas, ſed inſuper dicitis, de captiuitate reuerſi ſumus, hoſtib. prędæ fuimus, multùm in longo itinere laborauimus, pauperes ſumus, quidquid habere potuimus, viæ labore conſumptũ eſt: qualiacunque habemus, offerimus: & hæc dicendo exufflaſtis veſtra ſacrificia, id eſt, exufflatione mea digni fuiſtis, ſiue vt in Heb. legi poteſt, & exufflaſtis me hæc dicendo; non ſacrificio, ſed mihi cui ſacrificabatur, feciſtis iniuriam. Quamobrem nequaquam ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus omnipotens. Sic D. Hieron. quem ſequitur Lira, & Dionyſ. R. Dauid ſcribit hoc modo: Nunc increpat populum Iſrael, ideſt, eos qui afferebant ſacrificia. Dicitis, inquit, cùm ſacrificium ſeu victimam adfertis in atrium templi. Ecce labor, ideſt, multum laboraui & defeſſus ſum de hac victima, quam portaui humeris meis, quia pinguis eſt, & carnoſa: & proieciſtis, ſeu proiicitis illud, ideſt, victimam in pauimentum per contemptum. Et ſic exponit Paraphraſtes, dicẽs: & excuſſiſtis, ſeu proieciſtis illud. Alij interpretantur: & afflixiſtis illum, ſeu dolore affeciſtis:

nempe Dominum victimæ, à quo eam rapuistis: sicut statim subiungit, & intulistis de rapinis. Alij verò, & exufflastis illud, quasi dicat, aiunt se laborasse & fatigatos esse onere victimæ, quam humeris portauerunt, dicétes eam esse pinguem, & carnosam, cùm sit è contrario: quippe quæ adeò sit tenuis, & strigosa & macilenta vt vel vnico flatu possit humi prosterni: sic R. Dauid; sed quod ait de Domino victimæ afflicto per rapinam, nimis coactum videtur. R. Abraham hoc modo legit, & exponit: Ecce qui, seu quantus labor, quod propter maledictionem, non est panis qui ponatur in mensa. Et exufflastis illum, quia est veluti fauilla, nec est in eo sufficientia: estque mensa vacua, nec est sacrificium super altare, sicut volui. Sic R. Abrahã. R. Selomo verò hoc modo: Ecce macilenta, nempe victima: quia sumus pauperes, nec possumus electas victimas, quas vouimus reddere. Et dolore affecistis eum, hæc est vna ex dictionibus quas corruperunt scribæ. Erat enim scriptum, & dolore affecistis me, illi verò pro me, reposuerunt eũ, idest, Me & mensam meã. Sic R. Selomo. Et nota, quòd legendo me, quam lectionem etiam retulit D. Hier. planus est sensus, hoc modo: Et dixistis: ecce qui, seu quantus labor, nimirum nobis est, dum victimas quęritamus, quas offeramus Domino, qui macilentas reiicit, nec nisi pingues vult accipere. Et dolore affecistis, seu afficitis me, vel exufflastis seu exufflatis me hac vestra irreligiositate. Et illud exufflastis, significat contempsistis: quomodo contemnitur floccus, & alia quæ exufflari solent. Placet autem mihi

valde illa lectio & expositio R. Abraham, dum legit: ecce qui, vel quantus labor: vt sit מתלאה *mattelaah*, pro מה תלאה *mah telaah*, idest, quantus labor deficiente videlicet litera ה vt etiam in illo loco מזה בידך quid est hoc in manu tua? pro, מה זה & quod Deus dicit, dolore afficitis me, est simile illi Isaiæ c. 1. *calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea:* facta sunt mihi molesta: laboraui sustinens: & cap. 7. *nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* & cap. 43. *seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* Quę omnia de Deo methaphoricè dicuntur & displicentiam significant, atque odium peccati. Et intulistis de rapinis claudum, & languidum. Heb. est; & adduxisti raptum seu furto ablatum, & claudum, & languidum: & sunt tria raptum, siue etiam pingue siue macilentum: Deinde claudum: Tertio languidum: Deus enim non accipit victimam etiam pinguem, si rapta sit, nec de propriis oblatam, si clauda sit, aut languida & infirma. Oportet igitur vt acceptanda victima & propria sit, & integra atque sana. Et intulistis, idest, adduxistis victimam vel raptam vel claudam & ægrotam. Munus, idest, ad sacrificium & oblationem. ¶ *Nunquid suscipiam illud.*] Heb. nunquid volam illud, idest, nunquid placebit & gratum erit mihi. ¶ *De manu vestra*], idest, à vobis impiis & irreligiosis, quasi dicat, minimè. ¶ *Dicit Dominus exercituum.*] cui optima quæquæ debentur. ¶ *Maledictus dolosus.*] additur Heb. coniunctio, & maledictus dolosus seu fraudulentus.

Isai. 1. *Isai. 7.* *Isai. 43.*

¶ Qu

Qui habet in grege suo masculum], ideſt, pecudem integram & ſanam, ¶ *Et Votum faciens*, ideſt, cùm votũ fecerit ad victimã offerendã Deo vel in gratiarum actionem pro beneficio accepto vel in redemptionem peccati, vel pro liberatione ab aliquo periculo, vel quacunque alia iuſta & honeſta ratione, qua vota piè concipi & nuncupari ſolent à fidelibus. ¶ *Immolat debile Domino*] in quonam eſt dolus? Deus enim non decipitur, nec irridetur: ſed audi dolum, fraudẽ, & cogitationem ſummam fraudulentam & doloſam. Ego voui votum Domino, agnũ vel arietem, vel aliquid aliud eorum quæ Deo legitimè offeruntur. Habeo autem in grege meo duos agnos: vnum pinguem, maſculum, ſanum, integrum, qui poteſt mihi vſui eſſe: alterum languidum, ſtrigoſum, ægrotum: hunc pro voto reddã. Quid enim ſacerdos, aut ſacerdotalium iurium & redituum redemptor, & locatarius, hoc ignorabit, vel etiam ſi reſciuerit, non audebit mihi moleſtus eſſe? Quare agnum languidum, ſtrigoſum, & ægrotum ei reddam, pinguem autem atque bonum mihi retinebo: Et ea quidem, aut ei non diſſimilis eſt cogitatio doloſi. Quid autem dicit ſermo diuinus? Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum & votum faciens immolat debile Domino: Quid eſt maledictus? *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & angelis eius.* Maledictus, hoc eſt, priuatus omni gratia, omni adiutorio, omni dono, omni fructu: cui omnia in deterius cedunt, non ſolùm mala, ſed etiam bona: ſicut è contrario, diligen-

tibus Deum, omnia cooperantur in bonum, etiã peccata ipſa: Sed hoc, ex miſericordia Dei: vt autem quibus Deus benedicit, eis bona affluunt & multiplicantur: ſic è diuerſo, quibus maledicit, bona diminuuntur & deficiunt: mala autem, & infortunia ſuccreſcũt. In eo itaque dolus & fraus eſt, quòd cùm bona habeas, mala Deo offers: vnde D. Hier. ait: ſi non habes maſculum, nihil tibi nocet maledictio: ſed hæc dicendo, oſtendit eos habere quæ optima sũt, & offerre quæ mala sũt. Sic Hiero. ſed quæri poteſt, an omnino debeant ſolui decimæ ex melioribus quæ habentur. Quidam dicunt ſatis eſſe, ſi ſoluãtur ex mediocribus: Et citant. 49. di. c. vlt. vbi nihil tale inueni. Tolerabile tamen videtur, ſi citra fraudem inter memeliora aliqua & mediocria dentur. In eleemoſynam autem ſatis eſſe videtur ſi des, quo egẽtis ſubleues penuriam & neceſſitatem. Vnde Aug. ait & habetur di. 41. ca. non cogantur. Non cogantur diuites pauperum cibis veſci: vtantur cõſuetudine infirmitatis ſuæ, ſed doleant aliter ſe non poſſe ſuſtentari, ſi conſuetudinem mutant, ægrotant, vtantur ſuperfluis, dent inopibus neceſſaria: Vtantur precioſis, dent pauperibus vilia, Sic Aug. Quod verò ait, vtantur ſuperfluis, non luxuriam diuitibus concedit, ſed ſuperflua vocat ea, ſine quibus viui commodè poteſt, quamuis ipſi diuites propter longam conſuetudinem ſine talibus iam viuere non poſſunt. Quod etiam ait, dent pauperibus vilia, non intelligit inutilia, ſed ea quæ ad ipſos diuites ſunt parui pretij, & tamen pauperibus ſunt vſui. Nec enim oportet

Decima an ex melioribus ſoluenda.

Superflua diuitib. permittũtur nõ indulgendo luxuriei, pro cõſuetudine ipſorũ condonando.

vt diues pauperi det gallinam, aut perdicem: satis est si det carnem veruecinam, aut bouillam: sicut nec oportet vt det vestem sericam, aut ex mollissima lana contextam: sufficit dare leuidensam, aut non iam aliquantum detritam, quæ nuditatem tegat & frigus depellat. Quamuis .n. ea quæ pauperi datur, Christus accipit tanquam sibi data: non exigit tamen Christus nisi vt necessaria detur. ¶ *Quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.*] Re vera Rex magnus, rex regum, & Dominus dominantium: Rex magnus: quia nemo est, imo nihil est quod subiectum non sit eius regimini: cœlum, & terra & mare, & omnia quæ in eis sunt, & si quid etiam fortè extra ea est, *Per quem regnant, & legum conditores iusta decernunt, per quē reges & principes imperāt, & potētes decernūt iustitiam.* Prou. 8. Qui terribilis est & aufert spiritum principum: terribilis regibus terræ. p. 75. *qui mutat tempora & ætates, trāsfert regna, atque cōstituit.* Dan. 2. qui non subtrahet personam cuiusque cùm sit omnium dominator: neque verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit. Sap. 6. Græcè est, οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, id est, non enim formidabit personam Dominus omnium, id est, neminé veretur aut formidat, quamuis magna & excellens sit persona. Dignus igitur maledictione est, qui aduersùs talem tantúmque regem atque Dominum, dolo agit, & fraudem committit: quippe qui sit cùm omni synceritate & corporis, & animi colendus, & ex toto corde diligendus. ¶ *Et nomen meū horribile in gentibus.*]

Prou. 8.
Psal. 75.
Dan. 2.
Sap. 6.

macilentas: & item peccarent sacerdotes tales hostias recipiẽdo & immolãdo, priuatim tamẽ & nominatim sacerdotes arguuntur & admonẽtur. Quoniam ipsorũ officium erat populũ docere in iis, quæ ad legis obseruationẽ & Dei cultum pertinebant: quare grauius ipsorum peccatum erat. Id quod etiam nouæ legis sacerdotes debent animaduertere atque cauere. Ait igitur: Et nunc postquam tam grauiter peccatis, & negligentes estis in vestro officio faciendo, ô sacerdotes, ad vos nominatim pertinet. Mandatum hoc, id est, legatio hæc à Deo. R. Selomo exponit, Mandatum hoc, id est, hoc præceptum, nimirum, vt ne amplius tales hostias à populo recipiatis, nec in altari meo offeratis. Et est bona expositio. ¶ *Si nolueritis audire.*] Id est, obedire huic mandato. Heb. est, si non audieritis. ¶ *Et si nolueritis ponere super cor.*] Heb. et si non posueritis super cor, id est, si non animũ aduerteretis, & consideraueritis ea quæ à me dicuntur, & denũciantur: sed neglexeritis tãquam nihil ad vos pertinẽtia, aut tanquã rem parui momẽti. ¶ *Vt detis gloriam nomini meo.*] Ecce id quod præcipitur vobis, & quod audire & obedire debetis, & ponere super cor, vt id in mẽte & memoria, & proposito fixũ teneatis: nempe vt detis gloriã nomini meo, vestrũ officiũ cũ diligentia, fide, & synceritate facientes: id quod cùm facitis, nomen meum honoratur, & colitur à populo: cùm autem cessatis, & negligitis nomẽ meum, vile & inhonoratum habetur in vulgo. ¶ *Ait Dominus exercituum.*] Omni honore colendus & glorificandus. Vnde Dominus non

folùm de facrificiis, fed generaliter de omnibus Chriftianorum operibus, ait Matth. 5. *Sic luceant opera veſtra coram hominibus, vt videant corpora veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* ¶ *Mittam in vos egeſtatem.*] Hebr. cum articulo emphatico את המארה id eft, maledictioné illam, fubaudi, in lege prædicta. Deut. 28. vnde etiam LXX. habēt τὴν κατάραν, id eft, maledictionem illam. Sed quoniam Dei maledictio penuriam & egeftatem adfert, rectè Hieron. egeftatem vertit. ¶ *Et maledicam benedictionibus veſtris.*] id eft, benedictiones veftras in maledictiones conuertam, & pro bonis mala, pro copia inopiam, pro felicitate miferiam inueham D. Hiero. fimiliter exponit, maledicam his quæ meis benedictionibus poffidetis, vel quidquid à vobis benedicetur, à me maledictum erit. Sic Hier. R. Dauid exponit: maledicam benedictionibus veftris, quibus vos benedixi poft ædificationem templi, ficut fcriptum eft lib. 3. Reg. 8. Vbi Salomon multa bona populo precatur, & c. 9. Dominus ait: *Se preces eius audiuiſſe.* Dicit autem maledicā benedictionibus, quomodo dicitur 2. Reg. cap. 25. *Tu Domine illuminabis tenebras meas.* Quod eft, adducto lumine tenebras expelles. Sic: maledicā benedictionibus veftris. i. adducta & immiffa maledictione benedictiones veftras eiiciam. ¶ *Et maledicam illis.*] Subauditur benedictionibus veftris, & eft repetitio ad maioré rei confirmationé, Hebraicè tamen eft, וגם ארותיה *vegam arothiha*, id eft, & etiam maledixi ei: vel maledico ei, quafi dicat, hucufque maledixi benedictio-

Matth. 5.
Deut. 28.
2. Reg. 25.

congruentissimam: Sed ea nihil noui adfert, vt potes apud eum videre. Quare piget eam adscribere, & pium lectorem amplius his ineptiis Rabbinorum onerare. Quamobrem ad ea quæ in contextu prophetæ sequuntur, transeamus.

VVLG. *Et vos polluistis illud, in eo quod dicitis, mensa Domini contaminata est, & quod superponitur contemptibile est, cum ign, qui illud deuorat. Et dixistis, ecce de labore, & exufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum,, & intulistis munus: nunquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus exercituum? Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum & nomen meum horribile in gentibus.*

CHALD. *Vos autem prophanatis illud: in eo quod dicitis, mensa Domini contemptibilis est, & contemptibiliora sunt dona, quàm ea. Quod si dixeritis, ecce quod adferimus de la-*

bore

bore nostro, & suffocatis illud, ait Dominus exercituum, & adfertis raptum & claudum, & languidum, & adfertis illud in sacrificium: an suscipiam illud cum grande manu vestra, dicit Dominus exercituum? Et maledictus, qui agit cum fraude, estq́; in grege eius masculus, & voto obligatus est, & sacrificat id quod corruptum est coram Domino: quoniam Rex magnus ego, ait Dominus exercituum, & nomen meum fortè ac timendum inter populos.

¶ *Et vos polluistis*] Hebraicè pręsens est, polluistis, vnum Hier. ait: vos, ô Principes Iudæorũ polluistis illud, atque polluitis. Cùm, inquit, nomen meũ apud gẽtes magnũ sit, & in magno honore habeatur: vos Iudæi qui illud magis honorare debebatis & debetis, polluitis & contaminatis, idest, cultu vestro vili pollutum & contaminatum, atque abominabile esse existimari ab hominibus facitis. Meritò igitur vos & vestra munera reprobo & abiicio, gentes autem, & ipsarum oblationem cum gratia suscipio. Polluitis autem nomen meum, & gloriam meam in eo quod dicitis, vel verbo vel facto, vel vtroque: Mensa Domini contaminata seu polluta est, hoc est, contaminabilis, & digna quæ vilibus hostiis contaminetur & polluatur, potius quàm vt pinguibus & selectis honoretur. Et hoc loco, vt in superiori, mensa pro altari accipitur: sed mensa appellatur: quòd in eo ponerentur sacrificia, quæ sunt veluti panis & cibus Domini, vt supra iam expo- *Mensa pro altari.*

ſuimus, vnde Hieronymus ait, qui arbitrantur non altare, ſed menſam debere intelligi, in qua panes ponebantur, quo modo hoc interpretari poſſunt quod ſequitur,(cum igne qui illud deuorat)omnino non video: nec enim ignis deuorat panes propoſitionis,&c.Et item dicitis,quod ſuperponitur,ideſt, ſacrificium, quod ſuper altari incendendum ponitur contemptibile eſſe, ideſt, contemptibile & vile eſſe debet, cum igne qui illud deuorat:qui quidem ignis perinde viles & abiectas,atque optimas & ſelectas victimas deuorat & abſumit. Quaſi dicant, quid prodeſt ſi offeramus optima?qualiacunque fuerint quæ offeruntur,igne ſunt deuoranda.Sic iuxta D. Hieronymum; ſciendum autem quod in hebraico non ſit expreſſa mentio ignis: & ad verbũ legitur hoc modo,וניבו נבזה אכלו, ideſt, & ſermo eius,vilis cibus eius, hoc eſt,ſermo ſacerdotis,quem ſemper habet in ore, hic eſt nimirum cibus eius,ideſt,Dei,videlicet adeps & ſanguis & carnes mortuæ,vilis eſt,immundus atque pollutus. Vel aliter, & fructus eius vilis,cibus eius. Vtroque modo legit R. Dauid, & R. Abraham dicit eſſe epexegeſim, & fructus eius, ideſt, panis eius vilis, cibus eius videlicet. Sic R. Abraham. R. Selomo hoc modo locutio,ſeu ſermo eius,nempe altaris,vſitatus in labijs veſtris, hic eſt,iugiter:vilis eſt cibus eius, vos dicitis de eo, quaſi dicat:iam protuliſtis in illud obloquutionem hanc, & ſermonem hunc apprehendiſtis & retinuiſtis contra altare meum,nempe, vilis eſt cibus eius. Sic R. Selomo. LXX. habent. καὶ τὰ

ἐπιτι

ἐπιτιθέμενα ἐξουδενωμένα βρώματα αὐτοῦ,id est,ſuperpoſiti contemnuntur cibi eius. Et pronomen, eius,refertur ad ipſum Dominum,non ad menſam,quæ Græcè fœminini generis eſt,τράπεζα: Græcè verò ſcribitur, αὐτοῦ generis maſculini.D.autem Hier. neſcio cui ſcripſerit: fructus autem altaris ignis eſt;cibúſque ignis,hoſtiæ vel holocauſta:niſi fortè ſpiritualiter intelligit, quod fructus altaris, ideſt ſacrificij eſt ignis,hoc eſt, charitas & amor Dei,qui in ſacrificando excitatur & accenditur: De quo igne Dominus ait,*Ignem veni mittere in terram, & quid volo,niſi vt ardeat?* huius autem ignis cibus ſunt hoſtiæ & holocauſta, ideſt, nos ipſi quos totos in ſe charitas, & in Deum conuertit,ſicut ignis materiã & ligna in ſe tranſmutat,vt non iam faciant effectum ligni, ſed ignis: ſic etiam qui in Deum conuerſus eſt per charitatem(qui enim Deo adhęret,vnus ſpiritus eſt)iã non facit effectus carnis & ſanguinis,ſed effectus Dei atque diuinos.Idem D.Hiero.etiam in præſenti: ſentit Iudæos ideò dixiſſe altare Dei pollutum, quòd non eſſet præclarè ædificatum & exornatum. Ait enim: putabant minorem eſſe cultum religionis, quia templi ornatus deerat: Ad quos Dominus loquitur:Nõ intelligitis omnipotentem Deum, non aurum gemmáſque, & hoſtiarum multitudinem quærere: ſed offerentium voluntates.Sic Hieronymus: ſciendum tamen,Deum opt.max,voluntates quidem primariò quærere:Deinde etiã voluntatis ſigna, hoc eſt,opera etiam exteriora.Indignum eſt enim vt priuata domus nitida ſit & ſplendida, domus

De primario voluntates quærit, deinde voluntatis ſigna externa.

autem

autem Dei obſcura & neglecta. Vnde Dauid ad Nathan prophetam ait. 2. reg 7. *Vides ne quòd ego habitem in domo cedrina, &c.* Et ipſemet Dominus multa ad vſum tẽpli ex auro puro fieri præcepit. Non igitur huiuſmodi diuitias & ſplendorem in domo ſua Deus contemnit: ſed tamẽ vult ea eſſe cum pietate coniũcta. Nam ſi pietas abſit, omnia tradet in manus Nabuchodonoſor, aut Titi. ¶ *Et dixiſtis, ecce de labore, & exufflaſtis illud, dicit Dominus exercituũ.* i. nõ ſufficit prioris ſermonis impietas, ſed inſuper dicitis, de captiuitate reuerſi ſumus, hoſtib. prędæ fuimus, multùm in longo itinere laborauimus, pauperes ſumus, quidquid habere potuimus, viæ labore conſumptũ eſt: qualiacunque habemus, offerimus: & hæc dicendo exufflaſtis veſtra ſacrificia, id eſt, exufflatione mea digni fuiſtis, ſiue vt in Heb. legi poteſt, & exufflaſtis me hæc dicendo; non ſacrificio, ſed mihi cui ſacrificabatur, feciſtis iniuriam. Quamobrem nequaquam ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus omnipotens. Sic D. Hieron. quem ſequitur Lira, & Dionyſ. R. Dauid ſcribit hoc modo: Nunc increpat populum Iſrael, ideſt, eos qui afferebant ſacrificia. Dicitis, inquit, cùm ſacrificium ſeu victimam adfertis in atrium templi. Ecce labor, ideſt, multum laboraui & defeſſus ſum de hac victima, quam portaui humeris meis, quia pinguis eſt, & carnoſa: & proieciſtis, ſeu proiicitis illud, ideſt, victimam in pauimentum per contemptum. Et ſic exponit Paraphraſtes, dicẽs: & excuſſiſtis, ſeu proieciſtis illud. Alij interpretantur: & afflixiſtis illum, ſeu dolore affeciſtis:

nempe Dominum victimæ, à quo eam rapuiſtis: ſicut ſtatim ſubiungit,& intuliſtis de rapinis. Alij verò,& exufflaſtis illud,quaſi dicat,aiunt ſe laboraſſe & fatigatos eſſe onere victimæ, quam humeris portauerunt,dicẽtes eam eſſe pinguem, & carnoſam, cùm ſit è contrario:quippe quæ adeò ſit tenuis, & ſtrigoſa & macilenta vt vel vnico flatu poſſit humi proſterni:ſic R.Dauid;ſed quod ait de Domino victimæ afflicto per rapinam, nimis coactum videtur. R.Abraham hoc modo legit,& exponit:Ecce qui,ſeu quantus labor,quod propter maledictionem, non eſt panis qui ponatur in menſa. Et exufflaſtis illum, quia eſt veluti fauilla,nec eſt in eo ſufficientia:eſtq́ue menſa vacua,nec eſt ſacrificium ſuper altare,ſicut volui.Sic R.Abrahã. R.Selomo verò hoc modo:Ecce macilenta,nempe victima:quia ſumus pauperes,nec poſſumus electas victimas,quas vouimus reddere.Et dolore affeciſtis eum,hæc eſt vna ex dictionibus quas corruperunt ſcribæ. Erat enim ſcriptum, & dolore affeciſtis me, illi verò pro me, repoſuerunt eũ,ideſt,Me & menſam meã.Sic R. Selomo.Et nota,quòd legendo me,quam lectionem etiam retulit D.Hier. planus eſt ſenſus,hoc modo:Et dixiſtis:ecce qui,ſeu quantus labor, nimirum nobis eſt,dum victimas quęritamus,quas offeramus Domino, qui macilentas reiicit, nec niſi pingues vult accipere.Et dolore affeciſtis,ſeu afficitis me, vel exufflaſtis ſeu exufflatis me hac veſtra irreligioſitate.Et illud exufflaſtis,ſignificat contempſiſtis: quomodo contemnitur floccus, & alia quæ exufflari ſolent. Placet autem mihi

valde illa lectio & expositio R. Abraham, dum legit: ecce qui, vel quantus labor; vt sit מתלאה *mattelaah*, pro מה תלאה *mah telaah*, idest, quantus labor deficiente videlicet litera ה vt etiam in illo loco מזה בידך quid est hoc in manu tua? pro, מה זה & quod Deus dicit, dolore afficitis me, est simile illi Isaiæ c. 1. *calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea:* facta sunt mihi
Isai. 1.
molesta: laboraui sustinens: & cap. 7. *nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis*
Isai. 7.
& Deo meo? & cap. 43. *seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* Quę
Isai. 43.
omnia de Deo methaphoricè dicuntur & displicentiam significant, atque odium peccati. Et intulistis de rapinis claudum, & languidum. Heb. est; & adduxisti raptum seu furto ablatum, & claudum, & languidum: & sunt tria raptum, siue etiam pingue siue macilentum: Deinde claudum: Tertio languidum: Deus enim non accipit victimam etiam pinguem, si rapta sit, nec de propriis oblatam, si clauda sit, aut languida & infirma. Oportet igitur vt acceptanda victima & propria sit, & integra atque sana. Et intulistis, idest, adduxistis victimam vel raptam vel claudam & ægrotam. Munus, idest, ad sacrificium & oblationem. ¶ *Nunquid suscipiam illud.*] Heb. nunquid volam illud, idest, nunquid placebit & gratum erit mihi. ¶ *De manu vestra*], idest, à vobis impiis & irreligiosis, quasi dicat, minimè. ¶ *Dicit Dominus exercituum,*] cui optima quæquæ debentur. ¶ *Maledictus dolosus.*] additur Heb. coniunctio, & maledictus dolosus seu fraudulentus,

Qui habet in grege ſuo maſculum], ideſt, pecudem integram & ſanam, ¶ *Et Votum faciens*, ideſt, cùm votũ fecerit ad victimã offerendã Deo vel in gratiarum actionem pro beneficio accepto vel in redemptionem peccati, vel pro liberatione ab aliquo periculo, vel quacunque alia iuſta & honeſta ratione, qua vota piè concipi & nuncupari ſolent à fidelibus. ¶ *Immolat debile Domino*] in quonam eſt dolus? Deus enim non decipitur, nec irridetur: ſed audi dolum, fraudẽ, & cogitationem ſummam fraudulentam & doloſam. Ego voui votum Domino, agnũ vel arietem, vel aliquid aliud eorum quæ Deo legitimè offeruntur. Habeo autem in grege meo duos agnos: vnum pinguem, maſculum, ſanum, integrum, qui poteſt mihi vſui eſſe: alterum languidum, ſtrigoſum, ægrotum: hunc pro voto reddã. Quid enim ſacerdos, aut ſacerdotalium iurium & redituum redemptor, & locatarius, hoc ignorabit, vel etiam ſi reſciuerit, non audebit mihi moleſtus eſſe? Quare agnum languidum, ſtrigoſum, & ægrotum ei reddam, pinguem autem atque bonum mihi retinebo: Et ea quidem, aut ei non diſſimilis eſt cogitatio doloſi. Quid autem dicit ſermo diuinus? Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum & votum faciens immolat debile Domino: Quid eſt maledictus? *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & angelis eius.* Maledictus, hoc eſt, priuatus omni gratia, omni adiutorio, omni dono, omni fructu: cui omnia in deterius cedunt, non ſolùm mala, ſed etiam bona: ſicut è contrario, diligen-

tibus Deum, omnia cooperantur in bonum, etiã peccata ipſa: Sed hoc, ex miſericordia Dei: vt autem quibus Deus benedicit, eis bona affluunt & multiplicantur: ſic è diuerſo, quibus maledicit, bona diminuuntur & deficiunt: mala autem, & infortunia ſuccreſcũt. In eo itaque dolus & fraus eſt, quòd cùm bona habeas, mala Deo offers: vnde D. Hier. ait: ſi non habes maſculum, nihil tibi nocet maledictio: ſed hæc dicendo, oſtendit eos habere quæ optima sũt, & offerre quæ mala sũt. Sic Hiero. ſed quæri poteſt, an omnino debeant ſolui decimæ ex melioribus quæ habentur. Quidam dicunt ſatis eſſe, ſi ſoluãtur ex mediocribus: Et citant. 49. di. c. vlt. vbi nihil tale inueni. Tolerabile tamen videtur, ſi citra fraudem inter meliora aliqua & mediocria dentur. In eleemoſynam autem ſatis eſſe videtur ſi des, quo egẽtis ſubleues penuriam & neceſſitatem. Vnde Aug. ait & habetur di. 41. ca. non cogantur. Non cogantur diuites pauperum cibis veſci: vtantur cõſuetudine infirmitatis ſuæ, ſed doleant aliter ſe non poſſe ſuſtentari, ſi conſuetudinem mutant, ægrotant, vtantur ſuperfluis, dent inopibus neceſſaria: Vtantur precioſis, dent pauperibus vilia, Sic Aug. Quod verò ait, vtantur ſuperfluis, non luxuriam diuitibus concedit, ſed ſuperflua vocat ea, ſine quibus viui commodè poteſt, quamuis ipſi diuites propter longam conſuetudinem ſine talibus iam viuere non poſſunt. Quod etiam ait, dent pauperibus vilia, non intelligit inutilia, ſed ea quæ ad ipſos diuites ſunt parui pretij, & tamen pauperibus ſunt vſui. Nec enim oportet

Decima an ex melioribus ſoluenda.

Superflua diuitib. permittũtur nõ indulgendo luxuriei, pro cõſuetudine ipſorũ condonando.

vt

vt diues pauperi det gallinam, aut perdicem: ſatis eſt ſi det carnem veruecinam, aut bouillam: ſicut nec oportet vt det veſtem ſericam, aut ex molliſſima lana contextam: ſufficit dare leuidenſam, aut non iam aliquantum detritam, quæ nuditatem tegat & frigus depellat. Quamuis.n.ea quæ pauperi datur, Chriſtus accipit tanquam ſibi data: non exigit tamen Chriſtus niſi vt neceſſaria detur. ¶ *Quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.*] Re vera Rex magnus, rex regum, & Dominus dominantium: Rex magnus: quia nemo eſt, imo nihil eſt quod ſubiectum non ſit eius regimini: cœlum, & terra & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & ſi quid etiam fortè extra ea eſt, *Per quem regnant, & legum conditores iuſta decernunt, per quē reges & principes imperāt, & potētes decernūt iuſtitiam.* Prou. 8. Qui terribilis eſt & aufert ſpiritum principum: terribilis regibus terræ. p. 75. *qui mutat tempora & ætates, trāſfert regna, atque cōſtituit.* Dan. 2. qui non ſubtrahet perſonam cuiuſque cùm ſit omnium dominator: neque verebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit. Sap. 6. Græcè eſt, ὐ γδ' ὑποςελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, id eſt, non enim formidabit perſonam Dominus omnium, id eſt, neminē veretur aut formidat, quamuis magna & excellens ſit perſona. Dignus igitur maledictione eſt, qui aduersùs talem tantúmque regem atque Dominum, dolo agit, & fraudem committit: quippe qui ſit cum omni ſynceritate & corporis, & animi colendus, & ex toto corde diligendus. ¶ *Et nomen meū horribile in gentibus.*]

Prou 8. Pſal. 75. Dan. 2. Sap. 6.

Antè dixit nomen meum magnum in gentibus: idque bis. Nunc tertiò ait: nomen meum horribile est in gentibus. Credimus enim quicunque ex gentibus vocati sumus, quòd omnes stare oportet ante tribunal Christi, vt referat vnus quisque prout gessit in corpore siue bonum, siue malũ; & quòd *statutum est hominibus semel mori,* & post hoc iudicium: in quo iudicio maledicti mittentur in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, & non induti veste nuptiali, ligatis manibus & pedibus proiicientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentiũ: & ingratus seruus in carcerẽ detrudetur, quousque reddat etiam nouissimum quadrantem: vides quàm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis: qui potest animam simul & corpus perdere in Gehenna. Potest etiam verbũ נורא interpretari venerandum, colendum, honorabile, vt legatur & nomen meum venerabile est in gentibus. Timor enim in scripturis sacris, signat etiam reuerentiam & cultum. Quod autem ter nomen suum Deus nominauit, mysterium innuit sanctæ trinitatis, quam gentes fideles colunt & adorant, id est, patrem, & filium, & spiritum sanctum: quorum tria sunt nomina personalia, quia tres personæ, sed deitatis vnicum nomen: quia tres personę vnus est Deus, vel, vnus sunt, Deus, cui sit honor & gloria in sæculorum sæcula. Amen.

* * *

CAP.

CAPVT II.

EDITIO VVLGATA.

ET nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes: si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris: & maledicam illis quoniam non posuistis super cor.

EDITIO CHALDAICA.

Et nunc vobis mandatum hoc, sacerdotes: si non audieritis, et si non posueritis timorem meum super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos maledictionem & maledicam benedictionibus vestris: & etiam maledicam ei, quoniam non ponitis timorem seu reuerentiam meam super cor.

¶ *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes.*] Cùm populus peccaret non idoneas nec legitimas hostias adferendo, id est, claudas, cæcas,

macilentas: & item peccarent ſacerdotes tales hoſtias recipiẽdo & immolãdo, priuatim tamẽ & nominatim ſacerdotes arguuntur & admonẽtur. Quoniam ipſorũ officium erat populũ docere in iis, quæ ad legis obſeruationẽ & Dei cultum pertinebant: quare grauius ipſorum peccatum erat. Id quod etiam nouæ legis ſacerdotes debent animaduertere atque cauere. Ait igitur: Et nunc poſtquam tam grauiter peccatis, & negligentes eſtis in veſtro officio faciendo, ô ſacerdotes, ad vos nominatim pertinet. Mandatum hoc, id eſt, legatio hæc à Deo. R. Selomo exponit, Mandatum hoc, id eſt, hoc præceptum, nimirum, vt ne amplius tales hoſtias à populo recipiatis, nec in altari meo offeratis. Et eſt bona expoſitio. ¶ *Si nolueritis audire.*] Id eſt, obedire huic mandato. Heb. eſt, ſi non audieritis. ¶ *Et ſi nolueritis ponere ſuper cor.*] Heb. et ſi non poſueritis ſuper cor, id eſt, ſi non animũ aduerteretis, & conſideraueritis ea quæ à me dicuntur, & denũciantur: ſed neglexeritis tãquam nihil ad vos pertinẽtia, aut tanquã rem parui momẽti. ¶ *Vt detis gloriam nomini meo.*] Ecce id quod præcipitur vobis, & quod audire & obedire debetis, & ponere ſuper cor, vt id in mẽte & memoria, & propoſito fixũ teneatis: nempe vt detis gloriã nomini meo, veſtrũ officiũ cũ diligentia, fide, & ſynceritate facientes: id quod cùm facitis, nomen meum honoratur, & colitur à populo: cùm autem ceſſatis, & negligitis nomẽ meum, vile & inhonoratum habetur in vulgo. ¶ *Ait Dominus exercituum.*] Omni honore colendus & glorificandus. Vnde Dominus non

ſolùm de ſacrificiis, ſed generaliter de omnibus Chriſtianorum operibus, ait Matth. 5. *Sic luceant opera veſtra coram hominibus, vt videant corpora veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* ¶ *Mittam in vos egeſtatem.*] Hebr. cum articulo emphatico את המארה id eſt, maledictioné illam, ſubaudi, in lege prædicta. Deut. 28. vnde etiam LXX. habẽt τὴν κατάραν, id eſt, maledictionem illam. Sed quoniam Dei maledictio penuriam & egeſtatem adfert, rectè Hieron. egeſtatem vertit. ¶ *Et maledicam benedictionibus veſtris.*] id eſt, benedictiones veſtras in maledictiones conuertam, & pro bonis mala, pro copia inopiam, pro felicitate miſeriam inueham D. Hiero. ſimiliter exponit, maledicam his quæ meis benedictionibus poſſidetis, vel quidquid à vobis benedicetur, à me maledictum erit. Sic Hier. R. Dauid exponit: maledicam benedictionibus veſtris, quibus vos benedixi poſt ædificationem templi, ſicut ſcriptum eſt lib. 3. Reg. 8. Vbi Salomon multa bona populo precatur, & c. 9. Dominus ait: *Se preces eius audiuiſſe.* Dicit autem maledicã benedictionibus, quomodo dicitur 2. Reg. cap. 25. *Tu Domine illuminabis tenebras meas.* Quod eſt, adducto lumine tenebras expelles. Sic: maledicã benedictionibus veſtris. i. adducta & immiſſa maledictione benedictiones veſtras eiiciam. ¶ *Et maledicam illis.*] Subauditur benedictionibus veſtris, & eſt repetitio ad maioré rei confirmationé, Hebraicè tamen eſt, וגם ארותיה *vegam arothiha*, id eſt, & etiam maledixi ei: vel maledico ei, quaſi dicat, hucuſque maledixi benedictio-

Matth. 5.

Deut. 28.

2. Reg. 25.

nem quam tribui vobis, ex quo tempore cœpiſtis contemnere me in oblatione hoſtiarum: ſed nunc addam & maledictionem, ſi non audieritis. R. Dauid. Vel non eſt opus rem ſuſpendere ſub conditione, ſi non audieritis: iam enim mihi compertum eſt, quòd non eſtis audituri. Quare iam nūc maledico eam, ſubaudi, benedictionem. Sic R. Selomo. Vel etiam & maledixi eam, id eſt, ſic feci hactenus, quòd maledixi benedictionem veſtram, quia nō poſuiſtis ſuper cor. Sic R. Abraham. Hinc intelligimus cauſam cur Deus maledictionem & egeſtatem immittit in terram, eſſe irreligioſitatem, & ſacrilegam ſacerdotum negligentiam circa diuinum cultum, & in re diuina facienda. Vnde & Apoſtolus ait, 1. Corinth. 11. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Id eſt, multi incidūt in varias corporis ægritudines, & infirmitates, atque adeò in mortem, propterea quòd indignè & irreuerenter tractant & ſumunt corpus Domini.

Sterilitas in terra propter irreligioſitatē & negligētiam ſacerdotum circa cultū diuinum. 1. Cor. 11.

VVLG. *Ecce ego proÿciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum. Et ſcietis quòd miſi ad vos mandatum iſtud: vt eſſet pactum meum cum Leui, dixit Dominus exercituum.*

CHALD. *Ecce ego deſtruo vobis pro-*

uentum frumenti, & detegam verecundiam peccatorum vestrorum contra facies vestras: & cessare faciam multitudinem festorum vestrorum, & vetabitur pars seu portio vestra ab eo: Et scietis quòd miserim ad vos mandatum hoc: vt sit pactum meum cum Leui, dixit Dominus exercituum.

¶ *Ecce ego proijciam vobis brachium.*] Quia ad sacerdotes loquitur; proiiciam, inquit, in facies vestras ea, quæ sanctiora putatis in leges, & vobis à Deo pro virtutum munere ex hostijs condonata. Brachium: pro quo LXX. ὦμον, idest, humerum interpretati sunt, idest, armum animalis dextrum. Sic D. Hiero. Est ergo sensus: Ecce ego iratus & pertæsus sacrificiorum vestrorum: proiiciam vobis, idest, in facies vestras armum, id est, partem sacrificij, quæ secundum Leui. 7. cedebat in vsum sacerdotis. Lira exponit: auferam à vobis virtutem & sustentationem. Hebr. est הנני גוער לכם את הזרע *hinneni goér lachém eth hazzéragh*, id est, Ecce destruo seu destruam vobis sementem. Et coniungitur cum præcedenti tanquam explicatio maledictionis: ea, inquit, erit mea in vos maledictio, quod corrumpam ac destruam semina & segetes vestras, vt nihil, aut valde parum vobis proueniat ex eis. Vnde etiam propter eundem neglectum cultus diuini, dicitur Aggæi cap. 1. *Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati.* ¶ *Et dispergam super vultum vestrum stercus solemnita-* Agg. 1.

tum

tum vestrarum.] Hebræi legunt, agnorum vestrorum, id est, חגיכם *Chagghechêm*: vt etiam Psal. 117. *Pro illo, constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris* legunt: *ligate agnum funibus vsque ad cornua altaris.* Quo etiam modo vertit Paguinus. Hieronymus tamen habet: frequentate solemnitatem in frondosis: vsque ad cornua altaris. Et in contextu quem Cardinalis Caietanus interpretatur, ligate festũ in frõdibus, vsque ad cornua altaris. Hebræi tamen nomen חג quod etiam festum & solennitatem significat, in quibusdam locis interpretãtur כבש *Kebes*, id est, agnũ anniculũ, vt in citato loco Psal. 117. in quo satis innuitur passio Domini, qui ligatus ductus est vsque ad cornua altaris, id est, vsque ad crucem. Nusquam enim in lege iubetur, vt agnus immolandus funibus alligatus ad altare duceretur: sed de solo agno Dei qui tollit peccata mundi, id dictum & prædictum fuit. Vnde de eo Ioannes non obiter & perfunctoriè, sed notabiliter dixit cap. 18. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Et eodem modo ligatum atque vinctum, Matthæus non otiosè dicit c. 27. Pontifices & principes sacerdotum, ac seniores populi Christum adduxisse atque tradidisse Pontio Pilato præsidi. Atque ita vinctus & ligatus vsque ad cornua altaris, id est, vsque ad crucem perductus est agnus, qui soluit peccata mundi: quod autem dicitur ligatum agnum, est simile: quod facis, fac citius. Non imperat, sed desiderium suum dicit. Hebræi itaque legunt & exponũt hoc modo: Ecce ego corrumpo, seu corrumpam

Psal. 117.

Passio Domini significatur quod ligatus scribatur.

Agnus immolãdus nõ alligabatur funibus ad altare.

Ioan. 18.

Matth. 27.

Isa. 13.

pam vobis sementem, & spargam stercus super facies vestras, stercus agnorum vestrorum: & adducet vos ad ipsum stercus, id est, fimum quem egerunt iumenta & belluę. Et dixit prius, stercus: deinde exposuit, stercus agnorum vestrorum. Animalia enim quæ sacrificabantur, dicebantur חגים *chagghîm:* quod nomen aliàs significat festum & solennitatem, vt Psal. 117. *Ligate agnum funibus.* Et Isa. 29. *Agni excidantur.* Pro quo nos habemus, *Solennitates euolutæ sunt.* Et Exod. 23. nec remanebit adeps agni mei vsque mane, *Vbi nos adeps solennitatis meæ.* Appellatur autem sacrificium seu holocaustum חג *chag*, id est, festum, seu solennitas: propterea quòd plurima sacrificia in festis & solennitatibus offerebantur. Est autem huius loci sensus: Quemadmodum vos contemnitis me in sacrificiis, sic ego contemnam vos in eisdem. Quoniam id quod vilissimum est belluarum, hoc est, stercus, aspergam in facies vestras, quasi dicat, afficiam vos ignominia & pudore, propter famem: dum corrupero sementem quam seminaueritis, & panis penuriam induxero. Qua ex re, pudore & verecundia afficiemini apud gentes vicinas. Vnde ait Ioelis c. 2. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & replebimini eo: & non dabo vos vltra opprobrium in gentibus.* Itaque afficiemini pudore & contemptu: perinde ac si aspersissem stercus in facies vestras. ¶ *Et assumet vos secum.*] vel, & adducet vos ad ipsum ונשא אתכם אליו *Venassá ethchêm eláu.* Iniquitas vestra adducet vos ad hoc opprobrium & ignominiam: mensuram pro (mensura)

Psal. 117.
Isai. 29.
Exod. 23.
Plurima sacrificia in solennitatibus offerebãtur, ideo sacrificiũ festum dictum.
Ioel 2.

par

par pari: vos ſpreuiſtis me & contempſiſtis: eritis item ipſi ſpreti & contempti. ❡ *Et ſcietis.*] Sic à me puniti, quòd miſerim ad vos mandatum iſtud, vt eſſet, ſeu, vt ſit pactum meum cum Leui. Idcirco ita iuſto pręcipiendo, quia volo vt ſit pactum meũ cum tribu Leui, quã elegi. Sic R. Dauid. R. Abrahã hoc modo: Et ſpargã ſtercus belluarum ſacrificiorum veſtrorum in facies veſtras, quaſi dicat, non recipietis mercedem à me, ſed malum & confuſioné ſeu pudorem: & deſtruam vobis ſementem agri. Et aſſumet vos ad ſeipſum ſtercus belluarum ſacrificiorum veſtrorum: aſſumet vos ad ſe vt ſitis viles & contempti, ſicut ipſum: ſic R. Abraham. R. Solomo hoc modo: Increpabo ſementem, vt nó germinet, propterea quòd eſt menſa mea vacua. Illud autem, ſtercus ſolennitatum veſtrarum, ſignificat, ſacrificiorum veſtrorum. Proiiciam ipſum in facies veſtras, hoc eſt, procul abiiciam vos à facie mea, vt non videam vos. Et aſſumet vos ad ſe, aſſumptor aſſumet vos ad ſe, hoc eſt, inimicus. Et ſcietis: Tunc ſcietis, ſi non audieritis me. Nunc loquitur cum Iſrael, qui obligatus erat honorare ſacerdotes, miniſtros Dei, & facere ſicut docebant eum, nec adferre hoſtiam maculatam. Sic R. Selomo. Hinc facilè intelligitur, quamobrem Iudęi à Deo contemnuntur, & cur auertit faciem ſuam ab eis: quia videlicet facies gerunt ſtercore ſuorum ſacrificiorum, & mortiferarum ceremoniarum conſperſas, & contaminatas ab ipſomet Deo, cui ſe placere exiſtimant. Et nos igitur ſtudeamus ſic Deo ſacrificia noſtra offerre, ſiue ea orationes

ſint, ſiue eleemoſynæ, ſiue ieiunia, vt non ab ipſo audiamus: diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum & ſacrificiorum veſtrorum: *Sed omne quodcunque facimus in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti gratias agentes Deo, & patri per ipſum.* Coloſſenſ. 3. *Et ſiue manducamus, ſiue bibimus, vel aliud quid facimus, omnia in gloriam Dei faciamus.* 1. Cor. 10. Coloſſ. 3.
Hoc enim pactum Domini eſt, non cum Leui, ſed cum omnibus Chriſtianis. 1. Cor. 10.

VVLG. *Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me: & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius: in pace & in æquitate ambulauit mecũ, & multos auertit ab iniquitate, labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt.*

CHALD. *Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei doctrinam legis meæ perfectam, & timuit me: & nomen meum reueritus eſt. Lex veritatis fuit in ore eius, & mendacium non eſt inuentum in labijs eius: cum pace & bona voluntate, & cum rectitu-*

dine

dine ambulauit coram me, & multos reduxit à peccato: quoniam labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem quærent ab ore eius: quia miniſter coram Domino exercituum ipſe eſt.

¶ *Pactum meum.*] Deſcribitur ex perſona Dei, perfecti officium ſacerdotis qualis eſſe debeat, & qualem eum eſſe voluerit, qui eſſe præcepit: Et per comparationem ſanctitatis ſacerdotum primò inſtitutorum, id eſt, Aaron, Eleazari, Phinees, & cæterorum qui de eius ſtirpe generati ſunt:eorum poſteros arguit,quòd à patrum religione degenauerint, & ab exemplo receſſerint.Ait igitur: ¶ *Pactum meum fuerit cum eo vitæ,& pacis.*] Pactum de ſacrificiis offerendis,& docenda lege fuit mihi cum eo,id eſt, cum tribu Leui, quam peculiariter elegi,vt mihi miniſtraret:propter quod miniſterium decimas omnium ab aliis tribubus ei dare præcepi, vt congruam habentes ſuſtentationem, toti in meo cultu & & miniſterio eſſent. ¶ *Vitæ & pacis.*] Vt videlicet propter ſacerdotum miniſterium in ſacrificando,& docēdo,eſſet Iſraëli pax & vita. Quod intelligi poteſt de pace, id eſt, proſperitate temporali:& ſimiliter de vita præſenti. Quia in lege bona temporalia promittebantur eam ſeruantibus:& mala quoque tēporalia intentabantur,legem tranſgredientibus.Qui tamen legem ſeruabant cum fide & charitate,ad legem iam nouam pertinebant, & bona æterna merebantur, per Chriſtum ea obtenturi. De vtraque igitur & vita & pace poteſt intelligi, id eſt, tam de vita &

pace præsenti, quàm de futura & æterna: nam etiam vita, & pax præsens donum Dei est, & vtranque sacerdotes quærere à Deo debent: primùm sibi, deinde populo. Hieron. tamen ait, vitæ autem pactum non huius arbitremur, quæ nobis cum bestiis communis est: sed illius, quæ dicit: *Ego sum vita*. Etenim vita nostra cum Christo abscondita est in Deo: Sic Hieron. Sciendum tamen duplicem esse hominis etiam in hoc sæculo vitam: alteram qua sentit, alteram qua intelligit, & ratione vtitur, atque hæc nobis minimè cum bellius communis est: & optandum, vt ea rectè instituatur & viuatur. Quinetiam illa, quæ nobis cum belluis communis est, optanda, & à Deo petēda est: quatenus vitæ rationali subseruire potest: de qua etiam scriptura dicit: *Honora medicum propter necessitatem*. Eccles. 38. Et beatus Paulus Timotheū monet, ne iam aquam bibat, sed modico vino vtatur propter stomachū, & alias eius infirmitates, quas aquæ potus augebat. Hæc tamen omnia, quæ ad corporis necessitates leuandas aut sustinendas attinent, non tanquam præmium & merces expectanda sunt: præmium enim & merces omnis laboris & operis Christianorum, regnum cælorum est: sed tanquam medicinæ quædam, & instrumenta, quibus victoria obtineatur, & regnum cælorum rapiatur: Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quare dicit, violenti rapiunt? hoc est, qui carni, & mundo, & diabolo resistentes, qui nos à regno cælorum conantur auertere, vim mundo, & carni, & diabolo in se ipsis in-

Optandū vt ea vita quæ nobis intellectualis est, rectè instituatur.

Vita quæ nobis cum bellius communis est quomodo à Deo petenda.

Eccles. 38.

1. Tim 5.

Matth. 11.

ferunt: neque solùm his inimicis non obediunt eorum suggestionibus consentiendo, sed etiam eos expellunt & arcent: & omnes aditus præcludunt, quibus ingredi possunt: nec vllam intra se requiem aut pacem eis concedunt. Sed cur ait, rapiunt? Nunquid rapiunt regnum cælorum, qui etiam vltro offert? cui igitur rapiunt? An carni, mundo, & Diabolo? atqui isti regnum cælorum non habent. Nihil autem rapitur ei qui non habet. His tamen rapitur regnum cælorum, veluti vt in re angusta exemplo vtar humili: si quis cani palearium seruanti paleam rapiat. R. Dauid interpretatur pactum vitæ, de vita propria ipsius Phinees sacerdotis: quippe qui diutissimè vixerit, hoc est, vltra trecentos annos, etiam secundùm eos qui negant eum fuisse Eliam, vixit enim vsque ad facinus illud de concubina Leuitæ: vnde dicitur Iud. cap. 20. *Phinees filius Eleazari filij Aaron, erat præpositus domus, cuius tunc erant anni vitæ supra trecentos.* Sic R. Dauid. Ex cuius verbis patet, aliquos opinatos fuisse Eliam fuisse Phinees sacerdotem. R. Abraham exponit de vita ipsius Phinees, & posterorum eius, in quibus sacerdotium ei perpetuandum Deus promisit, Num. cap. 25. vbi legitur hoc modo: *Phinees filius Eleazar filij Aaron sacerdotis requiescere fecit furorem meum à filijs Israel in zelo meo, sic dicens: Ecce ego dabo ei testamentum pacis, & erit ipsi & semini eius, post eum testamentum sacerdotij sempiterni: pro eo quòd zelatus est Deo suo, & exorauit pro filijs Israel:* Sic ibi. Ad quem locum in præsenti alludit propheta. Ex quo intelligitur, rectè exponi à R. Se-

Phinees sacerdos 300. annis vixit: an fuerit Elias.
Iud. 20.
Num. 25.

lomo,

lomo, pactũ vitæ & pacis, id est, pactum, quo populo vita concedatur, & pax cum Deo, quandiu sacerdotes officium suum rectè fuerint executi, & Deo placuerint, vt fecit Phinees. Nam etiam si populus peccet, placatur tamen Deus precibus & sacrificiis sacerdotum. Vnde etiam ait Eli. 1. Reg. 2. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus:* subaudi precibus sacerdotum: *si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Sic ibi. Propriè autem in Deum peccat sacerdos, vtpote in Dei ministerium peculiariter destinatus. Filij enim Eli in eo peccabant, quòd mulieres ad solennitatem Domini veniẽtes violabãt. Quamobrem non solùm sacerdotio, sed etiam vita priuati sunt: non solùm ipsi, sed etiam ipsorum pater, quòd eos non castigauisset. ¶ *Et dedi ei timorem.*] Id est, dedi tribui Leui, id est, sacerdotibus, Aaroni, & filiis eius, vt timerent me. *Principium enim sapientiæ timor Domini.* Hebraicè est ואתנם לו מורא *Vaettenẽm lô morá,* id est, & dedi ẽa ipsi timorem, id est, dedi ei vitam & pacem, propter timorem quo timuit me. Sic R. Dauid, qui supplet particulam propter. R. Abraham hoc modo: Et dedi ea ipsi, vt acciperet ea cum timore, & sic fecit: nam timuit me. R. Selomo legit: & dedi eos ei timorem, id est, tribui Israeli vt timerent eum: ipse verò Deum timeret. Sic R. Selomo. Ex eo enim quòd sacerdos Deum timet, & reueretur, fit vt item populus sacerdotem timeat, & reuereatur; vnde & Apostolus ait: *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* 1. Cor. 4. Potest etiam repeti verbum (dedi) hoc modo: & dedi ea

Precibus & sacerdotis sacrificijs condonat Dominus populo peccata sua. 1. Reg. 2.

1. Cor. 4.

ei, id eſt, pacem & vitam, & dedi ei timorem,& timuit me. ¶ *Et à facie nominis mei pauebat.*] Epexegeſis eſt. Pauebat. Hebr. נחת הוא *Nichath hic*, id eſt,conterebatur,aut conſternabatur.Vnde Hieron. ait : & à facie mea formidabat, ſiue ſubtrahebat ſe, atque contrahebat, mentis formidinem horrore corporis indicando:iuxta illud quod ſcriptum eſt, *Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem & quietum,& trementem verba mea?*

Iſa 66. Iſa.66.Sic Hiero. Intelligitur autem timor reuerentiæ qualis fuit in Petro, quando dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Luc. cap. 5.

Timor reuerentia laudabilis.

Luc. 5.

¶ *Lex veritatis fuit in ore eius.*] Hoc eſt doctrina populorum:quæ in ſacerdote nullo debet mendacio deturpari:ſed tota de veritatis fonte procedere. Et ſicut eſt lex Domini in ore eius, dū eam populum & proximos docet : ſic ſit quoque in corde eius, vt non aliud in ore habeat, aliud in corde: eo enim pacto lex Domini quæ in ſe vera eſt,erit etiam vera in ore eius,vt de eo etiam dici poſſit quòd loquitur veritatem in corde ſuo : eſt etiam lex veritatis in ore ſacerdotis, iuxta R. Selomo : quando non corrumpitur muneribus, vt proferat ſententiam iniquam,& iudicium minus rectum. ¶ *Et iniquitas non eſt inuenta in labijs eius.*] Vt imitetur Dominum ſuum,de quo dicitur: *Qui peccatum non fecit nec dolus inuentus eſt in ore eius.*

1.Petr.2. 1.Pet.2. qui viam Dei in veritate doceat, nec ſit ei cura de aliquo,id eſt, neque reſpectum habeat perſonarum,ſed veritatis & iuſtitiæ. ¶ *In pace & in æquitate ambulauit mecum.*] Vt & ipſe in ſe pacem habeat, & cæteros pacificet. Ambulauit

mecum,

mecum, coniungendo voluntatem suam cum mea. In pace, id est, cum pace, quæ nulla est inter Deum & operantes iniquitatem, sed bellum irreconciliabile: vnde ait: *Non veni pacem mittere in terram, sed bellum. Non enim est pax impiis,* dicit Dominus. Vis habere pacem cum Deo? serua mandata eius. ¶ *Et in æquitate.*] ובמישור id est, & cum rectitudine. Vt enim linea recta est, quæ ad regulam rectam deducitur: sic via hominis ea recta est, quæ Dei legem ducem sequitur. R. Dauid exponit, in pace quia adhęrebat mihi, faciendo voluntatem meam, iuxta illud Isa. 27. *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.* ¶ *Et in rectitudine.*] quia ambulauit per vias filiorum Adæ via recta, & in vtrisque ipse mecum: quoniam hæc sunt quæ volo, id est, facere misericordiam, & iudicium & iustitiam in terra. Hiere. 9. Sic R. Dauid. ¶ *Et multos auertit ab iniquitate.*] Qui sacerdos est, & non corripit delinquentes, sacerdotis officium præterit. Vtroque autem modo intelligi potest, vel quòd auertit multos ab iniquitate, quam iam habebant, exhortando & mouendo eos ad pœnitentiam, vel ab iniquitate in quam caderent, nisi fuissent à sacerdote dissuasi, & pręmoniti atque edocti per legem Dei de suppliciis, quæ peccantibus sunt parata: & de fœlicitate, quæ legem Dei seruantibus est reposita. Vnde & Apostolus Christum admonet, dicẽs, 1. Timo. 4. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: insta in illis, hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Et ipsemet Paulus de se ait Actor. 20. *Nihil subtraxi vobis vtilium, quominus annũciarem*

Isa. 27.

Hierem. 9.

Officiũ Sacerdotis corripere delinquentes.

1. Tim. 4.

Act. 20.

vobis, & docerem vos publicè & per domos, testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deũ pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Et infra: memoria retinete, quòd per triennium non cessaui nocte & die, cum lachrymis monere vnũquenquem vestrum, &c. Vtinam nunc multos vel saltem aliquos Pauli similes pastores haberemus. Sed videãt Domini venerãdi quibus & qualibus successerint, quorúmque in Ecclesia locum teneant, ne de ipsis etiam dicatur id, quod Dominus sacerdotibus veteris legis ait: *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.* Non solùm autem docendo & exhortando debet sacerdos auertere populum ab iniquitate, sed etiam ad exemplum ipsiusmet Christi, & beati Pauli. ¶ *Labia enim sacerdotis custodient scientiam.*] non dixit, proferent, sed custodient, vt loquantur in tempore, déntque conseruis cibaria in tempore suo. Sic D. Hiero. Custodient, id est, custodire debent: ne pereat. Iam enim prorsus Catholica & Euangelica doctrina extincta fuisset, nisi assiduis sermonibus, & homiliis conseruãta in cordibus fidelium fuisset. Et notabiliter dixit (labia) Non enim sufficit vt doctrinam scribant, & literis mandent: sed oportet etiam labia adhibere, & vel memoriter vel ex libro recitanda, clara voce prędicare. Vnde sacerdotibus dicitur Leui. cap. 10. *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis, quando intrabitis in tabernaculum testimonij ne moriamini, quia praeceptum sempiternum est in generationes vestras: & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum &*

Doctrinã sanã in promptu habere debent sacerdotes.

Leuit. 10.

mundum

mundum, doceatisq́, filios Iſrael omnia legitima mea. Deut.33. iuxta Hebraicũm. *Hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum probauerunt, docebunt Iacob iudicia tua, & Iſrael legem tuam*: ¶ *Et legem requirent ex ore eius.*] Aggęi 2. hoc idem ſcribitur. *Interrogate ſacerdotes legem Domini.* Ad ſacerdotis pertinet officium, interrogatum, reſpondere de lege. Qui ſi in cęteris diligẽs & acutus, in ſcripturis ſanctis rudis fuerit & negligens, fruſtrà iactat dignitatem, cuius opera non exhibet. Non eſt enim Epiſcopatus & ſacerdotium eſca, & potus, ſed ſolicitudo Eccleſiæ, & ſanctarũ ſcripturarum iugis meditatio. Quemadmodum ex fonte petitur & quæritur aqua, ſic ex ore ſacerdotis lex, & regula ad bene beatéque viuendum. Sed duo mala faciunt quidam: *Deum derelinquunt fontem aquæ viuæ, & effodiunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Hiere.c.2. duo hæc mala faciunt, qui relictis ſanctis ſcripturis, & ſanctorum doctorum monumentis, in profanis, & item in laſciuis authoribus lectitandis delectantur: in quibus non aquæ viuæ & ſalutares, ſed mortiferę inueniuntur, eæq́ue tantò nocentiores quantùm primo guſtu dulciores. ¶ *Quia angelus Domini exercituũ eſt.*] Angelus; id eſt, nũtius, ſacerdos Dei rectiſſimè dicitur: quia Dei & hominũ ſequeſter eſt, eiúſque ad populum nuntiat voluntatem. Et idcirco in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina & veritas ponitur: vt diſcamus ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem Dominicæ veritatis. Sic D. Hiero. Rationale autẽ, doctrina, & veritas, ornamentum

Deut.33.

Aggęi 2.

Ad ſacerdotẽ ſpectat, ad interrogata reſpõdere de lege.

Sacerdos & Pötifex Angelus, nütius legatus & Apostolus.

erant sacerdotis magni, quæ Hebraicè dicuntur *chósem, vrim, & tummim.* Notandum igitur, quod sacerdos & Pontifex est. מלאך *malcach*, id est, angelus, nuntius, legatus, & Apostolus summi Dei, in docenda & tradenda diuina doctrina, & veritate. Ex quo intelligitur quanta ei fides debeat adhiberi: quantaque item ipse debeat sanctitate & grauitate pollere.

VVLG. *Vos autem recessistis de via, & scandalisastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis: sicut nō seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.*

CHALD. *Vos autem declinastis à via, & ruere fecistis multos in lege: corrupistis pactum quod erat cum Leui, dicit Dominus exercituum. Et etiam ego feci vos contemptibiles, & debiles omni populo, sicut & vos non seruatis vias, quæ rectè sunt coram me, & personas respicitis in lege.*

¶ *Vos autem recessistis de via.*] Id est, vos autem degenerastis à sanctitate, & recessistis ab exēplo patrum vestrorum, in quibus primis sacerdotium institui, nec mores eorum & vitæ innocentiam

sequuti

ſequuti eſtis: vt de illis dici poſſit id quod de Eli: *Non ambulauerunt filij eius in vijs illius, ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.* 1.Reg.8. Vos autem receſſiſtis de via recta, dicente me Deut. 5. *Non declines neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Declinare ad dexteram, eſt abſtinere à cibis quos Deus creauit ad vtendum: contemnere nuptias, & in illud incurrere quod in alio loco ſcriptum eſt, Eccleſ. 7. *Ne ſis iuſtus multùm.* Ad ſiniſtram diuertere eſt cùm quis luxuriæ ſe tradit, & libidini. Sic Hieron. cùm autem dicit, Abſtinere à cibis, &c. notat Encratitas hæreticos, qui nuptias damnabant tanquam malas, & eſum carnium. De quibus vide Aug. de hæreſib. ad quod vult Deum, hæreſi 25. Ergo receſſiſtis de via ſacerdotum antiquorum, quæ recta erat, & noua diuerticula adinueniſtis.

1.Reg.8. Deut.5. Declinare ad dexterã eſt peccare per exceſſũ virtutis. Eccleſiaſt.7. Declinare ad ſiniſtrã peccare per defectũ virtutis. Encratitæ hæretici dãnabant nuptias & eſũ carnium.

¶ *Et ſcandalizaſtis plurimos in lege.*] Id eſt, multis qui in lege & fide ſtabant, offendiculo fuiſtis, & cauſa ruinæ, contra illud, *& multos auertit ab iniquitate.* Scandalizare Græcum verbum eſt, & ſignificat obſtaculo ſeu offendiculo obiecto aliquem impingere, ſeu alicui præbere cauſam lapſus & ruinæ. Multis autem modis ſacerdos & doctor legis ſcandalizat: Vel ſi omnino non doceat, ſic enim neceſſe eſt populum ignorantia laborantem cadere: Vel ſi praua & falſa doceat: Vel ſi malè viuat: Vnde rectè ait Cicero: Non tantum mali eſt peccare principes, quãtum illud, quod permulti imitatores principum exiſtunt. Et ibidem, perniciosè merentur de rep. principes vicioſi, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed

Scãdalizare vnde & quid ſignificet. Scandalum ex malo exẽplo vitæ.

ea infundunt in ciuitatem: neque solùm obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur: sed etiam quòd corrumpunt, plúsque exemplo, quàm peccato nocent. Nam, vt alibi idem verè dicit, Quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant, & aliquid, atque adeò multa addunt & adferunt de suo. ¶ *Irritum fecistis pactum Leui.*] Id est, pactum quod sancitum est inter me & tribum Leuiticam: violastis & corrupistis, sacerdotale officium negligendo & peruertendo. ¶ *Propter quod & ego dedi.*] Id est, feci vos *contemptibiles*, id est, vt populus vos contemnat: & pro honore & gloria quasi deiectos, humilésque calcet. Sicut vos contemnitis me, sic faciam vt ipsi contempti sitis, vt populus, cuius respectum habetis, & quem corripere non vultis, quo ipsius beneuolentiam mereamini, vos contemnat, & viles atque abiectos iudicet: sicut vulgo dicunt. Falsi testis merces & præmiũ est contemptio. Iure enim nescio quomodo fit, vt qui aliorum captare beneuolentiam iniquis modis curant, ab illis ipsis contemnantur, quibus multa indulgent & blandiuntur, atque largiuntur. ¶ *Et humiles.*] Hebr. שפלים *Schephalim*, hoc est, abiectos, viles, & nullius boni meriti. ¶ *Omnibus populis.*] Hebraicè singulariter dicitur omni populo. Sacerdos enim debet obsequium & ministerium Deo, populus autem reuerentiam & honorem sacerdoti. Quare, si sacerdos Deo non reddit id quod debet, iure ei à populo etiam negatur quod ei debetur. Vnde subiungit. ¶ *Sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.*] Quasi dicat, par pari, vel, vt Hebræi dicunt, mensura pro men-

sura,

ſura, pro contemptione veſtra mei, erit contẽptio veſtri à populo. Et accepiſtis faciem in lege, inter omnia peccata Leui, ſiue eorũ qui ex Leui ſunt, ſacerdotum Dei, illud & vltimum & maximum ponitur, quod accipiant faciem in lege, & non cauſas, ſed perſonas conſiderent: iuſtúmque pauperem deſpicientes, iniquos diuites ſuſcipiant & honorent: Ad quos dicitur. Pſal. 81. *vſque quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Et ad Gal. 2. *perſonã hominis Deus non accipit.* Pleniúſque Apoſtolus Iacob. c. 2. hoc peccatũ arguit & condemnat. Sic D. Hier. Accipere faciem in ſcripturis eſt quod etiam dicitur accipere perſonam, & acceptio perſonarum: quod etiam dicitur reſpicere perſonam, & perſonarum reſpectus. Id autem fit, quando iniquam ſententiam quis fert, veritus alicuius nobilis aut principis potẽtiam: vel, ab eo aliquid emolumenti expectans, quod malum valde latè ſerpit. In lege verò, hoc eſt in iudicio, quod ſecundùm legem iudicandum eſt, non ſecundùm metum aut ſpem: contra illud quod de antiquo ſacerdote dicebatur. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius.* Accipere faciem, & perſonas reſpicere in ſecularibus etiam & temporalibus negotiis, iniquum & iniuſtum eſt: at in rebus ſacris, & ad Eccleſiaſticam fidem & diſciplinam pertinentibus, immanè & execrandum ſacrilegium.

Pſal. 81. *Gal. 2.* *Iacob. 2.* *Accipere faciẽ pro accipere perſonam.*

VVLG. *Nunquid non pater vnus omnium noſtrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpexit*

vnusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? transgressus est Iuda & abominatio facta est in Israel, & in Hierusalem: quia contaminauit Iudas sanctificationẽ Domini quam dilexit & habuit filiam Dei alieni.

CHALD. *Nonne pater vnus omnibus nobis? nonne Deus vnus creauit nos? cur præuaricabimur vnusquisque in fratrem suum? profanando pactum quod fuit cum patribus nostris? Dolosè egerunt qui sunt de domo Iuda, & abominatio facta est in Israel & in Hierusalem: quia profanauerunt qui sunt de domo Iuda animam suam, quæ erat sancta coram Domino, quam dilexit & placuit eis accipere vxores sibi filias populorum.*

¶ *Nunquid non.*] Hucusque reprehendit & obiurgauit tam populum, quàm sacerdotes, de peccato quod committebant circa diuinum cultum, sacrificia illegitima adferendo & offerendo: nũc arguit eosdẽ de alio peccato, quod circa matrimonia perpetrabant, alienigenas vxores contra legis vetationẽ ducendo. Preceperat enim Dominus Exod. 34. dicens: *nec vxorem de filiabus eorum*, (id est, gentium idololatrarũ,) *accipies filiis tuis: ne postquã ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciãt & filios*

Exod. 34.

tuos

tuos in Deos suos. Iudæi autem de Babylone reuersi tam plebs, quàm sacerdotes, vt ex Hebræorum traditione refert D. Hier. abiecerunt vxores suas Israelitici generis, quæ paupertate & iniuria longioris viæ, & fragilitate sexus non ferentes laborem, confectæ erant, & infirmitatem ac deformitatem corporum contraxerant: & cum alienigenis vel ætate florentibus, vel, cultu corporũ pulchrioribus, vel, potẽtum ac diuitum filiabus, matrimonia copularunt. Corripit ergo eos propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, vt vxores quas remiserãt, accipiant. Sic Hier. In Esdra tamen cap. 9 & 10. non dicitur eos proprias vxores Israelitici generis abiecisse: sed solùm alienigenas accepisse: quas tamen abiecerũt, & pœnitentiam egerunt. R. Dauid ait, eos super vxores legitimas quas habebant Israelitidas, alias insuper duxisse alienigenas, eásque magis quàm proprias & legitimas dilexisse. Tamen R. etiam Selomo dicit, quòd proprias eiiciebant propter alienigenas, sed nullam citat traditionem, sed librum Esdræ: in quo tamen solùm arguũtur quòd alienigenas vxores accepissent. Ait ergo. ¶ *Nunquid non pater vnus omnium nostrum.*] Enthymema est. Si Deus voluit vt omnes ex vno patre Abraham nasceremur, essemúsque ei populus electus, separatus ab omni alio populo: cur alienigenas vxores ducitis & genus sanctum cum prophano eo miscetis? Vnde Esdræ cap. 9. *Conqueruntur principes dicendo: Non est separatus populus Israel, & sacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum: tulerũt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerunt se-*

Esdr. 9.

Esdr. 9.

men

Ex indulgẽtia concessum alienigenas accipere in vxores, quare & quomodo.

men sanctum cum populis terrarum, &c. Quòd si passim permissi fuissent alienigenas vxores accipere, eadem etiam facilitate filias suas darẽt alienigenis, & sic citò genus totum corrumperetur, & in vnum alium coalesceret. Dico autẽ passim: quoniam ex quadam gratia aliqui alienigenas vxores acceperũt, nec de ea re sunt reprehensi: vt Salomon accepit Rahab, & Booz accepit Ruth, sed istæ iam erant fideles. R. Dauid patrem vnum interpretatur Iacob; hoc modo edisserens: Nonne pater vnus est omnibus nobis? Quia omnes sumus filij Iacob, tam viri, quàm mulieres: & omnes sumus fratres, cur igitur præuaricemur, & fidem frangamus vnusquisque fratri suo? ¶ *Nunquid non Deus vnus creauit nos?*] Aliud quoque enthymema. Si omnes nos Israelitæ cultores sumus vnius Dei, quem Creatorem nostrum agnoscimus, & profitemur; cur cũ idololatris & multorum atque falsorum Deorum cultoribus nos cõiungimus, & eorum connubia & affinitates expetimus? ¶ *Quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum?*] Conclusio est enthymematum. Et nomine fratris intelligitur etiam soror. Fratres autem & sorores appellant Hebræi, non solùm eos qui propriè sunt fratres & sorores, sed etiam omnes cõsanguineos, & religionis socios & participes. Iniquum autem est despicere extraneos, & eis fidem frangere: sed multò iniquius, fratres & eiusdem fidei & religionis socios. Quidam autem hanc despectionem fratrum generaliter accipiunt, & non propriè, de iniuria vxoribus facta. Atque Hebraicè legitur: quare pręuaricemur, aut

fidem frangamus vnusquisque fratri suo? connumerat enim se peccantibus Propheta, propter modestiam,& vt sermo sit acceptabilior & faciliùs admittatur. Nam verbum בגד bagad, authore R. Dauid, significat transgredi pactum & fœdus cum socio initum, eumq́ue decipere, cũ in te haberet ille fiduciã : id quod Latinè dicitur fidem frangere. De hoc igitur arguuntur, quòd essent fœdifragi : quos D. Paulus ad Roman. 1. ἀσυνθέτους vocat,& ἀσπόνδους, id est, pactorum non tenaces,& infidos. Vnde addit ¶ *Violans pactum patrũ nostrorũ.*] Id est,violando legẽ olim datam patribus nostris, in qua omnis iniuria in fratrem & socium prohibetur. Trãsgressus est Iuda idem verbum quod nuper vertit despicere, nunc reddit transgredi,quod significat,vti diximus,datam fidem frangere: ergo transgressus est Iudas, & fidem fregit, violando legem Dei, quam se seruaturum promiserat:& hoc vel alienigenas mulieres ducendo, vel proprias etiam abiiciendo. Et ait, Iudas,quia hæc tribus reuersa est de Babylone cum sacerdotibus ac Leuitis. ¶ *Et abominatio facta est in Israël & in Ierusalem,*] Nequaquam in decem tribubus, quæ ab Assyriis tenebantur: sed in his qui ad Cyri regis imperium sub Zorobabel & Esdra,& Neemia de Babylonia sunt reuersi. Itaque nomen Israël, hoc loco, pro sola Iudæ tribu accipitur. Addit autem, & in Ierusalem: quasi dicat: etiam in Ierusalem, quæ ciuitas peculiariter destinata erat ad diuinum cultum, & in ea erat templum Domini, & summum sacerdotium, facta est abominatio ista. Indicat autem

eos,

ei, id eſt, pacem & vitam, & dedi ei timorem,& timuit me. ¶ *Et à facie nominis mei pauebat.*] Epexegeſis eſt. Pauebat. Hebr. נחת הוא *Nicháth hîc*, id eſt,conterebatur,aut conſternabatur. Vnde Hieron. ait : & à facie mea formidabat, ſiue ſubtrahebat ſe, atque contrahebat, mentis formidinem horrore corporis indicando:iuxta illud quod ſcriptum eſt, *Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem & quietum,& trementem verba mea?* Iſa.66.Sic Hiero. Intelligitur autem timor reuerentiæ qualis fuit in Petro, quando dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Luc. cap. 5. ¶ *Lex veritatis fuit in ore eius.*] Hoc eſt doctrina populórum:quæ in ſacerdote nullo debet mendacio deturpari:ſed tota de veritatis fonte procedere. Et ſicut eſt lex Domini in ore eius, dū eam populum & proximos docet : ſic ſit quoque in corde eius, vt non aliud in ore habeat, aliud in corde : eo enim pacto lex Domini quæ in ſe vera eſt,erit etiam vera in ore eius,vt de eo etiam dici poſſit quòd loquitur veritatem in corde ſuo : eſt etiam lex veritatis in ore ſacerdotis, iuxta R. Selomo : quando non corrumpitur muneribus, vt proferat ſententiam iniquam,& iudicium minus rectum. ¶ *Et iniquitas non eſt inuenta in labijs eius.*] Vt imitetur Dominum ſuum,de quo dicitur: *Qui peccatum non fecit nec dolus inuentus eſt in ore eius.* 1.Pet.2. qui viam Dei in veritate doceat, nec ſit ei cura de aliquo,id eſt, neque reſpectum habeat perſonarum,ſed veritatis & iuſtitiæ. ¶ *In pace & in æquitate ambulauit mecum.*] Vt & ipſe in ſe pacem habeat, & cæteros pacificet. Ambulauit

Iſa. 66.
Timor reuerentiæ laudabilis.
Luc. 5.
1.Petr.2.

mecum,

mecum, coniungendo voluntatem ſuam cum mea. In pace, id eſt, cum pace, quæ nulla eſt inter Deum & operantes iniquitatem, ſed bellum irreconciliabile: vnde ait: *Non veni pacem mittere in terram, ſed bellum. Non enim eſt pax impijs,* dicit Dominus. Vis habere pacem cum Deo? ſerua mandata eius. ¶ *Et in æquitate.*] ובמישור id eſt, & cum rectitudine. Vt enim linea recta eſt, quæ ad regulam rectam deducitur: ſic via hominis ea recta eſt, quæ Dei legem ducem ſequitur. R. Dauid exponit, in pace quia adhęrebat mihi, faciendo voluntatem meam, iuxta illud Iſa. 27. *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.* ¶ *Et in rectitudine.*] quia ambulauit per vias filiorum Adæ via recta, & in vtriſque ipſe mecum: quoniam hæc ſunt quæ volo, id eſt, facere miſericordiam, & iudicium & iuſtitiam in terra. Hiere. 9. Sic R. Dauid. ¶ *Et multos auertit ab iniquitate.*] Qui ſacerdos eſt, & non corripit delinquentes, ſacerdotis officium præterit. Vtroque autem modo intelligi poteſt, vel quòd auertit multos ab iniquitate, quam iam habebant, exhortando & mouendo eos ad pœnitentiam, vel ab iniquitate in quam caderent, niſi fuiſſent à ſacerdote diſſuaſi, & pręmoniti atque edocti per legem Dei de ſuppliciis, quæ peccantibus ſunt parata: & de fœlicitate, quæ legem Dei ſeruantibus eſt repoſita. Vnde & Apoſtolus Chriſtum admonet, dicẽs, 1. Timo. 4. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: inſta in illis, hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Et ipſemet Paulus de ſe ait Actor. 20. *Nihil ſubtraxi vobis vtilium, quominus annũciarem*

Iſa. 27.

Hierem. 9.

Officiũ Sacerdotis corripere delinquentes.

1. Tim. 4.

Act. 20.

vobis, & docerem vos publicè & per domos, testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deũ pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Et infra: memoria retinete, quòd per triennium non cessaui nocte & die, cum lachrymis monere vnũquenquem vestrum, &c. Vtinam nunc multos vel saltem aliquos Pauli similes pastores haberemus. Sed videãt Domini venerãdi quibus & qualibus successerint, quorúmque in Ecclesia locum teneant, ne de ipsis etiam dicatur id, quod Dominus sacerdotibus veteris legis ait: *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.* Non solùm autem docendo & exhortando debet sacerdos auertere populum ab iniquitate, sed etiam ad exemplum ipsiusmet Christi, & beati Pauli. ¶ *Labia enim sacerdotis custodient scientiam.*] non dixit, proferent, sed custodient, vt loquantur in tempore, déntque conseruis cibaria in tempore suo. Sic D. Hiero. Custodient, id est, custodire debent: ne pereat. Iam enim prorsus Catholica & Euangelica doctrina extincta fuisset, nisi assiduis sermonibus, & homiliis conseruata in cordibus fidelium fuisset. Et notabiliter dixit (labia) Non enim sufficit vt doctrinam scribant, & literis mandent: sed oportet etiam labia adhibere, & vel memoriter vel ex libro recitanda, clara voce prędicare. Vnde sacerdotibus dicitur Leui. cap. 10. *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis, quando intrabitis in tabernaculum testimonij ne moriamini, quia praeceptum sempiternum est in generationes vestras: & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum &*

Doctrinã sanã in promptu habere debent sacerdotes.

Leuit. 10.

mundum

mundum, doceatiſq; filios Iſrael omnia legitima mea. Deut. 33. iuxta Hebraicum. *Hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum probauerunt, docebunt Iacob iudicia tua, & Iſrael legem tuam* : ¶ *Et legem requirent ex ore eius.*] Aggęi 2. hoc idem ſcribitur. *Interrogate ſacerdotes legem Domini.* Ad ſacerdotis pertinet officium, interrogatum, reſpondere de lege. Qui ſi in cęteris diligẽs & acutus, in ſcripturis ſanctis rudis fuerit & negligens, fruſtrà iactat dignitatem, cuius opera non exhibet. Non eſt enim Epiſcopatus & ſacerdotium eſca, & potus, ſed ſolicitudo Eccleſiæ, & ſanctarũ ſcripturarum iugis meditatio. Quemadmodum ex fonte petitur & quæritur aqua, ſic ex ore ſacerdotis lex, & regula ad bene beatéque viuendum. Sed duo mala faciunt quidam: *Deum derelinquunt fontem aquæ viuæ, & effodiunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Hiere. c. 2. duo hæc mala faciunt, qui relictis ſanctis ſcripturis, & ſanctorum doctorum monumentis, in profanis, & item in laſciuis authoribus lectitandis delectantur: in quibus non aquæ viuæ & ſalutares, ſed mortiferę inueniuntur, eæque tantò nocentiores quantùm primo guſtu dulciores. ¶ *Quia angelus Domini exercituũ eſt.*] Angelus; id eſt, nũtius, ſacerdos Dei rectiſſimè dicitur: quia Dei & hominũ ſequeſter eſt, eiúſque ad populum nuntiat voluntatem. Et idcirco in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina & veritas ponitur: vt diſcamus ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem Dominicæ veritatis. Sic D. Hiero. Rationale autẽ, doctrina, & veritas, ornamentum

Deut. 33.

Aggei 2.

Ad ſacerdotẽ ſpectat, ad interrogata reſpõdere de lege.

Sacerdos & Pōtifex Angelus, nūtius legatus & Apostolus.

erant ſacerdotis magni, quæ Hebraicè dicuntur *chóſem, vrîm, & tummim.* Notandum igitur, quòd ſacerdos & Pontifex eſt. מלאך *malcách*, id eſt, angelus, nuntius, legatus, & Apoſtolus ſummi Dei, in docenda & tradenda diuina doctrina, & veritate. Ex quo intelligitur quanta ei fides debeat adhiberi: quantaque item ipſe debeat ſanctitate & grauitate pollere.

VVLG. *Vos autem receßiſtis de via, & ſcandaliſaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis: ſicut nō ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege.*

CHALD. *Vos autem declinaſtis à via, & ruere feciſtis multos in lege: corrupiſtis pactum quod erat cum Leui, dicit Dominus exercituum. Et etiam ego feci vos contemptibiles, & debiles omni populo, ſicut & vos non ſeruatis vias, quæ rectè ſunt coram me, & perſonas reſpicitis in lege.*

¶ *Vos autem receſſiſtis de via.*] Id eſt, vos autem degeneraſtis à ſanctitate, & receſſiſtis ab exéplo patrum veſtrorum, in quibus primis ſacerdotium inſtitui, nec mores eorum & vitæ innocentiam

ſequuti eſtis: vt de illis dici poſſit id quod de Eli: *Non ambulauerunt filij eius in vijs illius, ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.* 1.Reg.8. Vos autem receſſiſtis de via recta, dicente me Deut. 5. *Non declines neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Declinare ad dexteram, eſt abſtinere à cibis quos Deus creauit ad vtendum: contemnere nuptias, & in illud incurrere quod in alio loco ſcriptum eſt, Eccleſ. 7. *Ne ſis iuſtus multùm.* Ad ſiniſtram diuertere eſt cùm quis luxuriæ ſe tradit, & libidini. Sic Hieron. cùm autem dicit, Abſtinere à cibis, &c. notat Encratitas hæreticos, qui nuptias damnabant tanquam malas, & eſum carnium. De quibus vide Aug. de hæreſib. ad quod vult Deum, hæreſi 25. Ergo receſſiſtis de via ſacerdotum antiquorum, quæ recta erat, & noua diuerticula adinueniſtis.

1.Reg.8.

Deut.5.

Declinare ad dexterā eſt peccare per exceſſū virtutis.

Eccleſiaſt.7.

Declinare ad ſiniſtrā peccare per defectū virtutis.

Encratitæ hæretici dānabant nuptias & eſū carnium.

¶ *Et ſcandalizaſtis plurimos in lege.*] Id eſt, multis qui in lege & fide ſtabant, offendiculo fuiſtis, & cauſa ruinæ, contra illud, *& multos auertit ab iniquitate.* Scandalizare Græcum verbum eſt, & ſignificat obſtaculo ſeu offendiculo obiecto aliquem impingere, ſeu alicui præbere cauſam lapſus & ruinæ. Multis autem modis ſacerdos & doctor legis ſcandalizat: Vel ſi omnino non doceat, ſic enim neceſſe eſt populum ignorantia laborantem cadere: Vel ſi praua & falſa doceat: Vel ſi malè viuat: Vnde rectè ait Cicero: Non tantum mali eſt peccare principes, quātum illud, quod permulti imitatores principum exiſtunt. Et ibidem, perniciosè merentur de rep. principes vicioſi, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed

Scādalizare vnde & quid ſignificet.

Scandalum ex malo exēplo vitæ.

ea infundunt in ciuitatem: neque solùm obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur: sed etiam quòd corrumpunt, plúsque exemplo, quàm peccato nocent. Nam, vt alibi idem verè dicit, Quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant, & aliquid, atque adeò multa addunt & adferunt de suo. ¶ *Irritum fecistis pactum Leui.*] Id est, pactum quod sancitum est inter me & tribum Leuiticam: violastis & corrupistis, sacerdotale officium negligendo & peruertendo. ¶ *Propter quod & ego dedi.*] Id est, feci vos *contemptibiles*, id est, vt populus vos contemnat: & pro honore & gloria quasi deiectos, humilésque calcet. Sicut vos contemnitis me, sic faciam vt ipsi contempti sitis, vt populus, cuius respectum habetis, & quem corripere non vultis, quo ipsius beneuolentiam mereamini, vos contemnat, & viles atque abiectos iudicet: sicut vulgo dicunt. Falsi testis merces & præmiũ est contemptio. Iure enim nescio quomodo fit, vt qui aliorum captare beneuolentiam iniquis modis curant, ab illis ipsis contemnantur, quibus multa indulgent & blandiuntur, atque largiuntur. ¶ *Et humiles.*] Hebr. שפלים *Schephalim*, hoc est, abiectos, viles, & nullius boni meriti. ¶ *Omnibus populis.*] Hebraicè singulariter dicitur omni populo. Sacerdos enim debet obsequium & ministerium Deo, populus autem reuerentiam & honorem sacerdoti. Quare, si sacerdos Deo non reddit id quod debet, iure ei à populo etiam negatur quod ei debetur. Vnde subiungit. ¶ *Sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.*] Quasi dicat, par pari, vel, vt Hebræi dicunt, mensura pro men-

ſura, pro contemptione veſtra mei, erit contẽptio veſtri à populo. Et accepiſtis faciem in lege, inter omnia peccata Leui, ſiue eorũ qui ex Leui ſunt, ſacerdotum Dei, illud & vltimum & maximum ponitur, quod accipiant faciem in lege, & non cauſas, ſed perſonas conſiderent: iuſtúmque pauperem deſpicientes, iniquos diuites ſuſcipiant & honorent: Ad quos dicitur. Pſal. 81. *vſque quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Et ad Gal. 2. *perſonã hominis Deus non accipit.* Pleniúſque Apoſtolus Iacob. c. 2. hoc peccatũ arguit & condemnat. Sic D. Hier. Accipere faciem in ſcripturis eſt quod etiam dicitur accipere perſonam, & acceptio perſonarum: quod etiam dicitur reſpicere perſonam, & perſonarum reſpectus. Id autem fit, quando iniquam ſententiam quis fert, veritus alicuius nobilis aut principis potẽtiam: vel, ab eo aliquid emolumenti expectans, quod malum valde latè ſerpit. In lege verò, hoc eſt in iudicio, quod ſecundùm legem iudicandum eſt, non ſecundùm metum aut ſpem: contra illud quod de antiquo ſacerdote dicebatur. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius.* Accipere faciem, & perſonas reſpicere in ſecularibus etiam & temporalibus negotiis, iniquum & iniuſtum eſt: at in rebus ſacris, & ad Eccleſiaſticam fidem & diſciplinam pertinentibus, immanè & execrandum ſacrilegium.

Pſal. 81.

Gal. 2.

Iacob. 2.

Accipere faciẽ pro accipere perſonam.

VVLG. *Nunquid non pater vnus omnium noſtrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpexit*

vnusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? transgressus est Iuda & abominatio facta est in Israel, & in Hierusalem: quia contaminauit Iudas sanctificationẽ Domini quam dilexit & habuit filiam Dei alieni.

CHALD. *Nonne pater vnus omnibus nobis? nonne Deus vnus creauit nos? cur præuaricabimur vnusquisque in fratrem suum? profanando pactum quod fuit cum patribus nostris? Dolosè egerunt qui sunt de domo Iuda, & abominatio facta est in Israel & in Hierusalem: quia profanauerunt qui sunt de domo Iuda animam suam, quæ erat sancta coram Domino, quam dilexit & placuit eis accipere vxores sibi filias populorum.*

¶ *Nunquid non.*] Hucusque reprehendit & obiurgauit tam populum, quàm sacerdotes, de peccato quod committebant circa diuinum cultum, sacrificia illegitima adferendo & offerendo: nũc arguit eosdẽ de alio peccato, quod circa matrimonia perpetrabant, alienigenas vxores contra legis vetationẽ ducendo. Preceperat enim Dominus Exod. 34. dicens: *nec vxorem de filiabus eorum*, (id est, gentium idololatrarũ,) *accipies filiis tuis: ne postquã ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciãt & filios*

Exod. 34.

nos in Deos suos. Iudæi autem de Babylone reuersi tam plebs, quàm sacerdotes, vt ex Hebræorum traditione refert D. Hier. abiecerunt vxores suas Israelitici generis, quæ paupertate & iniuria longioris viæ, & fragilitate sexus non ferentes laborem, confectæ erant, & infirmitatem ac deformitatem corporum contraxerant: & cum alienigenis vel ætate florentibus, vel, cultu corporũ pulchrioribus, vel, potẽtum ac diuitum filiabus, matrimonia copularunt. Corripit ergo eos propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, vt vxores quas remiserãt, accipiant. Sic Hier. In Esdra tamen cap. 9 & 10. non dicitur eos proprias vxores Israelitici generis abiecisse: sed solùm alienigenas accepisse: quas tamen abiecerũt, & pœnitentiam egerunt. R. Dauid ait, eos super vxores legitimas quas habebant Israelitidas, alias insuper duxisse alienigenas, eásque magis quàm proprias & legitimas dilexisse. Tamen R. etiam Selomo dicit, quòd proprias eiiciebant propter alienigenas, sed nullam citat traditionem, sed librum Esdræ: in quo tamen solùm arguũtur quòd alienigenas vxores accepissent. Ait ergo. ¶ *Nunquid non pater vnus omnium nostrum.*] Enthymema est. Si Deus voluit vt omnes ex vno patre Abraham nasceremur, essemúsque ei populus electus, separatus ab omni alio populo: cur alienigenas vxores ducitis & genus sanctum cum prophano eo miscetis? Vnde Esdræ cap. 9. *Conqueruntur principes dicendo: Non est separatus populus Israel, & sacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum: tulerũt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerunt se-*

Esdr. 9.

Esdr. 9.

men

Ex indulgẽtia concessum alienigenas accipere in vxores, quare & quomodo.

men sanctum cum populis terrarum, &c. Quòd si passim permissi fuissent alienigenas vxores accipere, eadem etiam facilitate filias suas darẽt alienigenis, & sic citò genus totum corrumperetur, & in vnum alium coalesceret. Dico autẽ passim: quoniam ex quadam gratia aliqui alienigenas vxores acceperũt, nec de ea re sunt reprehensi: vt Salomon accepit Rahab, & Booz accepit Ruth, sed istæ iam erant fideles. R. Dauid patrem vnum interpretatur Iacob; hoc modo edisserens: Nonne pater vnus est omnibus nobis? Quia omnes sumus filij Iacob, tam viri, quàm mulieres: & omnes sumus fratres, cur igitur præuaricemur, & fidem frangamus vnusquisque fratri suo? ¶ *Nunquid non Deus vnus creauit nos?*] Aliud quoque enthymema. Si omnes nos Israelitæ cultores sumus vnius Dei, quem Creatorem nostrum agnoscimus, & profitemur; cur cũ idololatris & multorum atque falsorum Deorum cultoribus nos cõiungimus, & eorum connubia & affinitates expetimus? ¶ *Quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum?*] Conclusio est enthymematum. Et nomine fratris intelligitur etiam soror. Fratres autem & sorores appellant Hebræi, non solùm eos qui propriè sunt fratres & sorores, sed etiam omnes cõsanguineos, & religionis socios & participes. Iniquum autem est despicere extraneos, & eis fidem frangere: sed multò iniquius, fratres & eiusdem fidei & religionis socios. Quidam autem hanc despectionem fratrum generaliter accipiunt, & non propriè, de iniuria vxoribus facta. Atque Hebraicè legitur: quare prẹuaricemur, aut

fidem frangamus vnusquisque fratri suo? connumerat enim se peccantibus Propheta, propter modestiam,& vt sermo sit acceptabilior & faciliùs admittatur. Nam verbum בגד bagad, authore R. Dauid, significat transgredi pactum & fœdus cum socio initum, eumque decipere, cũ in te haberet ille fiduciã : id quod Latinè dicitur fidem frangere. De hoc igitur arguuntur, quòd essent fœdifragi : quos D. Paulus ad Roman. 1. ἀσυνθέτους vocat,&ἀσπόνδους, id est, pactorum non tenaces,& infidos. Vnde addit ¶ *Violans pactum patrũ nostrorũ.*] Id est,violando legẽ olim datam patribus nostris,in qua omnis iniuria in fratrem & socium prohibetur. Trãsgressus est Iuda idem verbum quod nuper vertit despicere, nunc reddit transgredi,quod significat,vti diximus,datam fidem frangere:ergo transgressus est Iudas, & fidem fregit, violando legem Dei, quam se seruaturum promiserat:& hoc vel alienigenas mulieres ducendo, vel proprias etiam abiiciendo. Et ait, Iudas,quia hæc tribus reuersa est de Babylone cum sacerdotibus ac Leuitis. ¶ *Et abominatio facta est in Israël & in Ierusalem,*] Nequaquam in decem tribubus,quæ ab Assyriis tenebantur: sed in his qui ad Cyri regis imperium sub Zorobabel & Esdra,& Neemia de Babylonia sunt reuersi.Itaque nomen Israël, hoc loco, pro sola Iudæ tribu accipitur. Addit autem, & in Ierusalem: quasi dicat:etiam in Ierusalem, quæ ciuitas peculiariter destinata erat ad diuinum cultum, & in ea erat templum Domini, & summum sacerdotium,facta est abominatio ista. Indicat autem

eos, non ſolùm in Babylone, ſed etiam poſtquam ex ea redierunt, & iam erant in Ieruſalem, abominationem iſtam feciſſe. Atque notandum, ex Eſdra cap. 9. quòd principes priores hoc crimen commiſerunt: quorum exemplum alij ſequuti ſunt. ¶ *Quia contaminauit Iudas ſanctificationem,* ſeu ſanctitatem *Domini quam dilexit,* ſeu diligit.] in eo tranſgreſſus eſt, & abominationem fecit, quia contaminauit & profanauit atque violauit ſanctificationem, ſeu ſanctitatem Domini, quam dilexit & charam habet; nimirum viri & vxoris legitimam & ſanctam coniunctionem: de qua dicit: *relinquet homo patrem & matrē ſuam & adhærebit vxori ſuæ:* præcepítque Iſraeli dicens, *ſancti eritis* ſeu eſtote, *quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Leuit. 19. Hæc autem ſanctitas, præter alia in eo ſita eſt, vt non ſeſe immittant in omnē mulierem, ſicut gentes faciunt quæ ignorant Deum: & in fine cap. 20. in quo impudicitiæ prohibentur, ſubiungit: *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis, vt eſſetis mei.* Quinetiam ipſemet populus Iſraël, quandiu rectam fidem tenebat, ſanctificatio ſeu ſanctitas Domini vocabatur, hoc eſt res Domino tanquam conſecrata: iuxta illud Ieremiæ cap. 2. *Sanctus Iſraël domino, primitiæ frugum eius.* Quo loco Hebraicè ſanctus dicitur ſubſtantiuè קדש *códes,* quod in præſenti vertit ſanctificationem. Quo nomine appellatur Hebraicè quæcũque res Domino dedicata & conſecrata, quam non liceat contingere. Itaque qui vxorem Iſraëlitidem violabat eam eiiciēdo, aut ſuper eam aliam & ethni-

Eſdra 9.

Leuit. 19.

Ibid. cap. 20.

Hier. cap. 2.

De vxore Iſraelitica nō eiicienda aut alia Ethnica non ſuper aſciſcenda.

cam

cam ducendo. Domini sanctificationem, id est, rem Domino consecratam violabat, & prophanabat & veluti sacrilegij reus erat. Qua ratione etiā beatus Apostolus Christianos ab omni turpitudine & impudicitia deterret, & dehortatur dicēs. 1. Cor. 6. *Nescitis quoniā corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit: An nescitis quoniam membra vestra templum est spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? &c.* Et ca. 3. Etiam metum adiicit, dicens: *nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ex quibus intelligitur, quātò res sit magis Deo cōsecrata & dedicata Christianus, quàm olim Iudæus. Quippe cùm Christiani non solùm Dei templum ab Apostolo dicantur, verùm etiam ipsius Christi membra. Quare diligenter studeant sanctitatem hanc seruare, & non eam vllo crimine profanare; quod si non fecerint, tanquam sacrilegi à Deo ipso disperdentur. ¶ *Et habuit filiam Dei alieni.*] Id est, in vxorem accepit mulierem idololatram, contra specialem Dei prohibitionem. Quę transgressio ipsum etiam Salomonem ad idololatriam perduxit, vt etiam incertum sit de salute ejus. Habuit, Hebr. בעל *Baghál*, quod significat maritare mulierem, vel, in vxorem ducere, vel, etiam cum ea rem habere. Sic hoc loco vxorē ducere significat, vt constat ex Esdra: & dicitur filia Dei alieni, more Hebraico pro ethnica & idololatra, quasi cultrix Dei alieni. Nam nomen filius & filia latis-

1. Cor. 6.

ſimè patet: vt filia Hebræorum, ideſt, nata de gẽte Hebræorum Iudith. c. 10. filia maris Tyrus dicitur Iſa. 23. vel quòd inſula ſit, vel quia mercium per mare negotiationi dedita.

Iudith. 10.
Iſai. 23.

VVLG. *Diſperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculo Iacob, & offerentem munus Domino exercituum.*

CHALD. *Deſtruet Dominus virum, qui fecerit hoc, filium & filium filij de ciuitatibus Iacob: quòd ſi fuerit ſacerdos, non erit ei offerens ſacrificium in domo ſanctuarij Domini exercituum.*

¶ *Diſperdet.*] Hier. in commentario legit imprecatiuè, diſperdat, ſed melius videtur enunciatiuè diſperdet, id eſt, excidet: Hebraicè enim eſt יכרת *iachréth*, id eſt, abſcindet, amputabit. In quo notatur violenta diuiſio & ſeparatio: quia inuiti olim ſeparabuntur impij à ſocietate iuſtorum. Et fortaſſe ad hunc locum alluſit D. Paulus, cùm dixit, *ſi quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus*, εἴ τις τ̀ ναὸν Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦ Θεός. Itaque Dominus Deus tanquam zelator ſanctificationis & ſanctitatis ſuæ, quam diligit, & charam habet. Diſperdet & abſcindet de cœtu & ſocietate ſanctorum, quod ait de tabernaculo Iacob, virum, id eſt, vnumquenque, qui fecerit hoc, id eſt, qui perpetrauerit huiuſmodi ſacrilegium & conta-

minaue

minauerit sanctificationẽ Domini, quam diligit. ¶ *De tabernaculo.*] Hebr. pluraliter, de tabernaculis: & sic est in contextu & commentario Hieronymi, & intelligitur ad literam de morte violenta aut immatura, aut de exilio & captiuitate, per quam abscindebantur impij à patria & ciuitatibus Iacob. Item quoque de æterna damnatione, qua diuellentur à iustis, vt non admittantur ad ipsorum tabernacula & mansiones cælestes: de quibus dicitur: *In domo patris mei mansiones multæ sunt:* Et, *facite vos amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Subintelligitur autem disperdet, nisi peccator conuersus fuerit, & pœnitẽtiam egerit: Et nota, quòd propheta homines pœnæ metu à peccando deterret: vnde Hier. ait, à peccato maledictionibus retrahuntur: maledictionibus, id est, imprecationibus malorum: legit enim, (disperdat) imprecatiuè, vt iam diximus. ¶ *Magistrum & discipulum.*] Subaudi disperdet Dominus, Hebraicè est עֵר וְעֹנֶה *Erueghonéh*, id est, vigilantem & respondentem, quasi dicat, quòd non relinquetur in domo eius quisquam viuens, vt non sit in domo eius qui respondeat vocanti: vigilans enim est contrarius mortui, qui dormiens appellatur, vnde pro viuente accipitur. Vnde Psal. 13. dicitur. *Ne fortè obdormiã morte.* Et Iob. 3. *dormiens silerem, & somno meo requiescerem.* Veteres autem Rabbini exponunt: si discipulus sapientis fuerit, non erit ei vigil inter sapientes, & respondens inter discipulos. Et si sacerdos fuerit, non erit ei filius qui offerat sacrificiũ Domino: quia

Vigilans pro viuente.

Psal. 13.
Iob. 3.

etiam ex ſacerdotibus fuerunt, qui acciperent vxores alienigenas, vt ſcriptũ eſt in libro Eſdræ: Sic R. Dauid. D. Hier. ſimiliter ait, doctoré atque diſcipulum de tabernaculis Iacob, ſiue ille ſacerdos ſit, ſiue laicus, vna maledictione ferientur: &, non erit eis pœnæ diuerſitas, in quibus peccata ſunt paria. Sic Hier. Et nota, quòd vigilãtem magiſtrum interpretatus eſt: oportet enim doctorem vigilare: Diſcipulum autem reſpondentem, quia magiſter interrogãdo docere ſolet. R. Abraham contra exponit. Vigilantem ſeu vigilem, id eſt, diſcipulum acrem & acutum ingenij: Et reſpondentem, id eſt, doctorem & ſapientem. R. Selomo autem interpretatur filium & nepotem Et nota legi poſſe ex Hebraicò per datiuum, Diſperdet Dominus viro qui fecerit hoc, vigilantem & reſpondenté: Vt non ſolùm ipſe, ſed ipſius etiam poſteritas diſperdatur. ¶ *Et offerentem munus Domino exercituum.*] Subauditur diſperdet Dominus: & eum qui pro huiuſmodi hominibus voluerit ad altare munus offerre: quorum ſolum remedium eſt, non facere quæ fecerunt. Sic D. Hier. quem non dubito, ſi ſua ſcripta retractauiſſet, multa correcturum fuiſſe. Nam quod ait, ſolum peccatorum remedium eſſe, non facere quæ fecerunt, haud dubiè neceſſe eſt ad ſalutem peccatoris, vt non iam faciat quod fecit, ſed id non ſufficit: oportet enim etiam præterita crimina confeſſione & ſatisfactione purgare. Neque id Hier. vſquam negat. Quod verò ait, ſolum remedium eſſe peccatoris, non facere quod fecit: hunc ſenſum habet, quòd nunquam ſalutem cõſequetur,

Doctorem vigilem eſſe oportet.

Hier. redarguitur, & exponitur.

tur,

tur, nisi peccare destiterit: non tamen dicit, hoc solùm sufficere. Illud autem quod interpretatur, & offerentem munus, id est, eum qui voluerit pro huiuscemodi hominibus munus ad altare offerre: potiùs intelligitur generaliter, de quocunque sacerdote, quodcunque munus, seu sacrificium offerente: omnes enim disperdet Dominus, in quibus crimen inuenerit.

VVLG. *Et hoc rursum fecistis, operiebatis lachrymis altare* Domini, *fletu & mugitu: ita vt non respiciam vltrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis, quam ob causam? Quia* Dominus *testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, & hæc particeps tua & vxor fœderis tui.*

CALD. *Et hoc secundò quod vos facitis, operiunt lachrymis altare Domini, dum plorant & gemunt: quo non amplius respiciam sacrificium, neque suscipiam illud cum gratia de manu vestra. Quòd si dixeritis, quamobrem? Propterea quòd Dominus testificatus est inter te, & inter vxorem iuuentutis tuæ, cui tu mentitus es: ea autem est socia tua, & vxor pacti tui.*

¶ *Et hoc rursum fecistis.*] rursum, seu pręterea, vltra id crimen, cuius initio meminit de contemptione altaris, offerendo illegitimas victimas. Hoc, inquit, insuper crimen committitis in altare Domini, quòd per vestram impudicitiam & infedilitatem, causa estis vxoribus vestris vt veniant ploratum coram me, & altare meum lachrymis operiant, & templum gemitibus impleant dolentes, quòd super ipsas, cùm sint Israëlitidæ alias Ethnicas accipiatis, eásque amplius diligatis. Sic R.Dauid. Hier. etiã hoc modo scribit: quod nobis ab Hebræis est traditum disseramus. Derelictæ vxores Israëlitæ, & in thoris maritorum alienarum gentium fœminas contemplantes, ad Dei solius auxilium confugiebant, diebus ac noctibus ante altare Domini prouolutæ lachrymis, gemitu atque eiulatibus inuidiam faciebant eius prouidentiæ, quod non respiceret humana, & miseras non iuuaret. Sic Hiero.R.etiam Abraham hoc modo ait: Et hoc secundo fecistis: primùm quidem, quod reprehendi satis durum erat, quòd quis ethnicam duxerit, quamuis solutus esset: hoc autẽ secundum est multò durius: quòd vxoratus vxorem Israelitidem habens, super eam ethnicam accipiat seu acceperit: eo quòd denigratæ erant mulieres Israelitidæ fame & exilio, turpésque videbantur: Quare eas domi quasi viduas continebant. Ethnicæ verò dominæ domus erant. Quare veniebant illæ ad altare Domini, ac plorabant coram eo, dicentes: quid peccauimus in viros nostros, aut quid inuenerunt in nobis iniquitatis? Sic etiam

R.Se

R.Selemo. Nunc particulatim dicamus. ¶ *Operiebatis.*] vel operitis,ideſt,cauſa eſtis operiendi: nam de peccato etiamnum durante agit. Et Hebraicè eſt infinitiuus כסות *caſſoth*, id eſt, operite: feciſtis operire lachrymis,id eſt,vt vxores veſtræ à vobis iniuriam paſſæ perfundãt lachrymis altare Domini. ¶ *Fletu.*] Id eſt,cum fletu. Non enim refertur ad verbum operire. ¶ *Et mugitu.*] Legendum gemitu,vt etiã eſt in cõtextu,& commẽtario Hier.hoc eſt,dum flent & gemũt prę angore cordis,lachrymis ſuis altare obruunt & perfundunt. ¶ *Ita vt non reſpiciã vltra ad ſacrificium*] Id eſt, ſacrificiũ & hoſtiã de manib. ſacerdotum, qui iſta cõmiſerunt,accipere non potero,vxorum fletu & plãctib.impeditus.Iuſtũ eſt,inquit,vt non reſpiciã amplius ad munera & ſacrificiaveſtra,quę ſuper altare obtuleritis:quoniã ſuper altare offertis illegitimas hoſtias, & de rapina comparatas: & inſuper lachrymæ vxorũ veſtrarum ſuper altare diffuſæ,teſtes ſunt iniquitatum veſtrarum.Nec accipiã placabile quid, id eſt, aliquid quo placer, aut quod mihi gratũ & acceptũ ſit de manu veſtra, quaſi dicat, fruſtra mihi munus offertis,impietate pleni.Vnde etiã Dominus ait, *ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersùm te,&c.* Matth. 5. ¶ *Et dixiſtis,Quam ob cauſam?*] Subaudi,non aſpicies vltra ad ſacrificia noſtra,nec accipies gratè aliquid de manu noſtra? Illud autẽ,& dixiſtis,poteſt interpretari,& dicetis.q.d.& fortè dicetis atq; interrogabitis,tanquã homines iuſti & innocentes, & nullius culpæ vobis cõſcij: Quamobrẽ reiicis

munera noſtra? quibus reſpondet, dicens. ¶ *Quia Dominus teſtificatus eſt inter te & vxorem pubertatis tuæ.*] teſtificatus eſt, id eſt, legem conſtituit voluntatis ſuæ teſtem & indicem: teſtificans & admonens, vt ab omnibus obſeruetur inuiolatum pactum viri & vxoris: dicens, *Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ, & erũt ambo caro vna.* Quib. verbis eximius ſignificatur amor mutuus vxoris & mariti: Quæ amoris & charitatis excellentia ſeruari nõ poteſt, ſi ſuper priorem vxorem, quam vocat vxorem pubertatis, id eſt, quam quis primùm pubes factus accepit, alteram duxerit. Vnde notabiliter ſcriptura dixit, erunt duo, non tres, non quatuor, ſed duo: vnus vir & vna mulier: Sed propter neceſſitatẽ quibuſdam gratia facta eſt, vt liceret eis plures vxores accipere, ad celeriorẽ fidelis populi propagationem. Id quod nunc iam non eſt neceſſariũ quando fideliũ populus non per carnalẽ generationẽ, ſed per ſpiritualem Baptiſmi regenerationem propagatur. Quòd ſi nõ licet coniugalẽ amorẽ & charitatem per plures etiã vxores diuidere, quãtò minus licet per pellices, & cõcubinas, & meretrices? ¶ *Quã tu deſpexiſti.*] id eſt, cui fidẽ tu fregiſti, & coniugalem charitatem violaſti, priori vxori Iſraelitidi & legitimæ, aliam ethnicam ducendo, eamq́ue magis amando & colendo. Deſpexiſti, בגדת *bagád ha.* De quo verbo ſupra diximus, quod ſignificat fidem frangere. ¶ *Et hæc particeps tua.*] id eſt, cùm ea eſſet ſocia tua, & tibi adiuncta fœdere nuptiali. ¶ *Et vxor fœderis tui.*] hoc eſt, tibi confœderata ad indiuiduam vitæ ſocietatem: vel, vxor fœde-

Vinculum matrimonij & eximius amor ſeruari non poteſt alia ſuper inducta.

Gratia facta ad pluralitatẽ vxorũ quare.

ris tui,ideſt,vxor fidelis ſicut tu:non autem infidelis & idololatra, ſicut ea quam ſuperduxiſti, quæ eſt alterius legis & fœderis. Nam fœdus, pactum, & teſtamentum, quod eſt Hebraicè, ברית berith,pro lege ſępe accipitur,vt Hiere.31. *Feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris.* Et ſubiungit, *dabo legem meam in viſceribus eorum,&c.* Atque hunc eſſe exiſtimo ſenſum literalem. Moraliter, è contrario dici poteſt de anima,quæ eſt ſponſa Chriſti, quòd quoties peccat, legitimo ſponſo atque vero iniuriam facit, & alteri quodammodo nubit, & ſacri connubij ius violat.Quam tamen ſponſam etiam ſic ingratam adeo diligit benigniſſimus ſponſus, vt dicat: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me,* dicit Dominus.Hierem.3.

Pactũ, fœdus & teſtamentum pro lege. Hierem.31.

Tropologicè Anima pro peccatũ violat ius coniugij & alteri nubit.

Iſai.3.

V V L G. *Non ne vnus fecit & reſiduum ſpiritus eius eſt? & quid vnus quærit,niſi ſemen Dei?cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum, & vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.Cùm odio habueris, dimitte,dicit Dominus Deus Iſrael, operiet autem iniquitas veſtimentum eius, dicit Dominus exercituum:cuſtodite ſpiritum veſtrum & nolite deſpicere.*

C H A L D. *Non ne vnus fuit Abraham*

vnicus à quo creatum est sæculum? & quid vnus quæsiuit, nisi vt permaneret seu staret ei filius à conspectu Domini, seu à Domino? & cauete vobis pro animabus vestris, & aduersus vxorem adolescentiæ tuæ ne mentiaris, seu, ne iniquè agas. Quòd si oderis eam, dimitte eam, dicit Dominus Deus Israel, & ne operias peccatum vestimento tuo, dicit Dominus exercituum: & cauete vobis pro animabus vestris, & ne iniquè agatis, seu, ne mentiamini.

¶ *Nonne vnus fecit.*] Hic locus obscurus est. Id quod indicat varietas expositionum, quas ponam, vt, vel optimam studiosus Lector possit eligere, vel certè ex vnaquaque aliquid quod ad rem faciat, decerpere. D. Hieron. hoc modo exponit, coniungendo cum superiori: vxor est particeps, seu socia, quę à Deo de costa viri facta est: Et residuum spiritus eius, siue Dei, vt quidam putant: siue mariti, vt alij suspicantur: quòd propter affectum quodammodo vna anima in duobus esse videatur, coniunctis spiritu, mente sociatis. Cùm ergo munus vtrumque fecerit, & virũ & mulierem: propterea à Deo facta est vtriusque cõiunctio, vt liberi nascerẽtur. Vnus enim Deus quid quærit, nisi semen Dei: hoc est, filios de Israëlitica stirpe generatos? Cùm ergò habeatis fœcundas coniuges, & liberis gaudeatis, quid pulchritudinem vxorum quæritis, quæ meretricibus apta est, non vxoribus? Pręcepit itaque per prophetam Deus, & dicit, *Custodite spiritum*

*veſtrum:ne abducamini libidine:*Ne alienigenarum amore vincamini, & vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere: vt quæ tibi virginali primùm iunćta eſt matrimonio, perſeueret vſque ad ſenectutem. Sed poterat fieri, vt reſponderent: præcepit Deus, vt cùm odio habuerimus vxores, dimittamus eas: & legendum eſt: dicis mihi, ſcriptum eſt, cùm odio habueris vxorem tuam, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael. Statímque reſpondit, hoc quidem in lege præceptum eſt, ſed propter duritiam córdis veſtri. Quicunque autem excepta cauſa fornicationis iniquè vxorem dimiſerit, operiet veſtimētum eius iniquitas, id eſt, corpus quo anima veſtitur, dicit Dominus exercituum: vt in quo peccauit, in ipſo puniatur, quapropter hæc quæſtiuncula diſſoluta, inculcat & repetit quod ſupra dixerat, cuſtodite ſpiritū veſtrum, & nolite deſpicere, vel cuſtodiam ſpiritus veſtri: vel, certè vxorem, ſi pauper eſt, aut deformis. Sic Hieron. ad verbum. Fortaſſe autem contextum ſic paraphraſtico more percurrere non fuerit difficile: ſed expoſitionem accommodare particulatim conſtruendo: quod grauiores interpretes tanquam puerile omittunt, id mihi videtur multo difficillimū. Conſtruamus igitur iuxta Hieron. paraphraſim. ¶ *Nonne vnus fecit.*] Subaudi, non ſolum virum, ſed etiam mulierem? ¶ *Et reſiduum ſpiritus eius eſt.*] Et ipſa mulier eſt reſiduum ſpiritus eius, id eſt, reſiduum ſpiritus Dei, qui inſpirauit in faciem viri ſpiritum vitę, ex quo ſpiritu ipſa etiam mulier animata eſt: non quidem eadem numero anima, ſed alia ſimiliter à

Deo inſpirata:vel,eius,id eſt,ipſius viri ſeu mariti.Sed certè Hieronymus non explicat quid hoc loco ſit reſiduum, aut pro quo accipiatur: reſiduum enim propriè intelligitur id quod ex aliqua maiori ſumma,aut magnitudine relinquitur. ¶ *Et quid vnus quærit niſi ſemen Dei?*] id eſt, quid aliud quærit ex matrimonio Deus, niſi vt filij procreentur,qui Deum colant, & ei ſeruiant?cuſtòdite ergò ſpiritum veſtrum, id eſt, cauete ne ſpiritum perdatis peccando in Deum, & in vxores veſtras. ¶ *Et vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.*]Aliam ei,eámque ethnicam ſuperducendo: ¶ *Cum odio habueris dimitte, dixit Dominus Deus Iſrael.*] id eſt,fortaſſis hoc mihi ex lege Moſi obiicitis. Sed ego dico,operiet iniquitas veſtimentum eius,qui hoc fecerit,id eſt,pœna iniquitatis afficiet corpus eius, quod animæ tanquam veſtimentum eſt.Iuxta R.Dauid hoc modo legitur: Et non, ſeu, at non vnus fecit,& excellentia ſpiritus ei,& quid vnus,quærens ſemen Dei:& cuſtodimini in ſpiritu veſtro; & in vxorem iuuentutis tuæ ne peccet. Cùm oderit, dimittere dicit Dominus Deus Iſrael,& operiet iniquitatem ſuper veſtimentum eius; dicit Dominus exercituum:& cuſtodimini in ſpiritu veſtro & ne peccetis. ¶ *Exponit autem ſic: At non vnus fecit.*] Abraham qui fuit vnus, & pater omnibus venturis poſt ſe,per fidem ſuam,non fecit ſicut vos facitis. Quoniam non ſequutus eſt libidinem, neque vxorē duxit etiā in carne ſua, (id eſt, conſanguineam ſuam) niſi vt relinqueret ſemen Dei,quaſi dicat, quod præcepit Deus relinquere ſemen,

dum eixit: *Crescite & multiplicamini.* ¶ *Et excellentia ſpiritus ei.*] id eſt, amplitudo & abundantia ſpiritus erat ei, & idcirco non eſt ſequutus libidinem, neque vxorem duxit, niſi vt impleret præceptum illud, creſcite & multiplicamini. Alij exponunt, vt ſint verba populi ad prophetam, per interrogationem. Dixerunt ei: & nonne Abraham pater noſter qui erat vnus: nonne, inquam fecit ſic quemadmodum nos facimus, cùm reliquit vxorem ſuam, & duxit Agar ancillam ſuam: quamuis erat ei excellentia ſpiritus, & erat propheta? Propheta autem reſpondit eis: & quid vnus, quærens ſemen Dei? Quaſi dicat, quando duxit Agar, non eam duxit, niſi vt quæreret ſemen: quia non erat ei ſemen ex vxore ſua: neque tamen ei fidem fregit, ſed de voluntate & facultate eius illud fecit. At vos cuſtodimini, ſeu, cuſtodite vos in ſpiritu veſtro, & ne violet quiſquam veſtrum vxorem iuuentutis ſuæ, relinquendo eam, & aliam idololatram ducendo. ¶ *Nec peccet.*] Sic mos eſt ſcripturæ, vt loquatur ſimul & in eodem loco, per ſecundam & tertiam perſonam: & ecce reſponſum fuit eis à propheta, ſicut ei quæſtionem mouerant: & increpauit, quòd rem facerent non decorã. ¶ *Cùm oderit dimittere, ſeu dimitte.*] Si oderit quiſquam veſtrum vxorem ſuam, dimittat eam: quaſi dicat, melius eſt vt dimittat eam dato libello repudij, vt abeat & nubat viro alteri, qui ipſam diligat. Quòd autem ipſam retineas, & in corde tuo eam odio habeas, magnum peccatum, & iniuria magna eſt. Et id eſt quod ait, ¶ *Et operiet iniquitatem*

tem super vestimentum eius.] Quòd ipse præ se fert quòd diligat eam, & adhæreat ei sicut vestimentum suum adhæret carni eius, nec exuit ipsum. Sic ipse non vult dimittere eam, & odit eam. Ea est iniquitas, quam operit super vestimentum suum. Sic R. Dauid, qui in explicandis his vltimis verbis, obscurior videtur, quàm ipsa verba quæ explicare conatur. R. Abraham hoc modo enarrat: & non vnus ex vobis fecit iuxta legem, & relictus est spiritus eius ipsi. Quod si dixeritis, quid vnus ille? ipse quærens semen Dei iuxta præceptum Dei, & sensus illius, & relictus est spiritus eius ipsi, vt non commisceatur cum filia Dei alieni. Ideo scribitur: & custodiemini in spiritu vestro & in vxorem adolescentię vestræ non derelinquat spiritus vester. Quoniam odit dimittere, Deus odit quòd dimittat vir vxorem mundam, & quod operiat. Vel, Deus ostendet iniquitatem eius, quę est in occulto. Sic R. Abraham. Iuxta cuius expositionem sic vertendum est ex Hebraico. Et non vnus fecit, & reliquiæ spiritus ei. Et quid vnus, quærens semen Dei? Et obseruabimini in spiritu vestro, & in mulierem iuuentutis vestræ, ne delinquat. Quoniam odit dimittere, dicit Dominus Deus Israel: & operuit, vel, & operiat iniquitatem super vestimento suo, vel, contra vestimentum suum, ait Dominus exercituũ; & obseruabimini in spiritu vestro, & ne delinquatis. Quamuis autem hæc tædio plena videntur, quia tamen fieri potest vt aliquid lucis adferant ad huius loci intellectum, deuorato tædio, Rabbi etiã Selomo expositionẽ adiungamus:

gamus: quæ eſt huiuſmodi: Et non vnus fecit Deus benedictus & ſanctus Adam,& Euam initio? ¶ *Et reliquiæ ſpiritus ei.*] Spiritus & animæ ipſius ſunt, ex Adam primo exierunt omnes. Et quid vnus ille quærens? Qui in coniugio quærit occaſiones inuenire contra vxorem ſociam connubij ſui,& quæ eſt ſemen Dei. Quid ipſe quærit eam,quia deſpicit eam? Atque hæc eſt expoſitio Paraphraſtæ,niſi quòd illë exponit:& quid vnus quærit niſi ſemen Dei? Et expoſitio recta eſt,niſi quòd verbum(vnus)notatur accentu *Zaképh* diſtinguente verbum quærens,ſeu quærit,vt poſſit coniungi cum (Et quid vnus:) & cõiunxit ipſum cum ſemen Dei. Sunt etiam qui exponunt ſecundùm *Agadá*, quod conuenerunt mariti alienigenarum ad prophetam, & dixerunt ei: Et nonne Abraham fecit ſic, qui duxit Agar ſuper vxorem ſuam?Dixit eis,at reliquię ſpiritus erant ei.Non erat ſenſus eius,vt ſenſus veſter:non poſuit in ea oculos ſuos, ſenſus alius erat ei. Dixerunt ei: Et quid vnus quærens erat?qui erat ſenſus & mens eius? dixit eis: Vt eſſet ipſi ſemen Dei. Interpretatio autem Paraphraſtæ meo iudicio recta eſt, quia non inuenimus nec in Scriptura,nec in Talmud,quòd dictio שאר id eſt,reſiduum aut reliquiæ,aliud ſignificet,niſi vbi pro cibo accipitur. ¶ *Et obſeruabimini.*] ſeu cauebitis *in ſpiritu veſtro, & in vxorem iuuentutis tuæ ne delinquat*, Subaudi, ſpiritus tuus. Cùm oderit, dimitte. Veteres Rabbini diſcrepant in hoc,in tractatu de repudiis: Quidam ex ipſis dicunt, ſi odiſti eam, dimitte ipſam, vt nubat alteri dato

libello

libello repudij. ¶ *Et operui iniquitatem super vestimentum eius.*] Sed hoc omnino laborasti facere, vt expanderes super eam pallium tuum, & retineres eam tibi tanquam vxorem tuam: at iniquitas expansa est super ipsum pallium: quia in corde tuo est contra ipsam odium, & exacerbas, atque angis eam iugiter. Sic R. Selomo. Obscuritatem fecit nimia breuitas, tum etiam quòd nota interrogandi carent Hebræi. Potest fortasse hoc modo ex Hebræo reddi & exponi, cum superioribus coniungendo: & non vnus fecit, & reliquiæ spiritus ei: & quid vnus quærens semen Dei? Et cauete spiritui vestro, & in vxorem iuuentutis tuæ ne delinquat. Quoniam odit dimittere, dicit Dominus Deus Israel, & operuit iniquitatem super vestimento suo, ait Dominus exercituum: & cauete spiritui vestro, & ne delinquatis. Et non vnus fecit: subaudi, dictam iniquitatem præuaricandi, & delinquendi in propriam vxorē, sed multa vt cōstat ex Esdra. ¶ *Et reliquiæ spiritus ei.*] id est, qui reliquias spiritus habuerit: Vix vnus fuit, sed toti caro facti sunt, & libidinem sequuntur. Et quid vnus, subaudi, facit, quęrens semen Dei? quasi dicat, ne vnus quidem inuenitur qui aliquid faciat, & operam det vt quærat semen Dei, id est, semen sanctum & Israeliticum, sed omnes veluti contendunt profanare semen sanctum. ¶ *Et cauete spiritui vestro.*] id est, cauete vobis, ne spiritum vestrum perdatis & extinguatis, carni adhærendo, & eius cupidini obediendo, eámque sectando. Et in vxorem iuuentutis tuæ ne delinquat: subaudi, quisquam:

vel,

vel, ne delinquat ſpiritus tuus, conſentiens concupiſcentiæ, dum propter pulchritudinem mulieris alienigenæ & idololatræ, fidelem vxorem vel repudias, vel tanquam ancillam retines & affligis. Quoniam odit: ſubaudi, Dominus, dimittere, id eſt, dimiſſionem legitimæ vxoris propter alienigenam & illegitimam. ¶ *Et operuit iniquitatem ſuper veſtimento ſuo.*] Faciem habet Prouerbij. Nam ſub veſtimento ſuo, Prouerbium non eſſet. Et qui hanc iniquitatem fecit, nequidquam & fruſtra eam tegere conatur, dum falſas & iniquas occaſiones quærit vxoris dimittédæ: perinde atque ſi quis rem furto ablatam ſuper veſtimento ac pallio tegere vellet. Super pallio enim res non tegitur, ſed detegitur. Cætera clara ſunt. Atque hic ſenſus mihi germanus, & ad prophetæ mentem accommodatus videtur, & cum Hebraico communi textu conuenit. Et verbum illud (vnus) bis repetitum, ſuum pondus habet, id quod in aliis expoſitionibus non habet.

VVLG. *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis, in quo eum fecimus laborare? in eo quod dicitis, omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini: & tales ei placent, aut certè, vbi eſt Deus iudicij?*

CHALD. *Laborare feciſtis conſpectum Domini in verbis veſtris: quod ſi dixeritis, in*

quo laborare fecimus conſpectum eius? dum dicitis, omnis qui facit malum, rectus coram Domino eſt: & ij gratiam coram ipſo habent: vel, vbi eſt Deus qui faciat iudicium?

Delinquere ſententijs & verbis erroneis multo grauius quã factis.

❡ *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris.*] Ex hoc loco intelligimus, quòd Iudæi non ſolùm delinquebant factis, ſed etiam verbis, & ſententiis peruerſis & erroneis. Id quod eſt multò grauius, verbi gratia: ſi quis fornicetur, aut furetur, facto ipſo delinquit & peccat: ſi auté dixerit, fornicari & furari bonũ, eſt is multo grauius & multò intolerabilius peccat, & acerbiorem vindictam meretur: quoniam non ſolùm peccantibus frænum conſcientiæ demit, verumetiam ad peccandum allicit. D. Hieron. pulchrè enarrat hoc modo: Reuerſus populus de Babylone, & videns cunctas in circuitu nationes, ipſóſque Babylonios idolis ſeruientes abundare diuitiis, vigere corporibus, omnia quæ bona putantur in ſæculo poſſidere: ſe verò, qui habeat notitiam Dei, ſqualore, inedia, ſeruitute coopertum, ſcandalizatur, & dicit: non eſt in rebus humanis prouidentia, omnia caſu feruntur incerto, nec Dei iudicio gubernantur: qui potius mala ei placent, & bona diſplicent: aut certè ſi Deus cuncta diiudicat, vbi eſt illius æquum iuſtúmque iudicium? Iſtiuſmodi quæſtionem mens incredula futurorũ quotidie ſuſcitat Deo. Et cùm videris iniquos potentes, ſanctos humiles: illos rebus omnibus affluere, hos, ne ea quidem quę ad victum neceſſaria ſunt habere, & interdum ſurdis auribus,

Proſperus ſucceſſus malorum bonos perturbat.

cæcíſque oculis, & omni parte membrorum vlceribus & infirmitate depreſſas: qualis in euangelio Lazarus legitur, qui ante fores diuitis purpurati, deſiderabat micis, quæ abiiciũtur de mẽſarũ reliquiis, inopem animam ſuſtẽtare: diuitem verò tantæ fœlicitatis, feritatis & crudelitatis, vt nõ miſereatur homo hominis, cuius etiã canum lingua miſeretur: nõ intelligẽtes tempus iudicij, nec vera bona illa eſſe quæ perpetua ſunt, dicũt: mali ei placent, & vbi eſt Deus iudicij? Sic Hiero. Dicit igitur, humano more loquendo. ¶ *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris.*] Sermones veſtri adeò praui & blaſphemi ſunt, vt aures Domini non poſſint eos audire, aut tolerare, quaſi dicat, ſi Deus labore affici poſſet, laborare eum facerent, ſermones veſtri, adeo graues & impij ſunt. Sic Iſai. 43. *Præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* ¶ *Et dixiſtis.*] procaciter & impudenter interrogando. ¶ I*n quo eum fecimus laborare?*] quaſi dicant, nullius criminis aut offenſę in ipſum nobis conſcij ſumus. Sed propheta eos mendacij & criminis pariter coarguit, dum ait. ¶ *In eo quòd dicitis, omnis qui facit malum bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent.*] Quia, videlicet, talibus tanquam bonis, & iuſtis, & ſibi charis dat bona huius mundi; id eſt, corporum proſperam valetudinem, diuitias, honores, regna, imperia, libertatem: contra verò iis qui verè ſunt pij, iuſti, & ſancti, ſæpe horum contraria tribuuntur. ¶ *Aut certè*, ſubaudi, dicitis: *vbi eſt Deus iudicij?*] quaſi dicatis, nuſquam eſt Deus iudicij, id eſt, Deus, apud quem ius aut iudicium rectum

Iſai. 43.

Blaſphemiã contra diuinam prouidentiam ex proſperitate impiorum. Pſal.72.

valeat. Si enim vſquam eſſet, non ſic temere & fortuitò, imò ſic peruersè humana gererentur, neque mala bonis, bona iniquis obuenirent. Huiuſmodi blaſphemia & error negantium Dei prouidentiam, in multis aliis locis tangitur ſanctarum ſcripturarum, vt Pſalm. 72, cuius initium eſt: *Quàm bonus Iſrael Deus ijs qui recti ſunt corde!* Quibus verbis ſtatim eum errorem iugulat, & condemnat: & in fine, cùm dicit: *mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Et Eccleſiaſtæ cap. 9. *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta: eò quòd vniuerſa æquè eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti: ſicut bonus, ſic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc eſt, peſſimum inter omnia quæ ſub ſole fiunt; quia eadem cunctis eueniunt: vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita ſua: & poſt hæc ad inferos deducuntur, &c.* Et Hierem. cap. 12. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt? plantaſti eos, & radicem miſerunt; proficiunt & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum.* Et Sopho. cap. 1. *Dicunt in cordibus ſuis, non faciet Dominus bene: & non faciet malè.* Et Ezech. cap. 9. *Iniquitas domus Iſrael & Iuda magna eſt nimis valde, & repleta eſt terra ſanguinibus, & ciuitas repleta auerſione: dixerunt enim: dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt:* Et ſæpè alibi. In quibus omnibus notandum eſt, tam bona quàm mala huius ſæculi, hoc

Eccleſ. 9. *Hierem. 12.* *Sopho. 1.* *Ezech. 9.*

eſt,

est, diuitias, & paupertatem, prosperam valetudinem, & aduersam, libertatem & seruitutem, vacuitatem doloris, atque voluptatem, & dolorem, ad bona & mala futuri sæculi, vmbræ atque picturæ rationem habere, atque adeo nihil esse. Quamobrem, nec eiusmodi bona, pro virtutis præmio, nec eiusmodi mala pro peccati supplicio tribuūtur: sed omnia tamen virtuti seruiunt, siquis sciat vti. Quamobrem non est diuina iustitia ex talium bonorum aut malorum distributione iudicanda, sed ex distributione bonorum & malorum sempiternorum: in qua distributione, neque malis benè erit, neque iustis malè, sed vnusquisque recipiet prout gessit in corpore siue bonum, siue malum: nisi quod ex liberalitate diuina plus etiam boni dabitur iustis, quàm mereantur: & ex diuina clementia, minus iniustis rependetur mali, quàm sint commeriti. Futura igitur bona & mala semper considera: illa quære, ista deuita: præsentia verò tamquam vmbras & res pictas transi, & contemne. Hæc enim consideratio quæ est verissima, à multis te vitiis & peccatis eruet, & beatum tandem faciet. Vnde Apostolus ait. 2. Cor. 4. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna sunt, &c.* Vbi attende elegantissima antitheta: momētaneum, æternum, leue, pondus, tribulationem, gloriam.

Bona omnia huius vitæ ad bona futura vmbra sunt & res picta.

Bona caduca non sunt præmia, nec mala vera supplicia.

2. Cor. 4.

CAPVT .III.

EDITIO VVLGATA.

ECce, ego mitto angelum meum, & præparabit viã ante faciem meam: Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis: ecce venit: dicit Dominus exercituum.

EDITIO CHALDAICA.

Ecce, ego mitto angelum meum & emundabit viam ante me: & statim, seu subitò, veniet ad templum suum dominus ille, quem vos quæritis: & angelus fœderis, quem vos vultis: ecce venit: dicit Dominus exercituum.

¶ *Ecce, ego mitto angelum meum.*] Cum superioribus coniungitur. Dicitis, vbi est Deus iudicij? Nolite esse increduli: differtur quidem iudicium, sed non aufertur. Tandem veniet, profectò veniet. Veniet Christus, qui faciet iudicium, & iustitiam in terra, qui fortem armatum in priori aduentu superabit, & ligabit, & principem huius mundi diabolum eiiciet foras. Qui etiam dicit: *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant:* Ioan.9. quia Ioan.9. Iudæi, qui legis notitiam habere se iactabant,

Christum

Christum in ea promissum nec receperunt, sed contempserunt, & crucifixerunt: Gentes autem, quæ & legem & Christum ignorabant, eum receperunt, & coluerunt, & adorauerunt. Vnde ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matth. 21. Si itaque Deum iudicij atque iudicium quæritis, quo impij iudicentur, & damnentur etiam in hoc sæculo, olim tempus veniet, quando fiet: cùm misero angelum meum, id est, nuncium meum qui præparet & mundet viam ante me, id est, qui ante me vadat & vias euerrat & emundet, vt possim ego ingredi: vt fieri solet, quando reges iter facturi sunt. Complanantur enim ante viç, & rami imminentes abscinduntur, omniáque impedimenta tolluntur. R. Dauid interpretatur angelum de cælo missum: Sicut Exod. 23. ait: *Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, &c.* Cardinalis tamen Caietanus, non de angelo cælesti eum locum interpretatur, sed de terrestri, hoc est, de Mose. R. Abraham verò hunc angelum seu nuntium dicit esse Messiam filium Ioseph, id est, de tribu Ioseph. Duos verò Messias expectant, vt iam diximus in superioribus: alterum filium Dauid, alterum filium Ioseph. R. Selomo tacet. Sed nos opus non habemus alio interprete, cùm Dominus ipse angelum hunc Ioannem Baptistam interpretetur, dicens. Matth. cap. 11. *Existis videre plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præpara-*

Matth. 21.

Exod. 23.

Duos Messias expectāt Iudæi, alterum filium Dauid, alterum Ioseph.

Matth. 11.

bit viam tuam ante te: Quę verba dicuntur in persona Dei ad Messiam. Vt autē à propheta scripta sunt: ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meā: ex persona Christi dicuntur, vt etiam notat D. Hieron. quòd Ioannem miserit in deserto Iudææ prædicare Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Quod autem sequitur, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis: ita de se, quasi de altero loquitur, iuxta consuetudinem scripturarum. Nullíque dubiū, quin dominator iste saluator sit, qui creator est omnium, & magni consilij angelus appellatur. Alij verò, hoc quod dicitur: Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: ex persona patris dictum putant: & quod sequitur: statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis: de Domino saluatore ab eo dictum putant. Sic D. Hieron. quæ posterior sententia magis placet, vt, videlicet, omnia ista verba à patre dicta intelligantur ad Iudæos, de filio suo, ac Domino & saluatore nostro. Dicamus igitur more nostro, propter rudiores fratres, construendo, & particulatim exponendo. Quæritis vos Deum iudicij? Ecce ego Deus pater. Et dicit, Ecce, tanquam de re præsenti: tum quia post hanc prophetiam breue iam tempus erat ad aduentum Christi, nimirum anni quadringenti parū minus, quibus stetit tēplum secūdum: quod breue tempus dicitur, cōparatione totius tēporis ab initio

mundi

mundi præteriti, quo ſaluatoris aduentus expectatus eſt:tum etiam quoniam Deo etiam ea quæ nobis remotiſſima ſunt,ſunt pręſentia.¶ *Mitto.*] Pręſentis tẽporis eſt Heb.שולח *ſcholéach*: id eſt, mittens vt legatur,ecce ego mittens, ideſt, mitto iam nunc mea prædeſtinatione, mittamque quoad executionem, quando venerit plenitudo temporis, LXX. per futurum extulerunt ἰδοὺ ἐγὼ ἐξαποστελῶ,ideſt, ecce ego emittam,in vno tamen codice præſens inueni ἐξαποστέλλω,mitto:ſed parui refert. Nam præſens,vt diximus,intelligitur de prædeſtinatione:futurum verò de exequutione, Angelum meum,ideſt, Ioannem filium Zachariæ.¶ *Et preparabit viam ante faciem meam.*]Ecce ad quid mittitur Ioannes, qui dicitur angelus, id eſt,nuncius. Hoc enim nomine ſignificantur nuntij, non ſolùm Dei,ſed etiam hominum. Vt Gen. 32.de Iacob dicitur,quòd miſit nuntios ad Eſau,vbi Grçcè eſt Angelos,& Hebraícè מלאכים *maleachim*. Mittitur ergo Ioannes nũtius. Et præparabit, ideſt, vt præparet. Heb. declaratur ipſa ſpecies præparationis. Habet enim ופנה *vphinnáh*,ideſt,& expurgabit,euerret, emundabit. Vt Leuit. ca.14.vbi iuxta Hebraicum dicitur:*Præcipiétque ſacerdos, & expurgabunt domum.* Pro quo nos habemus:præcipiet vt auferantur cuncta de domo, LXX. ἀποσκευάσαι τὴν οἰκίαν, id eſt,expedire,euacuare,*Deſpeiar*,Luſitanè.Et Gen.24.*Præparaui domum,& locum camelis tuis*.Græcè,ἡτοίμασα ideſt paraui.Et Pſ.80.cuius initium,Qui regis Iſraël,intende. *Dux itineris fuiſti in conſpectu eius.* Pro quo Hieronymus tranſtulit ex Hebraico,

Gen.32.

Leui.14.

Gen.ſ.24.

Pſal 80.

Præparasti ante faciem eius, subauditur, viam: auferendo impedimenta, & impedientes eam. Et
Isai. 40. Isa. 40. *Parate viam Domini*. Græcè ἑτοιμάσατε,
Ibid. 57. idest, parate. Et cap. 57. quasi exponendo dicit: *viam facite*, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei: Vbi quod ait, declinate de semita, est quod aliàs interpretari solet, parate viã: & Græcè est καθαρίσατε, idest,
Ibid. 62. emundate. Et cap. 62. *Præparate viam populo*, planum facite iter, & eligite lapides. Vbi quod dicitur, Præparate viam, est, Hebraicè verbum, פנו
Sopho. 3. *Pannu*, de quo agimus. Et Sopho. cap. 3. *auertit inimicos tuos*. Græcè autem ibi est, redemit te de manu inimicorum tuorum. Sensus expressus est, non verba: quanquam aliquid valet ipsa verborũ expressio. Et est sensus: auertit inimicos tuos, idest, abstulit impedimenta itineris tui, quæ tibi faciebant inimici tui: Sic igitur in præsenti, de Ioanne dicitur, & præparabit viam, hoc est, ex-
Baptistaque modo viam tripliciter expurgauit. purgabit & impedimenta auferet de via. Hoc enim præstitit Ioannes, tum austeritate vitæ, quam assumpsit, tum baptismo pœnitẽtiæ, quem prædicauit, & exhibuit, tum etiam testimonio & indicatione cùm ipsam Christi personam digito ostendit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* In quo Ioannes aliis prophetis omnibus præstitit. Illi enim solùm per signa quædã & circunstantias Christum demonstrauerunt: at Ioannes ipsemmet Christi personam digito indicauit, & omnem errandi materiam & occasionem amputauit. Ideo enim Ioannes tantæ virtutis, & auctoritatis fuit inter Iudæos, adeò vt Chri-

stus

ſtus eſſe crederetur, vt nullo modo poſſet rationabiliter eius de Chriſto teſtimonium eſſe ſuſpectum. Quid enim minus habuit ſanctitatis Ioannes, quàm Hieremias, aut Iſaias, aut ipſe etiam Elias, in cuius perſona & ſpiritu veniſſe dicitur? ſed adeò immanis erat Iudæorum, & Phariſæorum atque ſcribarum malitia & cęcitas, vt etiam ſi Elias ipſe veniſſet, ac Ieſum (vt fecit Ioannes) digito indicaſſet atque dixiſſet, hic eſt Meſſias quem ſpectatis: credituri non fuiſſent. Quamobrem nullam peccati ſui apud Deum neque homines excuſationem habent. Quoniam autem hæc cæcitas Iudæorum tanta fuit, vt incredibilis videatur: quippe qui Meſſiam Ioannis teſtimonio, & ſuis ipſius miraculis atque ſignis clariſſimis comprobatum, abiecerunt & crucifixerunt: idcirco, vt ne incredibilis mundo videretur, fuit ab antiquis prophetis prædicta, & prænuntiata. Vnde dixit Moſes ipſe Deut. cap. 28. *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate ac furore mentis: & palpabis in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris: & non diriges vias tuas.* Quod ait, palpabis in meridie, ſignificat eos non agnituros Meſſiam, teſtimoniis luce meridiana clarioribus indicatum & oſtenſum: Et Iſa. cap. 59. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & in tenebris ambulauimus: palpauimus ſicut cæci parietem: & quaſi abſque oculis attrectauimus. Impegimus meridie quaſi in tenebris:* in caliginoſis, quaſi mortui. Et c. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & cõuertatur &*

Malitia & cæcitas Iudæorum in non recipiẽdo Chriſto.

Deut. 28.

Iſai. 59.

Ibid. 6.

ſanem

ſanem eum. Quod teſtimonium Ioannes & ad hoc propoſitum citauit, dicens ca. 12. *Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: vt ſermo Iſaiæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & ſanem eos. Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & loquutus eſt de eo.* Hæc Ioannes. Quamuis tamen tanta fuit Iudęorum cæcitas, & mentis obſcuratio, multi tamen ex eis moti, tum authoritate Ioannis, tum ipſius Chriſti vita, doctrina & miraculis, in Chriſtum crediderunt. Quare non fuit ſuperuacanea Ioannis præparatio. Ioannes igitur præparauit viam Chriſto venturo: quoniam prior Ioannes, non ſolùm natus eſt, ſed etiam apparuit, vocatus à Deo ex deſerto, cœpítque prædicare de Chriſto, quod iam eſſet præſens, dicens: *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit,* (ideſt, ſtat) *Quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti,* Ioan. 1. Et nota, quòd quēadmodum Ioannes ſigno ſenſibili, id eſt, digito oſtendit ipſam propriam perſonam Chriſti, dicens: *Ecce agnus Dei,* ſic eadem ipſa perſona Chriſti ſigno etiam ſenſibili ei prius oſtenſa eſt, teſte ipſomet, dum ait: *Ego neſciebam eum,* (ſubaudi in propria perſona) *ſed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit, ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem & manētem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu*

Ioan. 12.

Ioan. 1.

sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est filius Dei: Ioan. 1. Ioannes igitur parauit viam, id est, aptauit corda hominum, exterius prædicando, baptisando, testimonium ferendo, vt Dominum Iesum Christum esse agnoscerent, & reciperent: ipse verò Dominus id quod Ioannes inchoauerat, perfecit & absoluit, interius corda hominum mouendo, & Spiritu sancto implēdo, ac supremam & vltimam formam inducendo. Quemadmodum ministri, & minores opifices solent principi opifici materiam præparare, principis autem est manum vltimam adhibere: Et hoc quidem fecit Ioannes in priori Christi aduentu, circa indicandam Christi personam: In posteriori autem, id ipsum facturus est Elias. Apparebit enim & agnoscetur à Iudæis, quòd verè sit Elias; ac testimonium perhibebit, quòd Dominus Iesus, quem patres ipsorum reprobauerūt, verè est Messias in lege, & prophetis promissus. Quamobrem conuertentur Iudæi, qui tunc fuerint superstites, & Dominum Iesum Christum agnoscent & recipient, impetrata venia prioris infidelitatis: & tunc fiet vnum ouile, & vnus pastor: impleto illo vaticinio Hoseę Prophetæ c. 3. *Post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum & Dauid regem suum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Quandiu autem duraturus sit hic status ante aduentum Domini, ad iudicium, & consummationem sæculi, nemo nouit. In illo autem aduentu non erit opus neque Ioanne, neque Elia, qui Christi personam indicent. Tantus enim erit eius

Ioan. 1.

Osea 3.

splen

ſplendor, vt quemadmodum ſol inter omnes ſtellas agnoſcitur,ita Chriſtus inter omnes ſanctos protinus viſus cognoſcatur. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam ·) ideſt,ante me, antequam ego vadam ad Euangelium prædicandum, & mundum redimendum morte mea.Et ſic ſunt verba Chriſti:poſſunt etiam,meo quidem iudicio, eſſe verba patris, hoc modo: Præparabit viam ante faciem meam,ideſt, ante Chriſtum meum. Chriſtus enim iuxta veteres Rabbinos appellatur in ſcripturis, facies Dei, vt Pſal. 16. *Ego in iuſtitia apparebo conſpectui tuo,ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quod iuxta Hebraicam veritatem hoc modo legitur: Ego in iuſtitia videbo faciem tuam, ſatiabor cùm euigilauerit ſimilitudo tua. Et Oſeæ. 6. *In die tertio ſuſcitabit vos & viuemus ante faciem eius.* Habet gloſſa Rabbi Moſi, hæc facies eſt Rex Meſſias,& citat illud Pſal.79. *Domine Deus exercituum conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus.* Meritò autem filius Dei dicitur facies Dei: quia ſicut ex facie homo cognoſcitur, ſic ex filio, pater. Vnde etiam ait:*Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Poteſt etiam dici ex perſona patris, hoc modo: Parabit viam ante faciem meam,id eſt, ante quàm ego vadam, & prædicem euangelium per filium meum, & mundum redimam per mortem eius. Quomodo etiam D. Paulus loquitur dum ait ad Heb.1. *Locutus eſt nobis in filio,quem conſtituit hæredem vniuerſorum,*per quem fecit etiam ſæcula.Vbi nota,præpoſitionem,(per) more Hebraico ſignificare non

Chriſtus facies Dei dicitur. Pſal.16.

Oſea 6.

Heb 1. Præpoſitio per Hebræis nõ ſemper inſtrumẽtum ſed multoties concomitantiam.

inſtrumentum, nec enim inſtrumẽtum patris eſt filius, ſed ei æqualis, ſed cócomitantiam, vt idem ſit, per quem fecit etiam ſæcula, atque, cum quo fecit etiam ſæcula. Vnde ait Pꝛou. 8. *Cum eo eram cuncta componens.* Pro quo Hebræi legunt: Et fui iuxta eum nutritius. Similiter cùm dicitur, omnia per ipſum facta ſunt, ſignificat cum ipſo, ſeu, ipſo pariter faciente, omnia facta ſunt. Et eodem modo vbicunque hæc particula, (per) filio Dei accommodatur: quæ in Hebraico ſolet per literam beth ſignificari. Quomodo etiam rectè intelligitur, quod pater ſpirat ſpiritũ ſanctum per filium id eſt, cum filio. ¶ *Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis.*] Et ſtatim, id eſt, mox, poſt præparatam viam per Ioãnem. Veniet ad templum ſuum dominator. Hebraicè האדון *Haadón*, id eſt, Dominus ille, hoc eſt, Rex Meſſias, iuxta etiam R. Dauid. R. autem Selomo exponit, Dominator ille, ſeu, Dominus ille, id eſt, Deus iudicij, de quo videlicet quæſitum fuerat in fine capitis prioris, vbi eſt Deus iudicij. Ex quo intelligitur Meſſiã ipſum eſſe Deum iudicij: qui facturus eſt iuſtitiam & iudicium in terra: vt prædixit Hieremias. R. etiam Abraham exponit, veniet Dominus, id eſt, veniet gloria ſeu honor, hoc eſt, Deus glorioſus & honorabilis. Statim verò dicit, iuxta R. Dauid, qui ea quæ hîc dicuntur de poſteriori Chriſti aduentu exponit; propterea quod, inquit, non eſt reuelatus finis, ſeu terminus, nec expoſitus in lib. Danielis. Ideo dixit, ſtatim, ſeu, ſubitò, vt eſt in Hebraico פתאום & in Græco ἐξαίφνης: quia nemo nouit diem aduen-

Prou 8.

Pater ſpiritum ſanctũ per filiũ, id eſt, cum filio ſpirat.

Rabbini ad poſteriorem Chriſti aduentum referunt.

tus eius, in quo adueniet, donec adueniat. Vnde ait Daniel cap. 12. *Quia clausi sunt, signatique sermones vsque ad præfinitum tempus.* Sic R. Dauid. Nos autem qui ad priorem Domini aduentum ista referimus, dicimus quoque ipsum subitò venisse, nemine prorsum sciente ipsum esse Messiam, exceptis paucis iustis, & fidelibus: & postquam in templo inuentus est à matre, cùm esset annorum duodecim, vitam priuatã duxit vsque ad annum tricesimum, exercens officium fabri, & fabri filius existimatus. Quamobrem, etiam cùm prædicare publicè euangelium cœpisset, à cognatis insaniisse credebatur, multique dicebant, Ioan. 7. quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? subitò igitur, & tanquam de repente venit Dominus Iesus, tãquam Messias: nam antea notus erat, tanquam faber. Quare dicebant Matth. 13. Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? *Nonne mater eius dicitur Maria? &c.* Et Marci 6. *Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi? Nonne hic est faber filius Mariæ? &c.* Rectè igitur ait, quòd statim & subitò venit tanquam Messias, & Messiæ officiũ exercens: Voluit enim Dominus vsque ad annum ætatis tricesimum publicè fabrilem artem exercere, vt omnes intelligerent suam doctrinam, & sapientiam non esse humanitus acquisitã, sed diuinitus infusam. Ad templum suum. Ex hoc probat D. Hier. contra Rabbinos, hunc locum non intelligi de posteriori aduentu, dicens: miror quomodo eos rerum exitus non doceat veritatẽ. Quod enim templum suum inueniet dominator, quod vsque ad

Christus Dominus exercens officium fabri vsq; ad annum 30. Ioan. 7.

Matth. 13.

Quare Christus Dominus publicè artẽ fabrilẽ vsq; ad annũ 30. exercuit.

funda

fundamenta destructū est? aut si ab alio extruendum est, antequā Christus adueniat, quid Christus eorum ampliùs facturus est, cùm ab alio restituta sint omnia? Sic Hier. Illud verò notādum, templum hoc loco dici Hebraicè היכל *hechál*, quod propriè palatium significat, etiam regis humani: vt Dan. 1. *Qui possent stare in palatio Regis.* Et 3. Reg. 21. *Iuxta palatium Achab regis Samariæ.* Et 4. Reg. 20. *Erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis.* Et quoniam ipse Deus opt. max. Rex est, eius etiam domus hoc nomine appellatur, id est, palatium, quanquam interpretes solent, cùm Deo accommodatur, templum interpretari. Id quod annotaui, ne quis cum Iudæo disputans velit ex hoc loco, ex vi vocabuli probare, Christū Deum esse, quippe qui templum habeat. Ridebit enim Iudæus, atque dicet: non templum, sed palatium in Hebraico haberi, atque intelligi non de templo Domini, sed de palatio Regis Messiæ, quem Iudæi non credunt Deum esse. Re vera tamen, hoc loco, palatium, templum intelligitur. Nam palatium Messiæ nusquam in scriptura commemoratur. Et R. Selomo, vti diximus, Dominatorem hūc Deum iudicij interpretatur. Et R. Abraham gloriam, seu, honorem, id est, כבוד *Cabód*, quo nomine Deum ipsum significat. Dei verò palatium, templum appellatur: quo modo etiam basilicam Ecclesiam appellamus. Quare rectè Hiero. templum interpretatur, quotiens hoc nōmen Deo tribuitur. Et quanquam intelligi potest Dominum in templum suum venisse, quando eum in templum præsentauerunt adhuc in-

Daniel. 1.

3. Reg. 21.

4. Reg. 20.

Templum palatiū Hebraic. significat, quod Deo accommodatū tēplum est.

Messiam nō credunt Iudæi Deum futurum.

Basilica quare etiā Ecclesia appellata.

fantem, vel quando duodecim iam annos ætatis habens in templum venit, & cum legis peritis diſputauit: potius tamen intelligitur de itione eius in templum ad docendum, id quod ſæpe fecit, iuxta illud: *Quotidie apud vos ſededam in temelo docens.* Matth. 26. Quoniam prophetia loquitur de aduentu, ſeu itione Chriſti in templum, poſt præparatam viam per Ioannem. De hoc templo etiam Pſalmiſta ait: *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam, in medio templi tui.* Pſal. 47. vbi Aug. legit, in medio populi tui: ſed tam Græci quàm Hebraica veritas, habent, tẽpli tui. Vnde etiam propter Chriſti præſentiam in illo templo exhibendam dixit propheta Haggæus cap. 2. *Implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Maior erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quod autem D. Hiero. ex quorundam ſententia interpretatur, veniet ad templum ſuum, hoc eſt, ad Eccleſiam, vel vnumquemque fidelium in Eccleſia: iuxta allegoricum ſenſum, audiendum eſt, non iuxta literalem: verè enim Eccleſia, & vnuſquiſque fidelis templum Dei eſt. Sed ad eiuſmodi templum Chriſtus inuiſibiliter venit, & intrat per fidem, & charitatem. Propheta verò de viſibili aduentu loquitur, qualis fuit præcipuè ille, quando turbis, cum ramis acclamantibus *Hoſana, benedictus qui venit in nomine Domini*, ſolemniſſima atque celeberrima pompa in templum ſuum venit, & ex ore infantium ac lactantium ſuam atque patris perfecit laudem. ¶. *Quem vos quæritis.*]

Matth. 26. *Pſal. 47.* *Hagg. 2.*

De aduentu viſibili Chriſti in templum.

tis.] Quem ſubaudi dominatorem, ſeu Dominum. Vos,Iudæi: quæritis tanquam rem occultam.& abſconditam. Quam rem omnes qui rectè quærunt,inueniunt:iuxta illud Deut. cap. 4. *Cúmque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris & tota tribulatione animæ tuæ.* Certè Iudæi nihil aliud eſſe putant quærere, niſi Chriſtum. Quibus tamen dicit Ioan.cap.7. *Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Quærentes enim Chriſtum per fidem,quæ per charitatem operatur,inueniunt eum, qui autem per infidelitatem & odium eum quærunt, inuenire nullo pacto poſſunt. Omnes itaque tam boni, quàm praui Chriſtum quærunt, ſed ſoli boni eum inueniunt. Chriſtus enim beatitudo eſt. Ideò autem Iudæi Chriſtum quærentes non inueniunt:quia falſa & aliena ſigna ſequuntur: Exiſtimant enim Chriſtum venturum in hunc mundum, vt in eo regnet, & monarcha in toto orbe ſit,& habeat omnes huius mūdi diuitias & delicias,pluſquam Dauid,& pluſquam Salomon,& pluſquam Cæſar Auguſtus:cùm tamen Dominus Ieſus,qui verus eſt Chriſtus,in hoc mundo pauperem vitam duxerit,nec habuerit vbi caput ſuum reclinaret: apertéque profeſſus ſit, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo: & tandem inter duos latrones crucifixus ſit.Quemadmodum igitur ſi quis rem falsò deſignatam quærat,eam nō inuenit,quamuis in eam incurrat,eamq́ue oculis cernat: quia non videt in ea ſigna, quibus eam inſignitam credit:ſic Iudæi, quamuis Chriſtum præſentem

Deut. 4.

Ioann. 7.

Iudæi Chriſtum nō inueniūt,quia ſub falſis ſignis eū quærunt.

habuerunt,& cum eo collocuti fuerũt, eum non agnouerunt, nec inuenerunt. Id quod eis Isaias
Isa. 58. significauit,dicens cap.58.*Me de die in diem quærunt & scire vias meas volunt,quasi gẽs quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit.* Quod igitur propheta ait:statim veniet dominator,quẽ vos quæritis : ad vtrosque refertur, & ad eos qui rectè quærunt, & inueniunt : & ad eos, qui non inueniunt, propterea quod malè quærunt. Nos autẽ gentes super misericordia honoremus Do-
Isaiæ 65. minum,de quibus idem dixit Isaias cap.65. *Quæsierunt me,qui ante non interrogabant:inuenerunt qui non quæsierunt me.* Gentes enim Messiam nõ quærebant, nec agnoscebant, nec expectabant : sed ipse per suam misericordiam eas quæsiuit, & ab eis sese inueniri fecit per Apostolorum prædicationem. ¶ *Et Angelus testamenti quem vos vultis.*] Subaudi, veniet ad templum suum.Et iuxta Hebræos, idẽ ipse dominator quẽ Messiam etiã interpretãtur,appellatur angelus testamenti,id est, nuncius, seu denunciator fœderis. Quamquam R.Dauid adiungit,posse etiã angelum testamenti appellari Eliam:dicíque eum angelũ, seu nuntium fœderis, seu pacti, propterea quòd zelator fuit fœderis circumcisionis,iuxta illud 3.Reg.19.
3. Reg. 19. *Zelo zelatus sum super Domino Deo exercituum,quia dereliquerũt pactum tuum filij Israel.* Sed cum beato Hieronymo vtrumque de domino Saluatore intelligendum est. Appellatur autem Christus, angelus,id est,nuntius,seu denũciator testamenti, id est, pacti seu fœderis : quod Hebraicè cum articulo emphatico scribitur הברית *habberith,*

quasi

quasi dicas, illius testamẽti, seu illius fœderis, seu illius pacti. Et consimiliter in Græco, τῆς διαθήκης. Intelligit autem nõ legem Mosi, quam Christus non venit annũciare, sed adimplere: solùm enim vsque ad Christum duratura erat: sed intelligit testamentum illud, seu pactum de quo prædixerat Isaias cap. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*, & Hieremias cap. 3. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, &c.* Notandum autẽ, quòd ברית *berith* verbum Hebraicũ Aquila συνθήκην, id est, pactum interpretatur. LXX. semper διαθήκην, id est, testamentum: & in plerisque scripturarum locis testamentum, non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium. Autor Hieronymus hîc cap. 2. ad illa verba: ecce ego proiiciam vobis brachium. Et ait, quem vos vultis, hoc est, impẽsè desideratis, & maximo atque propensissimo affectu complectimini. Et intelligitur similiter, vt de quærentibus diximus, tam de iis qui rectè & ex syncera fide volebãt: quàm de iis qui non rectè neque ex verà fide Christum desiderabant: sed vana persuasione Christum ad delicias & gaudia huius mundi expectabant, vt hodiéque expectant miseri Iudæi: de quibus dixit Amos cap. 5. *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini ista, tenebræ & non lux, &c.* Nunquam enim adeò fuerunt obtenebrati & vexati Iudæi, atque post aduentum Domini, quem tantopere desiderabant: quia non spiritualiter, sed carnaliter eum volebant, & volunt, ad fruendum bonis & deliciis huius sæculi. Nos au-

Isai. 2.

Hier. 3.

Testamentum multoties, non voluntatẽ defuncti, sed pactum viuentiũ in sacrascript. significat.

Amos 5.

tem qui veram de Christo fidem tenemus, non in hoc mundo, neque sub sole, sed in cælo beatitudinem quærimus, & volumus, vbi ipse Christus caput nostrum est, ad dexteram Dei sedens. Iudæi autem profectò iniuriam Christo faciunt, tam vile regnum, hoc est, terrenum & sub sole ei tribuentes. ¶ *Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*] Hîc in Hebraico clauditur superior versus : & est repetitio eiusdem verbi, ad maiorem asseuerationem indicandam. Quasi dicat, veniet, veniet profectò, nolite dubitare : vt etiam dicit Habacuc cap. 2. *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Cùm autem prius dixisset, veniet, nunc per præsens repetit, ecce venit, id est, הִנֵּה בָא *hinné bá*, tum ad indicandam maiorem certitudinem, tum ad aduētus appropinquationem demonstrandam.

Habacuc. 3.

VVLG. *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans: & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentū: & erunt Domino offerētes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificiū Iuda, & Hierus. sicut Dies sæculi, & sicut anni antiqui.*

CHALD.

CHALD. *Et quis ſufferens diem aduentus eius? Et quis ſtabit quando reuelabitur, ſeu apparebit? quoniam ira eius veluti ignis liquefaciens, & tanquam ſapo, quo veſtes candificantur. Et apparebit conflando & purificando tanquam vir qui conflat, & purificat argẽtum, & purificabit filios Leui & fundet eos quaſi aurum, & quaſi argentum: & erunt coram Domino offerentes ſacrificium cum puritate ſeu innocentia.*

¶ *Et quis poterit cogitare.*] Hunc locum D. Hier. ſic enarrat, vt non plane intelligatur, de priori ne aduentu Chriſti, an de poſteriori accipiendus ſit? Magis tamen placet, vt ad priorem referatur cum ſuperiori. Ecce, inquit, Dominus & angelus teſtamenti venit in mundum, & in templum ſuum. Sed eſt operæpretium intelligere qualis erit aduentus eius, vt pote principis atque Regis tam diu, & tam valde expectati. Vnde ait: Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Si, ait Hieronymus, cogitare pro potentia maieſtatis eius nemo poteſt: ferre quis poterit? Sic D. Hier. Hebræi legunt ומי מכלכל *vmi mechalchel*, id eſt, & quis ſuſtinens ſeu ſufferens, ſubaudi, erit: id eſt, quis poterit ſuſtinere ſeu ſufferre? Diem, id eſt, tẽpus. Aduentus eius, quaſi dicat, erit tempus difficile toleratu. Quibus verbis ſignificatur miſeria, & labor, atque captiuitas, quæ Iudæis euentura erãt in aduentu, & poſt aduentum Chriſti: ſicut experientia comprobauit: idque non culpa ipſius

Dies Domini toleratu difficilis Iudæis propter captiuitatẽ eius.

Christi, sed propter ipsorum Iudæorum impietatem & infidelitatem. Vnde etiam dixit Amos
Amos.5. cap.5. Vt modò citauimus: *væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ, & non lux:* Vnde etiam Dominus ait de destructione Hierusalem prædicens: *erit tunc tribulatio magna*, subaudi in Hierusalem, *qualis non fuit ab*
Matt.24. *initio mundi, vsque modò, neque fiet.* Quanquam aliqui hæc verba de consummatione mundi inter-
Luc.23. pretantur. Et rursus Luc. 23. *Ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos, &c.* Quæ mala copiosè conscripsit Iosephus, proprius ipsorum historiographus. Rectè igitur ait: ecce venit, & quis poterit ferre diem aduentus eius? Quoniam, videlicet, In eo die & tempore, multi excoquētur igne tribulationum & angorum, sicut in fornace excoquitur aurum & argentum: quæ si sensum haberent, maximo cruciatu afficerentur, dum exco-
Doctrina Christi grauis Iudæis. quuntur. Intelligitur etiā de doctrina, & increpationib. Christi quas impij ferre non poterant.
Isai.11. De quo & Isaias prædixit, cap. 11. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interfi-*
Sap.2. *ciet impium.* Quare & in lib. sapiētię dicunt cap. 2. *Improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Grauis est nobis etiam ad videndum. Iuxta Hieronymi interpretationem idem sensus est. Et quis poterit cogitare, ne dum ferre diem, seu tempus aduentus eius? id est, mala & tribulationes, quæ euenient impiis in aduentu

eius:

eius: atque hæc quidem particula, ad posteriorem etiam aduentum referri potest. ¶ *Et quis stabit ad videndum eum?*] Quis stabit, id est, quis poterit stare & consistere, vt non cadat & prosternatur, atque deiiciatur. Ad videndum eum, id est, videndo eum. Vnde Hebraicè clarius scribitur per passiuam, & qui stans; subaudi, erit, quando apparuerit, seu visus fuerit: subaudi, dies eius, vel potius ipsemet dominator & nuntius fœderis. ומי העמד בהראותו Vnde etiam L X X. habent *ἢ τίς ὑποστήσεται ἐν τῇ ὀπτασίᾳ αὐτοῦ*; Id est, aut quis subsistet in visione seu apparitione eius? quod etiam generaliter de impiis intelligitur, qui in aduentu & apparitione Christi ceciderunt, & casuri sunt: vnde & Simeon iustus dixit Luc. 2. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum cui contradicetur.* Luc. 2. Est igitur sensus: Et quis sustinens diem aduentus eius? quasi dicat, difficilis toleratu erit impiis, & in infidelitate sua perdurantibus. Et quis stans erit quando apparuerit? quasi dicat, beatus qui steterit, infelix qui crediderit. Vnde D. Petrus etiam ait epist. 1. cap. 2. continet scriptura: *Ecce pono in Sion lapidem summum,* angularem, probatum, electum, preciosum. Et qui crediderit in eum non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Hæc etiam particula ad posteriorem aduentum accommodari potest: pro-

1. Pet. 2.

priè tamen pertinet ad priorem: quia de nuntio fœderis loquitur, id eſt, de inſtitutione legis euangelicæ. Quam quidem in priori aduentu venit annuntiare, non in poſteriori: ſed ſi tanta malorum magnitudo impiis in priori aduentu futura erat, vt dicatur, quis poterit cogitare, aut ferre diem aduentus eius, & quis ſtabit, cùm apparuerit: quantò maior erit in poſteriori: omnia enim mala præcedentia, initia malorum Dominus appellauit Matth. 24. ¶ *Ipſe enim quaſi ignis conflans.*) Subaudi, erit, ſeu adueniet. Quis autem non timeat ignem cõflantem, & in fornace ſuccenſum, & excoquentem? magna vis ignis, quæ ferrum etiam ipſum domat; quod domat omnia, & rigidiſſima ac duriſſima metalla fundit, emollit, & liquefacit. Chriſtus igitur igni aſſimilatur, propter efficaciſsimam & potentiſsimam efficaciam, & potentiam: quia poteſt animam pariter atque corpus impiorum mittere in gehennam, nedum eos in hoc mundo per varias tribulationes cruciare, & tanquam igne excoquere & torquere. Notandum autem, quòd in hoc mundo, tam pij quàm impij cruciantur, & labores atque tribulationes ſuſtinent: ſed diuerſo euentu. Nam pij tribulationum igne purgantur, & peccatorum ſordes & ſcorias abiiciunt, fiúntque nitidiores & puriores veluti martyres, & confeſſores: & denique omnes qui piè volunt viuere in Chriſto. Omnes enim perſecutionem patiẽtur. Vnde Prouerb. 17. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus.* Et Eccl. 2. *In igne probatur aurum & argentum: homines verò*

Matth. 24.

Chriſtus ignis.

Pij & impij in hoc mũdo cruciantur.

Prouerb. 17.

Ecclеſ. 2.

receptibiles(id eſt, Deo grati & chari) *in camino humiliationis*, id eſt, afflictionis. Impij verò ſic in hoc mundo crucientur, vt ex ipſis cruciatibus deteriores etiam euadant & impuriores. De quibus ait Hieremias cap. 6. *Deficit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtrà conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ: argentum reprobum vocate eos omnes: quia Dominus proiecit illos.* Talis fuit impiiſſimus Herodes, & Pharao: qui temporales huius mundi cruciatus cum æternis futuri coniunxerunt. Notandum etiam, quòd dupliciter poteſt intelligi ſcoria: vno modo, ſcoria ſunt ipſa vitia & peccata, quæ in ipſa natura & anima, quæ vtique de ſe bona & pura eſt, vt pote, à Deo facta, inſunt, eámque inquinant & impuram reddunt: Atque huiuſmodi ſcoria ſæpe fit, vt in hoc mundo per tribulationum ignem eximatur. Redeunt enim in ſe peccatores in tribulationibus, dum intelligunt peccata eſſe ipſarum cauſam: atque ſic peccata abiiciunt, & ad Dominum conuertuntur & reuertuntur: vt fecit filius ille prodigus, qui quandiu ſumptus ad delicias & voluptates ſuppetebant, nunquam ad patrem rediit, ſed poſteaquam ad extremam penuriam redactus eſt; Atque de huiuſmodi ſcoria eſt præſens ſermo, dum ait: ipſe enim quaſi ignis conflans. Nam verbum צרף quod cõflare interpretatur, propriè ſignificat metalla fundere, & excoquere ad purificandum ea, & ab ſcoriis expurganda. Altero modo ſcoriæ intelliguntur homines impij & peccatores, qui nunc interim inter bonos & pios conuerſantur,

Hierem. 6.

Scoria dupliciter al tero modo vitia.

Reſipiſcunt peccatores per tribulationes.

Homines impij etiã ſcoria.

& permiſcentur in eadem ciuitate, & in eadem domo. Quæ quidem ſcoria in poſteriori Chriſti aduentu eximetur, iuxta illud Matth. 13. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* Vnde malè Rabbini præſentem locum de hac malorum à conſortio iuſtorum ſeparatione interpretantur. Illa enim ſeparatio erit illa quidem cum tribulatione & cruciatu: quia grauiſſimum erit impiis ſic à piorum contubernio ſeparari: ſed non erit per tribulationem, neque tribulatio eius autor aut cauſa erit: quomodo in præſenti intelligitur. Vnde & R. Dauid hoc loco imprudens citat illud Zach. 13. *Ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum:* Is enim locus non intelligitur de ſeparatione iniquorum à piis & iuſtis, ſed de ſeparatione criminum & impietatum, ab ipſis hominibus criminoſis & impiis. Facit etiam contra Rabbinos, id quod ſubiungitur de herba fullonum. Ea enim inhærentes maculas veſtium aufert, non autem veſtes impuras à puris diſtinguit: ſicut etiam ignis non ſeparat metallum impurum à puro, ſed impuritatem à metallo impuro. Ex quo etiam intelligitur, hunc locum propriè ad priorem Chriſti aduentum pertinere, in quo per Euangelij prędicationem, & pœnitētiam, & laborum cum patientia, propter iuſtitiā, perpeſsionē, homines à peccatorum maculis, & vitiorum ſcoriis expurgantur. D. Hieron. hoc modo interpretatur. Et quis ſtabit ad videndum eum? hoc eſt, quis eū poterit lippiētibus & cæcutiētibus oculis in ſua claritate

Matth. 13.

Zachar. 13.

conſpice

conſpicere: qui eſt ſol iuſtitiæ,& in cuius pennis eſt ſanitas? Ipſe veniet quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Ignis enim in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida. Tunc vocabit cælum deſuper & terram, vt diiudicet populum ſuum: flumina ignis trahent ante eum, peccatores quoſque voluentia. Ignis autem dicitur Dominus, & ignis conſumens: vt ligna noſtra, fœnum, ſtipulámque comburat. Et non ſolùm ignis, ſed etiam herba fullonum, quæ Hebraicè בורית מכבסים *boruth mechabbeſim* appellatur. Et LXX. πόαν πλυνόντων, id eſt, herbam fullonum vertunt. Ipſe iis, qui peccant grauiter, ignis conflans eſt, atque conſumẽs: qui autem leuia peccata committunt, herba fullonum: vt lotis mundiciam reſtituat, ſecundum illud quod ſcriptum eſt in Iſai. c. 4. *Lauabit Dominus ſordes filiorũ & filiarũ Sion*: & ſanguinẽ emundabit de medio eorum, *Spiritu iudicij, & ſpiritu combuſtionis.* Qui ſordes habent, ſpiritu iudicij indigent, vt lauentur: qui ſanguine pleni ſunt, ſpiritu combuſtionis: vt ſanguis, qui eis extrinſecus litus eſt, auferatur. Sic D. Hieronym. ad verbum. Quæ, ſi quis aduertat, partim ad vltimum Domini aduentum ſpectant, partim ad priorem. Nobis autem totus locus ad priorem pertinere videtur. Nam herba fullonum, quæ manifeſtè ad purgandum & candificandum adhibetur, in vltimo aduentu locum non habebit: vbi nulla iam erit purgatio aut pœnientia, ſed præteritorum peccatorum irreuocabilis vltio. ¶ *Et quaſi herba fullonum.*] Hebraicè dicitur, &

Iſai. 4.

quaſi

quaſi borith. Quod R. Dauid interpretatur Saponem. R.Selomo herbá,qua delentur maculæ. Sic etiam R.Iona:potius fortaſſe ſaponem ſignificat, cuius in mundando maior eſt acrimonia, quàm herbæ.Dicitur autẽ Borith,à verbo Hebr. barár,quod ſignificat purificare & mũdare:vnde mũdi corde dicũtur ברי לבב *bara lebáb.* ¶ *Et ſedebit conflans.*] Cur dicit:& ſedebit: cùm metallorum conflatores & fuſores, non ſedendo, ſed ſtando conflent? Voluit aperire metaphoram, Chriſtus enim tanquam iudex venit mundi,iuxta illud quod dixit: *Nunc iudicium eſt mundi. Nunc princeps huius mũdi eijcietur foras*.Ioan. 12. Et eſt ſenſus, nunc per verum & iuſtum iudicium mundus liberabitur,& eximetur de iniqua & iniuſta poteſtate,& tyrãnide diaboli.Chriſtus enim per fidem,quam docuit, detexit eius fraudes: & per pœnam mortis, quam ſuſtinuit, ſoluit quod mũdus Deo debebat,& ſic de carcere diaboli,& inferni liberatus eſt. Poſſumúſque hoc loco exponere, quòd quemadmodum ignis ſeparat & & abiicit ſcorias & ſordes ab argento & auro, ſic Chriſtus ſeparauit & eiecit diabolum de mundo.Nũc enim,inquit, *Princeps huius mũdi eijcietur foras.* Idque Chriſtus fecit tanquam iudex: quia pater non iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit filio. Ioan.5. Quod intelligitur non ſolùm de iudicio, quo iudicabuntur & damnabuntur impij homines, ſed etiam dæmones, iuxta illud Pauli 1. Cor. 6. *Neſcitis quoniam angelos iudicabimus?* Et rurſum c.9.ait idem Dominus.*In iudiciũ ego in hunc mundum veni vt qui non vidẽt vi-*

Ioan 12.

Chriſtus iudex declaratur,ſed quomodo.

Ioan.5.

1. Cor.6.

Ioan 9.

deant

deant: & qui vident cæci fiant. Hoc enim iustissimum iudicium à Christo emanat, vt qui fatentur se ignorare, discant rectam fidem, qua salui fiant, qui autem obstinatè putant se veram fidem tenere, nec indigere doctrina Christi, cæci fiant, & damnentur. Quod autem dicitur cap. 3. eiusdem Ioannis: *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum:* Intelligitur de principali proposito, quod est saluare mundum, hoc est, homines mundi, cum pia affectione fidem recipientes: sed ex consequenti damnat etiam impios, fidem contemnentes. Dicitur etiam, & sedebit conflans ad indicandam conflatoris serenitatem, & tranquillitatem. Conflans, id est, excoquens, fundens & liquefaciens dura hominum corda, atque emolliens, & à peccatorum scoriis purgans, per suam doctrinam, in qua nihil est palpans aut blandiens, sed omnia rigoris & veritatis plena. Christus enim viam Dei in veritate docuit, sinè personarum respectu, dicens, Matth. 23. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Et de Herode dixit, *Dicite vulpi illi.* Sed nonnullorum corda vsque adeo infidelitatis & malitiæ magnitudo obdurauit, vt etiam sic igne Christi & seueritate conflata, instar adamantis, in sua duritia perdurauerint & perdurent. Quales supra, ex Hieremia, argentum reprobum vocari docuimus: de quibus etiam sub alia metaphora dicit Amos cap. 9. *Concutiam domum Israel in omnibus gentibus, sicut concutitur in*

Quale iudicium Christus exercuerit.

Ioan. 3.

Matth. 23.

Corda quædam quæ Dominus igne liquefacere non potuit.

Amos 9.

cribro: & non cadet lapillus super terram. Cùm enim excutitur frumentum in cribro, solent lapilli,& arenulæ, & aliæ sordes excerni, & in terram cadere:& sic manet frumentum purum. At Israel fuit & est frumentum reprobum: quod quamuis à Deo agitatum sit, & concussum per omnes gentes, tamen impurus manet, nec eius sordes excernuntur aut separantur. De verbo conflandi supra diximus, quod significat metalla igne liquefacere,& sic purgare.Iuxta quam rationem etiam ait Ezech.11. *Auferam cor lapideum de carne eorum,& dabo eis cor carneum, vt in praeceptis meis ambulent.* Et cap.36. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, &c.* ¶ *Et emundans argentum.*] id est, homines qui dicuntur argentum, propter bonitatem & puritatem naturæ à Deo conditæ. Dicuntur autem emundari à sordibus peccatorum, quas homo ipse sibi adiunxit, Deo inobediens: iuxta illud Ecclef. 7. *Fecit Deus hominem rectum: & ipse se infinitis miscuit quaestionibus.* Quidam legunt; & emundans quasi argentum:sed ea particula,quasi,non est in Hebraico,suppleri tamen rectè potest. ¶ *Et purgabit filios Leui.*] Purgabit: idem verbum est in Hebraico, quod vertitur emundans. Vtrobique enim est verbum טהר *tihar*, quod mundare significat, quocunque modo emundationis filios Leui, id est, Leuitas, quo nomine intelliguntur omnes sacerdotes. Vnde dicitur Act. 6. *Verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem valde; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* De qua fide dicit Petrus, *fide*

[Margin: Ezech.11. Ibid.c.36. — Eccl.7. — Actor. 6.]

purifi

purificans corda eorum. Fides enim initium eſt emundationis & purificationis. Meminit autem nominatim ſacerdotum: quia ex ſacerdotũ mũditia & puritate, pendet mundicia & puritas totius populi. Contra verò, vbi diuinus cultus negligitur, & ſacerdotum puritas abeſt, omnia impuritate & vitiis contaminantur & conſpurcantur. ¶ *Et colabit eos quaſi argentum & aurum.*] Verbum Hebraicum זקק *Zikkek* propriè ſignificat fundere, quomodo funduntur in igne metalla: qua fuſione colantur, id eſt, purgãtur. Quo etiam verbo Apuleius vſus eſt, de Gymnoſophiſtis dicens: Non illi norunt aruum colere, vel aurum colare vel, equum domare. ¶ *Et erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.*] Poſtquam fuerint à Domino expurgati & colati, tanquam aurum & argentum, tunc offerent Domino ſacrificia in iuſtitia, id eſt, cum iuſtitia, ſeu iuſtè & ſanctè. Ex quo intelligitur, quòd ſacerdos, qui in peccato mortalis exiſtens, offert, grauiſſimè peccat, non iuſtè neque ſanctè res ſanctiſsimas tractando. In Hebraico ſingulariter dicitur, erunt Domino offerentes ſacrificium, ſeu munus in iuſtitia. Et eſt nomen מנחה quod ſupra vertit munus, vbi ait, *Et offerentem munus Domino exercituum.* Et vbi ait, Et munus non ſuſcipiam de manu veſtra: Vbi etiam oblationem interpretatus eſt dicens: offertur nomini meo oblatio mũda. De qua oblatione præſens locus intelligitur imprimis. Sed poteſt etiam pluraliter dici: propterea quòd ſub duplici ſpecie panis & vini offertur. Vnde etiam in canone dicimus, Hæc munera, hæc dona. ¶ *Et*

placebit Domino ſacrificiũ Iuda & Hieruſalem. ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.] Heb. וערבה *Vea-reba*, id eſt, dulce erit, hoc eſt, iucundum & ſuaue erit. ¶[*Domino.*] Cui ſoli ſacrificium offerendum eſt. Sacrificium Iuda, & Hieruſalem, etiam hoc loco habetur Hebraicè nomen מנחה *minchá*, quod ſupra vertit munus & oblationem: Et iuxta R. Dauid, ait ſacrificium Iuda & Hieruſalem: propterea quòd in Iudæ ſorte, id eſt, in Hieruſalem erat templum Domini, in quo ſolo licebat offerre ſacrificium. D. autem Hieron. interpretatur, & placebit ſacrificium eorum, nimirum, Leuitarum ſacerdotum, quod offerunt pro Iuda & Hieruſalem, hoc eſt, pro iis qui Dominum cõfitentur, & pacem eius mente conſpiciunt. Eccleſia verò accommodat hunc locum Chriſto Domino, quando in die purificationis beatæ virginis matris ſuæ fuit in templo præſentatus & oblatus. Nam ad nonam, hoc facit capitulum: Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Hieruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui: dicit Dominus omnipotẽs. Quare eadem ratione intelligitur de ſacrificio Euchariſtiæ, in quo idem Dominus quotidie re ipſa, & verè in eccleſia offertur. Et nota, quòd in veteri lege ſacerdotes eſſe non poterant, niſi ex tribu Leui: ſed in lege noua ex omnibus gentibus & tribubus aſſumuntur, vt alibi oſtendimus, ex Iſaia cap. 66. vbi ait: *Et aſſumam ex eis in ſacerdotes & Leuitas, dicit Dominus.* Vbi relatiuum illud, (ex eis) refert Gẽtes, & non ſolùm Iudæos, etiam ſecũdum Rabbinos: quamuis aliqui in eo loco ſeſe torqueant & vexent.

Sacerdotes in lege veteri nõ erant niſi de tribu Leui.

Iſai 66.

Sacerdotes in lege noua ex Gentibus.

Quemadmodum etiam in eadem veteri lege, in vno ſolo templo licebat offerre: at nunc in omni loco templa ædificantur, & conſecrantur: iuxta vaticinium noſtri Malachiæ cap. 1. vbi dixit: *In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus.* Dicitur tamen nominatim ſacrificiũ Iuda, & Hieruſalẽ: quia in Hieruſalem in mõte Sion primùm Euchariſtia inſtituta, & celebrata & oblata eſt, & ipſe Chriſtus pro genere humano ſeſe ſacrificandum obtulit: imò ſeſe ipſe ſacrificauit, factus hoſtia ſimul & ſacerdos. ¶ *Sicut dies ſæculi.*] hoc eſt, ſicut placuit, ſeu placebat ei ſacrificium olim ab antiquo tempore ei oblatum. Et repetit idem dicens: Et ſicut anni antiqui: Heb. קדמוניות quod etiam verti poteſt, priſci, vel primi: hoc eſt ſicut placuit ei ſacrificium annorum priſcorum ſeu primorum. R. Abraham interpretatur dies & annos, quibus durauit templum prius, quod fuit à Salomone ædificatum. Sed poteſt referri etiam ad ſacrificia antiquorum patrum, qui fide & pietate pollebant: qualis fuit Abel, qui primus legitur ſacrificium Deo gratum obtuliſſe: Deinde Noë, Abraham, Melchiſedech, & alij ante legem Moſis Deum colentes: quorum tamen ſacrificia, propter fidem offerentium, Deo placebant: at ſacrificium nouæ legis etiam propter ſe ipſum, & per ſe ipſum placet, quia non eſt vmbra & figura, ſed ipſummet atque verum corpus & ſanguis Chriſti. Quare etiam ſinè fide & pietate oblatum, placet: quamuis non placeat is qui offert. Quare particula, ſicut, non indicat parilitatem,

aut æqualitatem, ſed ſolùm ſimilitudinem. Quo modo etiam in canone miſſæ dicimus: ſicuti accepta habere dignatus eſt munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech.

VVLG. *Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt: dicit Dominus exercituum.*

CHALD. *Et apparebo ſuper vos, aut contra vos, ad faciendum iudicium, & erit verbum meum aduerſum vos teſtis velox, aduerſus incantatores, ſeu diuinos, & adulteros, & eos qui iurant falsò: & eos qui rapiunt mercedem mercenarij, & opprimunt viduam & orphanum, & peruertunt ius peregrini & non timent conſpectum meum: dicit Dominus exercituum.*

¶ *Et accedam ad vos.*] Hoc etiam, vt omnia ſuperiora, de priori aduentu commodè intelligitur. ¶ *Et accedam.*] Hebr. וקרבתי *vecarábthi*, id eſt, & appropinquabo. Mutata eſt perſona. Supra non dicebatur, veniet ad templum ſuum,

ſedebit conflans, & purgabit filios Leui: nunc per primam perſonam dicit, & accedam ſeu appropinquabo ad vos, ego filios Dei Chriſtus, cui pater dedit omne iudicium. Accedam & appropinquabo ad vos, per carnis & humanitatis aſſumptionem factus homo vobis propinquus & conſanguineus. ¶ *Ad vos.*] Iudæos primùm & principaliter: iuxta illud: *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Accedam, inquam, ad vos, in iudicio Hebr. למשפט *Lammiſpât*, id eſt, ad iudicium: vt Iſai. 41. Simul ad iudicium propinquemus. Chriſtus autem venit in hunc mundum in iudiciũ, non vt mundum damnaret, imò potius ſaluaret: ſed venit in iudicium, vt legem promulgaret, quam ſeruantes, ſaluarentur: negligentes autem, damnarentur in futuro iudicio. Itaque per priorem Chriſti aduentum quadantenus inchoatum eſt iudicium, quod in poſteriori conſummabitur, & perficietur. Vnde Ioan. 8. dicit: *Ego non iudico quemquam: etſi iudico ego, iudiciũ meum verum eſt.* Chriſtus enim iam in hôc mundo iudicabat, ſed iudicium & ſententiam non proferebat: quam proferet in vltimo iudicio. Vnde & Paulus ait: *Qui iudicat me, Dominus eſt.* Et Ioan. c. 9. ait: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Quomodo autem accedat ad iudicium aperit, dum adiungit: ¶ *Et ero teſtis velox maleficis.*] Teſtis, id eſt, conteſtator, admonitor, vt omnes piè & iuſtè viuant in hoc ſæculo: alioqui grauiſſimè puniendi in vẽturo. Sic accipitur nomen teſtis Iſa. 55. de eodem Chriſto. *Ecce teſtem*

Iſai. 41.

Ioan 8.

Chriſtus iudicabat in primo aduẽtu, ſed ſintẽtiam reſeruabat.

Ioan. 9.

Iſai 55.

populis dedi eum ducem ac præceptorem gentibus. Quo loco R.Dauid teſtem interpretatur, conteſtatorem, exhortatorem & admonitorem. Quoniam, inquiens, qui admonet ſolet teſtes adhibere, ne negare poſſit qui admonetur: Quam expoſitionem etiam ibi ſequitur D. Hieron. dicens: dicit ſe miſiſſe filiū ſuum teſtē, vel teſtimonium cunctarum gentium, qui præcepta illius atque mandata populis nunciaret, qui de ſeipſo loquitur, *Oportet prædicari euangelium iſtud in omni orbe, in teſtimonium cunctis gentibus.* Denique ſuperbientem Pilatum hoc ſermone confutat: *In hoc natus ſum vt teſtimonium perhibeam veritati*, de quo Apoſtolus Paulus ſcribit Timotheo: *vnus mediator Dei & hominū, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſe redemptionem pro omnibus, teſtimonium temporibus proprijs, in quo ego poſitus ſum præco & Apoſtolus.* Sic D.Hieron. Vnde etiam Iſaias quaſi exponēdo adiungit, *Ducem ac præceptorem gentibus.* Chriſtum autem omnes fuiſſe conteſtatum, atque admonuiſſe, docuiſſe, & exhortatum fuiſſe, circa ea quæ ad ſalutem æternā conſequendam, & damnationem euitādam pertinēt, manifeſtum eſt. Id enim abundè præſtitit, tum per ſe, tum per ſuos Apoſtolos, & Apoſtolicos viros. Poteſt tamen etiam teſtis hoc loco in ſua vulgata ſignificatione accipi. Deus enim miſit Chriſtum in mundum præcipiens vt ipſi vniuerſus mundus crederet, tanquam certiſſimo & fideliſſimo nuntio, atque teſti veritatis, circa ea quæ ad fidem & mores tenenda ſunt: vnde dixit: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Et ſic accipit R. Dauid di-

Chriſtus Dominus nuntius & teſtis veritatis.

cens:

cens: Ero teſtis. Quia ego noui ea quæ latent,& teſtificabor contra eos de iis quæ geſſerunt, velox, autem, ad accelerandum vltionem, & reddendum vnicuique retributionem ſuam. Sic R. Dauid. Itaque poteſt Chriſtus dici teſtis vel veritatis diuinæ, quam mundo annunciauit, cui omnes credere debent tanquã omni exceptione maiori: vel, teſtis maleficiorum: vt cùm dicet eſuriui,& non dediſtis mihi mãducare,&c. Id enim tanquam teſtis dicet: tanquam iudex verò, ite in ignem,&c. Cùm autem ſermo ſit de Chriſto, notandum, quòd ei tribuit Rabbinus notitiam occultorum. R. etiam Abraham ait: Ero teſtis, quia retegam, & reuelabo vnicuique id quod fecit. D. etiam Hierony. ait, quanta formido iudicij, cùm ipſe ſit teſtis & iudex. Quare teſtem propriè pro iudice accipit. Hierem. cap. 29. dicens. *Ego ſum iudex & teſtis, dicit Dominus.* Quanquam in Hebraico habetur: Ego ſum cognoſcens ſeu ſciens, & teſtis. Sed Hieron. cognoſcentem accepiſſe videtur pro cognitore: quanquam etiam cognitor, Latinis non iudicem ſignificat, ſed prẹſentis procuratorẽ: ſicut procurator, abſentis actorẽ. i. qui abſentis cauſam agit. ¶ *Maleficis. Ero teſtis maleficis.*] Hoc eſt, cõteſtabor maleficos, & admonebo vt pœnitẽtiam agant, alioqui æternum damnandi. Iuxta priorem ſignificationem nominis teſtis. Vel teſtimonium feram contra eos in iudicio, & detegam occulta etiam ſacrilegia eorum. Malefici autem propriè dicuntur incantatores & diuini, qui Hebraicè dicuntur מכשפים *mechaſephim*. Alij præſtigiatores interpretantur:

Chriſto Domino à Rabbinis tribuitur cognitio occultorum.

Hierem. 29.

ſed propriè pertinent ad ſuperſtitionis crimen, & veræ religionis neglectum, vel contemptionem. D. Hieron. ſolet maleficos interpretari vt Exod.22. *Maleficos non patieris viuere.* Quo loco Hebraicè genere fœminino dicitur: maleficam. Quoniam, vt notant Hebræi, huiuſmodi ſuperſtitio in fœminis maximè inuenitur. Vnde in noſtra Luſitana lingua, magis frequẽs eſt nomen ſub genere fœminino, *feiticeira*, quàm ſub maſculino, *feiticeiro*. Vnde etiam intelligitur, quòd huiuſmodi crimen vltimo ſupplicio puniebatur, dicente lege: *Maleficos non patieris viuere.* Sed quoniam erat præceptum iudiciale, ceſſauit cum ipſa lege, relinquitúrque eius criminis in hoc mundo vindicta arbitrio Principis, ſecundum humanas, æquas, & approbatas leges, ſub nomine autem maleficij omnia crimina intelliguntur, quæ contra Deum committuntur, qualia ſunt omnia, quę contra præcepta prioris tabulę fiunt. Quanquam tertio loco nominatim etiam poſt adulteros, referuntur periuri. Quoniam quamuis ad priorem tabulam pertinent, quatenus Dei nomen in vanum aſſumunt, tamen etiam ad poſteriorem pertinent: quoniam ferè periuria in damnum proximorum fiunt: vt in litibus, & aliis vitæ negotiis, in quibus per periuria, vel perſona, vel fama proximi violatur & læditur. Quamobrem valde deteſtandum eſt & fugiendum periurium, quòd Deum pariter & hominem directè offendit: Deum quidem, quia eius nomen in vanum aſſumit: proximum verò, quia eum in perſona, vel re, vel fama lædit. Ideóque eſt peccatum &

Exod.22.

Maleficij crimen morte puniebatur.

Maleficij nomine omnia crimina cõprehenſa.

iuſtitiæ,& religioni contrarium, & duas præclariſſimas omniũ moralium virtutes deſtruit. Periuri autem in Hebraico dicuntur נשבעים בשקר id eſt,iurantes falsò,ſeu mendaciter. Quod peruerſiſſimum eſt: cùm iuramentum ad veritatem confirmandam inuẽtum & introductum ſit. Dicitur autem falsò,aut mendaciter iurare,non qui falſum iurat,ſed qui iuramento interpoſito aſſerit verum eſſe id quod ſcit,aut dubitat,aut ſuſpicatur falſum eſſe, quamuis fortaſſe ſit verum. Et qui calumniantur mercedem mercenarij, id eſt, ero etiam teſtis aduersùs eos,qui nolunt reddere pro operis labore quod debent:vnde etiã in lege præcipit dicẽs:Leui c. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te, vſque manè.* Ex quo intelligimus, non ſolùm iniuſtum & prohibitũ eſſe alienam rem auferre,ſed etiam differre, & procraſtinare eius redditionem ei cui debetur. Quare iuſtus ille ac bonus paterfamilias, ſtatim finito die & labore,dixit: *voca operarios,& redde illis mercedem.* Et beatus Iacobus Apoſtolus conteſtatur eiuſmodi calumniatores & detentores, dicens in epiſtola ſua, cap. 5. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras,quæ fraudata eſt à vobis, clamat:& clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Ecce Moſes,& prophetæ, & Apoſtoli admonent homines auaros, vt ne mercedem operariorum defraudent, ſed reddant citò, & tamen impuri ſacros monitus contemnunt: ſed contemnentes,contemnuntur. Melius tamen eſt eis,vt debita reddant in hoc ſæculo, quàm vt in futuro corpore ſuo luant ea,quæ pecunia nolue-

Falsò aut mendaciter iurare quid ſit.

Leui. 19.

Iniuſtũ differre rẽ alienam etiã ſi nõ auferas.

Matth. 20.

Iacob. 5.

Vim facere pauperis mercedi.

runt. Et nota, quòd iuxta verbi Hebraici significationem, calumniari mercedem mercenarij, est vim facere mercedi, hoc est, per minas & terrorem eam retinere & ne pauper audeat eam repetere: significat enim verbum עשק opprimere, vim inferre rebus alicuius, aut ea per vim & iniuriam detinere. Et nota prophetarum diligētiam, quòd etiam ad ista reprehendenda descendunt, quæ vulgus putat minima, nulla esse peccata. Quomodo & Isaiæ cap. 1. ait. *Caupones tui miscent vino aquam.* Et Dominus ipse prophetarum in Euangelio præmonuit, de omni etiam verbo otioso reddendā esse rationē in die iudicij. Quare hoc & facere debent concionatores, vt peccata etiam quæ minima videntur arguāt, nec omne tempus flosculis dicēdi consumat: Id enim verè est, aquam vino miscere, & euangelicæ doctrinæ grauitatem ac seueritatem, qua auditores punguntur & curantur, tāquam verborum mollitudine diluere, & inutilem reddere. *Et humiliāt viduas & pupillos*, id est, vexant, diuexant, opprimunt personas miserabiles, patrono & defensore destitutas, per iniuriam bona ipsorū occupantes. Viduæ enim viro carent, & pupilli patre. Et hanc item iniuriam frequenter Spiritus sanctus commemorat & obiicit, tum quia frequentissima est, tum quia parui ducitur ab hominibus: vt omnes intelligant, quantum Deo summo iudici displiceat. Verbum (humiliant) non exprimitur in Hebraico: Et in contextu commentariorum D. Hieron. est hoc modo: & calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos. Et in commenta-

Propheta ad minima reprehendenda descendunt.

Isa. 1.

rio

rio ait, viduas quoque & pupillos: ſubaudi, calumniantur. Sed ex editione LXX. additum illud verbum eſt, qui habent, καὶ ἐπὶ τοὺς ἀποστεροῦντας μισθωτοῦ καὶ καταδυναστεύοντας χήρας, καὶ κονδυλίζοντας ὀρφανούς, id eſt, qui fraudant mercede mercenarium, & opprimũt per potentiã viduas, & percutiunt pupillos κονδυλίζειν eſt pugno aut nodo digiti percutere. Quod contemptũ quẽdam præ ſe fert eius, qui percutitur. ¶ *Et opprimunt peregrinum.*] Peregrini etiam, id eſt, qui non ſunt indigenæ inter miſerabiles perſonas numerantur: vt pote carentes notis & amicis, à quibus defendantur. *Opprimunt*, id eſt, peruerſo iudicio, & iniqua ſententia ſuo iure priuant. Id enim ſignificat Hebraicum quod habet ומטי גר id eſt, & inclinatores peregrini, id eſt, peregrinorum, id eſt, peruerſores iudicij & cauſæ peregrinorum. Vnde LXX. habent καὶ τοὺς ἐκκλίνοντας κρίσιν προσηλύτου, id eſt, & declinantes iudicium proſelyti, id eſt, aduenæ. Declinare autẽ iudicium alicuius, phraſi Hebraica eſt, iniquam ferre ſententiam, aut operam dare vt feratur. Quod inter alias maledictiones denuntiatur. Deut. cap. 27. Vbi hoc idem verbum peruertere interpretatur. *Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ.* Et Amos cap. 5. hoc eodem verbo vtitur, vbi ait: *Hoſtes iuſti*, id eſt, hominum iuſtorum, *accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta*, id eſt, pauperum cauſam peruertentes in iudicio. Iudicia enim apud Iudæos ad portas ciuitatis exercebantur, ne cogerentur ruſtici per vrbem vagari. Eſt autẽ peruerſiſſimum, vt qui ad reddendum ius conſtituti

Declinare iudiciũ, pro ferre ſentẽtiã iniuſtã.

Deut. 27.

Amos 5.

Iudicia in portis ciuitatis & quare.

ſunt

ſunt, iidem ipſi iniuriam faciant. Hebraicè eſt וביונים בשער הטו id eſt, & pauperes in porta declinauerunt, ſeu inclinauerũt, id eſt, iniquo iudicio oppreſſerunt. Nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum, id eſt, nec timent me. Nam præterita Hebræis pro præſentibus accipiuntur, vt cùm dicitur: *ego credidi quia tu es Christus.* Hæc eſt autem ratio maleficiorum, quæ perpetrant mortales: quòd non timent Dominum Deum exercituum. Quem profectò maximè, atque adeò ſolùm timere debuiſsēt, iuxta illud Domini Luc. cap. 12. *Ne terreamini ab iis qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quod faciant: oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittendi in Gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Ecce quid dicat agnus Dei qui tollit peccatum mundi, & idem leo de tribu Iuda. Itaque ratio quamobrem homines peccant in hoc ſæculo eſt, quia non timent Dominum exercituum, id eſt, Deum potentiſſimum, cui parent omnes creaturæ tanquam duci & imperatori, iuxta illud Sap. 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Omnes enim creaturę dicuntur exercitus Dei, propter ordinem optimũ ipſarum, & obedientiam ad creatorem ſuum. Quamobrem autem talem Dominum ac iudicem non timent? huic quæſtioni ſcriptura reſpondere videtur Eccleſiaſtæ cap. 8. dum ait: quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Ecce cauſa non timēdi, quia vltio non imminere, ſed longè abeſſe putatur. Circa ꝙ Dominus ipſe Ezechiel.

Luc. 12.

Sap. 5.

Creatura quare exercitus Dei.

Eccl. 8.

Vltionē longè abeſſe cauſa eſt peccāti.

chi. cap. 12. peccatores admonens ait: *Quod est prouerbium istud vobis in terra Israel? dicentium, in longum differtur dies, & peribit omnis visio.* Quasi dicant, nolite mala ventura comminari & præuidere, quia vana est vestra visio: sed subiungit Dominus, *ideo dic ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: quiescere faciam prouerbium istud, nec vulgo dicetur vltra in Israel. Eloquere ad eos, quòd appropinquauerint dies, & sermo omnis visionis. Non enim erit vltra omnis visio cassa, nec diuinatio ambigua in medio filiorum Israel. Quia ego Dominus loquar, quodcunque loquutus fuero verbũ & fiet, non prolongabitur amplius, &c.* Et mox. Fili hominis, ecce domus Israel dicẽtium, visio quam hic videt, in dies multos, & in tẽpora longa iste prophetat: propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus, non prolongabitur vltra omnis sermo meus: verbum quod loquutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus. Sic Dominus per Ezechielem. Quòd non solùm intelligitur de captiuitate Hierusalem pro Nabuchodonosor, quam prædicebant comminando Prophetæ, neque credebantur, sed subsannabantur: verumetiam de iudicio statim post mortem, & iterum in fine mundi futuro. Id quod alij penitus non credunt, sed irrident: alij ita viuunt, ac si futurum omnino non existiment. Quorum tamen incredulitas, Dei veritatem non euacuabit. Vnde ait. Ezech. 12.

VVLG. *Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.*

CHAL.

CHALD: *Quoniam ego Dominus non mutaui pactum meum, seu iuramentũ meum, quod est à sæculo: vos autem filij Israel putatis qui in hoc sæculo moritur seu mortuus est, eius iudicium cessare.*

Iuxta D. Hieronymum hoc idcirco ponit, quia supra dixerat, ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: ne putemus eum diuinitatis mutare naturam, cùm pro nobis, aut angelus, aut ignis, aut borith nominatur. Sic Hier. fortè non est necessaria hæc expositio. Nec enim propheta Dominum ignem dixerat, sed quasi ignem: neque borith, sed quasi borith. Sensus cum superioribus connecti potest hoc modo. Ego accedam ad iudicium aduersùs impios, adulteros, periuros, defraudatores mercenariorum, & viduarum ac pupillorum oppressores: idcirco securè peccantes, quia non timent me. Ego enim quamuis iudicium & vltionem differam, iuxta illud: *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Sap. 11. Et ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Et 2. Petr. 3. *Non tardat Dominus promissionem suam: sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, &c.* Ego, inquam, quamuis vltionem

Sap. 11. Rom. 2. 2 Petr. 3.

differam expectans pœnitentiam,tamẽ non mutor,neque quia differo, aufero:ſed omnino accedam tandem aliquando ad iudicium , & reddam vnicuique iuxta opera eius , neque mea iudicij dilatio,erit ceſſatio,aut perpetuũ iuſtitium.Coniunctio,&,non eſt in Hebraico , neque in Chaldaico , ſed ſimpliciter profertur , Ego enim Dominus non ſum mutatus : vel non mutor. Nam præterita Hebraica pro præſentibus capiuntur, vt ſæpe notauimus:& hoc loco D. Hieron. fecit. R.Dauid exponit : Quoniam ego Dominus, ſeu Deus, eſt enim in Hebraico יהוה tetragrammaton,Non ſum mutatus, ſeu non mutor. Quia id quod dixi,etiam in tempus longum , non ad horam , aut annum prorſus erit : quia ego non mutor,nec verbum meum mutabitur , & omnia futura quę dixi vobis per prophetas meos,ſic prorſus erunt:quaſi dicat,non mutor , nec mutabor à re in rem , nec à voluntate in voluntatem. Sic Rabb. Quomodo igitur ait ipſemet Dominus Ezech.cap.18.& 33. Si pœnitentiam egerit gens illa,agam & ego pœnitentiam. Et hîc infra,conuertimini ad me , & conuertar ad vos. Atque dicendum , Deum in ſe prorſus eſſe immutabilem & inuariabilem : ſed quatenus circa res creatas aliquid mutat,manẽs ipſe immotus, mutari quodammodo dicitur in ſuis effectis,non in ſe. Vnde peccator manens peccator , ei diſplicet : ſed conuerſus,placet : non aliqua ipſius Dei mutatione, ſed hominis:quemadmodum ſol ceram liquefacit,lutum durat,ſinè vlla ſuæ naturæ,aut qualitatis immutatione : ſed propter luti atque ceræ diuerſam

Ezech.18. & 33.

uerſam affectionem. Et columna immota dicitur propinqua, aut remota, propter motum rei accedentis, aut recedentis. Dicitur etiam Deus abſolutè immutabilis circa ſuam prædeſtinationem & reprobationem: quia tam prædeſtinatio quàm reprobatio abſolutæ ſunt, & prorſus inuariabiles atque certæ. Dicitur etiam Deus nō mutari, quia quod bonum eſt, ſemper amat: quod autem malum eſt, perpetuò odit: nec vnquam vel bonum odio, vel malum amore proſequitur: quãuis creatura mutetur de bono in malũ, & contra, de malo in bonum. Et vos filij Iacob non eſtis conſumpti, id eſt, non eſtis deleti. Id enim ego, qui non mutor ſemel promiſi, quantumuis creſcant & multiplicentur ſcelera filiorum Iacob, me illos non conſumpturum: ſed aliquas reliquias facturum, in quibus meæ impleantur promiſſiones. Hier. 4. Vnde ait Hier. 4. *Deſerta erit omnis terra: ſed tamen* Et cap. 30. *conſummationem non faciam.* Et cap. 30. *faciam conſummationem in cunctis gentibus, in quibus diſperſi te: te autẽ non faciam in conſummationem, ſed caſtigabo te in iudicio vt non videaris tibi innoxius.* Vnde R. Dauid interpretatur hoc modo: & vos filij Iacob, non eſtis conſumpti: ſicut conſumpti ſunt reliqui populi, quibus non eſt relicta memoria nominis ipſorum, ſed deſierunt eſſe Gens, ſeu populus: ſed vos non deſiſtetis, nec deſtitiſtis: quia ſemper eritis proprij & peculiares, determinati ac diſcreti, hoc eſt מיוחדים inter gentes, & gens vna in terra. Et quamuis exulaueritis, & expulſi ſitis in omnem plagam & orbem terræ, tamen nomen veſtrum relictum eſt in omni loco. Quod autem

vos afflixi,id feci propter iniquitates vestras, sed vt ego non mutor, sic nec vos consumemini, & in fine dierum redibitis ad dignitatem vestram, eritísque excelsi super omnes gentes terræ. Sic Rabb.Iuxta quem sensus est,filios Iacob non esse consumptos : quia quamuis sint dispersi, tamen vbique sunt ab aliis gentibus discreti, suúmque antiquum nomen retinent, quo dicuntur Iudæi. Id quod non contigit aliis populis. Nulli enim nũc sunt qui propriè sint,aut Philistæi, aut Moabitæ,aut Ammonitæ, & sic de cæteris. Rabbi Abraham hoc modo breuiter exponit. ¶ *Et vos filij Iacob non estis consumpti.*] Quia si moritur pater, relinquitur filius. Ex quo rectè notari potest vnus modus perpetuationis, seu perennationis alicuius rei : non in indiuiduis & singulis, sed in genere : idque non solùm corporaliter,sed etiam spiritualiter.Id quod non solùm in Iudęis verum est,sed etiam in aliis.Nam Iudæi ideo corporaliter non deficiunt, quia vnus pater relinquit post se filium,aut etiã filios. Sic etiam Christiani non deficiunt, nec Ismaëlitæ, quinetiam neque asini nec vespertiliones.In omnibus enim huiusmodi verum est, quòd pater mortuus relinquit post se superstites liberos aut filios. Spiritualiter etiam, hoc est, quoad fidem & sectam : verum est, ideo enim non deficiunt Iudæi,quoniam à pueris Iudaïsmo à Rabbinis & patribus imbuuntur.Consimiliter alij quoque infideles & hæretici,& eodem modo Christiani.Hæret enim quod teneris annis imbibitur : & consuetudo in naturã commutatur, ex quibus(quæ certè verissima sunt &

Filij Iacob adhuc dicũtur Iudæi & sunt discreti ex alijs.

Manẽt Iudæi in sua secta & errore,quare.

certiſſima) horum Rabbinorum ſtultitia facile intelligitur. Dominus enim tanquam ſingulare priuilegium filiorum Iacob commemorat. Quod ſi iuxta R. Abraham intelligitur, etiã aſinis commune eſt. Et eodem modo iuxta R. Dauid. Nam etiam equi & aſini perſeuerant, ab aliis animantibus apud omnes gentes diſtincti & ſeparati. Quod ſi ſpiritualiter accipiatur, vt Iudæorum ſecta non deficit, neque conſumitur, ſic neque Iſmaëlitarum, & aliorum infidelium, neque fides Chriſtianorum. R. Selomo aliter exponit, hoc modo. Et vos filij Iacob. Quamuis moriamini in iniquitate veſtra, neque ſumo vltionem de impiis in vita, non eſtis conſumpti, non delemini coram me: ſed relinquo mihi animas, vt ſumam ex eis vltionem, & vindictam meam in gehenna. Et iuxta hũc ſenſum expoſuit Ionathan Paraphraſtes, dicens: Et vos de domo Iacob, putatis, quòd is qui mortuus eſt in ſæculo hoc, iudicio liberatus eſt: quaſi dicat, exiſtimatis, atque dicitis iudicium meum caſſatum eſſe, nec poſſe me iam vindictam ſumere de vobis. Rabbini autem noſtri exponũt: non mutor, non percutio populum, & mutor ad eum: ad vos ſtare facio poſt multam vltionem, & ſagittæ meæ conſumuntur, ac deficiunt: vos autem non conſumimini nec deficitis, Sic R. Selomo. Simplex ſenſus eſſe videtur, vt ſit exaggeratio ſcelerum Iſraëlis, & diuinæ miſericordiæ commendatio, adde etiam veritatis in præſtandis promiſſis: quod, videlicet, multitudo, atque magnitudo ſcelerum filiorum Iacob non mouit nec auertit Deum, quominus

erga ipſos miſericordia vteretur, ſeruando ipſorum reliquias, in quibus impleantur diuinæ promiſſiones de regno Chriſti videndo & obtinendo. Iuxta illud Iſa. cap. 1. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen*, ſeu reliquias (vt eſt in Hebraico) *quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus*: Hoc eſt, omnes ad vnum interiiſſemus, vt interierunt Sodomitę & Gomorrhæi. Sic etiam Hierem. in Lam. cap. 3. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius. Et id eſt, quod ait Paulus Rom. cap. 3. docens excellentiam populi Iudaici ſuper alios populos, quòd ei credita ſunt eloquia Dei, & facta reuelatio atque promiſſio de Chriſto venturo. *Quid enim*, inquiens, *ſi quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas illorum fidem* (id eſt, veritatem) *Dei euacuarit? abſit, &c.* Ideo igitur ille populus, ſeu filij Iacob non conſumuntur, nec deficiunt: quia ſemper ex illo aliqui fuerunt, qui fidem atque pietatem Iacob patris ſui retinuerunt, & conſeruarunt: vt fuerunt Apoſtoli & diſcipuli primi Domini ex ipſis filiis Iacob aſſumpti: quotidiéque aliqui ex ipſis ad fidem conuertuntur, & ad finem ſæculi omnes pariter conuertentur, qui ſuperſtites erunt: iuxta illud Oſeæ cap. 3. *Poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum*. Hoc autem de cæteris populis non dicitur: quia nullus populus alius veram fidem habuit, propter quam retinendam meruerit, aut debuerit. Seruati ſunt tamen & alij populi, vt Iudaici populi fidei infererētur, eámque reciperēt:

Iſai. 1. *Hierem. 3.* *Rom. 3.* *Oſeæ 3.* *Seruati populi vt fidei inſererētur.*

Hierem. 3. iuxta illud Hierem. 3. *Congregabuntur ad eum omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem & non ambulabunt post prauitatem cordis sui pessimi.* Quod

Hierem. 30. autem Hieremias supra citatus ex cap. 30. ait: *faciam consummationem in cunctis gentibus, te autem non faciam in consummationem*: hunc habet sensum: quòd omnes populi idololatræ & infideles, tandem penitus vsque ad vnum cõsumentur, nec vnus ex ipsis saluabitur: quia fidem non habent, sinè qua impossibile est placere Deo. At ex populo Iudæorum, qui verã fidem tenuit, non omnes peribunt, sed multi veram fidem patrum suorum retinentes saluabuntur: vt qui Dominum Iesum Christum confitentur & sequuntur. In his enim si vsque ad finem perseuerauerint, promissiones diuinæ de Regno Christi complebuntur.

VVLG. *A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis: reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum: & dixistis, in quo reuertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configistis me, & dixistis, in quo configimus te? in decimis, & in primicijs, & in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis, gens tota.*

A diebus

CHALD. *A diebus patrum vestrorum declinastis à pactis meis,& non custodistis: reuertimini ad cultum meum, & respiciam in verbo meo; vt benefaciã vobis, ait Deus exercituum: Quod si dixeritis, in quo reuertemur? An irritat quisquam iudicem? Quia vos irritatis me? Quòd si dixeritis, in quo irritamus te? in decimis & in primitijs, seu eleuationibus. In maledictione vos maledicti estis,& me vos irritatis populus domus Israel, vniuersi.*

¶ *A diebus enim.*] Cum superiori coniungitur, hoc modo,&c. Non estis consumpti: licet peccata vestra consumptionem mererentur. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, quasi dicat, morbus hic vobis est patrius & gentilis, vt à me recedatis, & transfugæ atque desertores sitis. In Hebraico tamen non est particula, *enim*, sed simpliciter dicitur: vsque à diebus patrum vestrorum recessistis à præceptis meis,& non custodistis, subaudi, ea, quasi dicat, iuxta D. Hieronymum: non hoc nuper facitis, nec semel, vt erroris mereamini veniam. Sed hæreditariam habetis impietatem, ex diebus patrum vestrorum à legitimis meis reddendo, & nō custodiendo quæ præcepi. Sic D. Hieron: sic etiam R. Dauid ait: tempus multum præteriit, cùm non custodistis mandata mea, vos,& patres vestri. Idcirco afflixi,& affligo vos: Sed posthac reuertimini ad me; & reuertar ad vos. ¶ *A diebus patrum vestrorum.*] Nam & in Ægypto idola coluerunt,

vt conſtat Ezech. cap. 16. & 23. & deinde in deſerto, ſub Moſe, & mox ſub Iudicibus. & tandem ſub Regibus, & denique in ipſo Chriſti aduentu prorſus à Deo receſſerũt, & patrum ſuorum impietatem ſuperauerunt, ipſummet Meſſiam crucifigendo. In qua impietate hodiéque perſeuerant. ¶ *A legitimis meis.*] Id eſt, ab iis quæ ſecundùm legem meam ſtatuta erant, & decreta. Hoc quamuis propriè dicitur ad eos, qui viuebant tempore Malachiæ, tamen etiam ad huius temporis Iudæos verè refertur. Nunc enim maximè à legitimis Dei, præceptíſque recedunt, nolentes recipere Dominum Ieſum Chriſtum: ſed in fine dierum conuertentur, & recipientur. Vt ſupra ex Oſee citauimus. ¶ *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos.*] Reuertimini ad me per pœnitentiam, & reuertar ad vos per beneficẽtiam. Omnino enim præcedere debet pœnitentia, vt ſequatur beneficentia. Id eſt, largitio bonorum, quę non niſi pœnitentibus dari conſueuerunt. Vt ſunt in hoc ſæculo gratia, & reconciliatio: & in futuro, gloria. Hæc enim dona impœnitentibus atque in peccato perdurantibus, nunquam tribuuntur. Quòd verò ait, reuertimini ad me, liberi arbitrij comprobat libertatem, quam oportet ad pœnitentiam iuſtificationémque cum Dei gratia concurrere, eámque comitari. ¶ *Et dixiſtis, in quo reuertemur?*] Iuxta D. Hieron. non intelligentes Iudæi ſe à Domino receſſiſſe, cùm eis dictum eſt, reuertimini: impudenter interrogant, in quo reuertemur? Et dicunt, quando enim receſsimus, vt meritò redire cogamur? Sic Hierony. fortaſſe non

Pœnitẽtiam noſtram ſequitur beneficentia Dei.

negant

negant ſe receſsiſſe,ſed in quo receſſerint & peccauerint,quærunt, vt ſciant quid emendare in ſe debeant. Hoc enim eſt,quod quærunt,in quo reuertemur? i.qua in re emendare nos debemus,& ad Dominum redire? Quibus reſpondet,dicens,ſi affiget homo Deum? quia vos configitis me,q. d. in eo à me receditis, quòd me affigitis & cõfigitis. In Hebr. pro affigere & cõfigere,idẽ verbum ponitur. i. קבע quodvariè interpretantur LXX. εἰ πτερνιεῖ. i. nunquid ſupplãtabit? à πτερνίζω. i. ſupplãto,vel decipio. Alij verò, μὴ ἀποστερήσει. i. nunquid fraudabit,defraudabit, priuabit? vt ſit ſenſus iuxta D. Hieron. Si fraudat homo Deum , quia vos fraudatis me? Et reuera,ait idem Hieron. ſecundùm hiſtoriæ ordinem: quia decimas & primitias Leuitis populus non reddebat, ſe ipſum fraudem dicit Dominus ſuſtinere: cuius miniſtri fame coacti & penuria,templum deſeruerint. Si enim per alios viſitatur in carcere, & ægrotus ſuſcipitur, & eſuriens ſitiénſque cibum accipit atque potum, cur non in miniſtris ſuis ipſe decimas accipiat:& ſi non dentur, parte ſua ipſe priuetur? Sic D.Hieron. notandum quòd hîc interpretes per metatheſin literarum legerunt היעקב id eſt,an ſupplantabit,aut ſupplantare debet? Vnde etiam nomẽ Iacob,id eſt,ſupplantator. Nunc autem legitur היקבע quòd authore Hieron. lingua Syrorum & Chaldæorum interpretatur, ſi affiget. Vnde nos, inquit, ante annos plurimos ita vertimus , magis ad myſteriũ Dominicæ paſſionis , in qua homines crucifixerunt Deum, quàm ad decimas ac primitias , quibus viſitatur

in carcere, & ægrotus ſuſcipitur, & eſuriens ſitienſque cibum accipit, atque potatur, ſcripta referentes. Et addit Hieron. Quærat prudens Lector, quomodo noſtra interpretatio cum iis congruat, quæ ſequuntur: in decimis & primitiis: & videat an poſſimus hæc dicere: vt me affigeritis cruci & ſceleratas manus inieceritis Deo veſtro, multarum ante rerum meditatione feciſtis, ſubtrahendo decimas & primitias, non dico ſacerdotibus meis & Leuitis, ſed mihi, qui eas per Moſen iuſsi dare. Hoc de verbo vno à nobis dictum ſit, Lectoris arbitrio intelligentis iudicium relinquentibus. Nunc ſequamur ordinem Prophetiæ. Quia mihi non reddidiſtis decimas & primitias, idcirco in fame & penuria maledicti eſtis, &c. Sic D. Hieron. Ex quibus apparet, eum ex deuotione Dominicæ paſſionis verbum Hebraicum iuxta ſignificatũ quod in lingua Chaldaica habet, tranſtuliſſe. Quid autem קבע Chaldaicè figere ſignificet, docet Rabbi Elias in ſuo Meturgemano, id eſt, Lexico Chaldaicò. Nam pro תקע Hebraico quod eſt infigere; habet Chaldæus Paraphraſtes קבע Iudicum cap. 4. vbi dicitur: *Percuſſumq́ꝫ* (nimirum clauum) *malleo, defixit in cerebrum, vſque ad terram.* Et 2. Reg. cap. 18. Vbi legitur: *Tulit ergò tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon.* Facit autem pro Hieron. quòd interdum Hebraica vox in ſignificato ponitur, pro quo Chaldaicè vſurpatur, vt Pſal. 17. ארחמך id eſt, diligã te, in quo ſignificato Chaldaicum eſt. Vt notãt etiã Rabbini. Hebraicè autem verbum קבע ſignificat rapere, ac per vim

Iudic. 4.

2. Reg. 18.

cape

capere. Quod ſignificatum etiam Hieronymus expreſsit, dum ait: quia mihi non reddidiſtis decimas, &c. Non reddere enim debitas decimas & primitias, rapere eſt, & ſacrilegium eſt. Vnde etiam qui fraudare, id eſt, ἀποστερεῖν tranſtulerunt, Hebraicum ſignificatum reddiderũt. Quo modo etiam idem verbum קבע accipitur Prouerbiorũ cap. 22. vbi tamen etiam Hieron. vertitur, configere, dicens: non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt: neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius. Pro quo Hebræi legunt: & rapiet rapientes ipſorum animam. Rapiet, id eſt, rapi & abripi iubebit ad pœnam: eos qui rapiunt animam pauperis & egeni, id eſt, ipſorum ſubſtantiolam, qua anima ipſorum & vita ſuſtinetur. Et quoniam D. Hiero. hunc locum timidè & coactè refert ad Dominicam paſsionem, non eſt eo vtendum aduersùs Iudæos: licétque etiam retento configendi verbo, ad decimas referre hoc modo: Si affiget, id eſt, an æquum eſt vt affigat, hoc eſt, iaculo impetat & dolore afficiat? & ſic eſt ſermo metaphoricus. Quomodo dicitur Zach. cap. 2. *Miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos, qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et Iſai. 7. *Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quid moleſti eſtis & Deo meo?* Et Hebr. 6. *Iterum crucifigentes filium Dei.* An igitur affiget, id eſt, moleſtia & dolore afficiet? *Homo Deum*, quaſi dicat, id minimè decet, ſed id impium eſt: Quod tamen vos facitis. Vnde ſubdit. ¶ *Quia vos cõfigitis me.*] Quia, id eſt,

Prouerb. 22.

Iniuria miniſtris Eccleſiæ facta Deo propria reputatur.

Zach. 2.

Iſai. 7.

Hebr. 6.

Rationalis particulá multoties pro aduersatiua. atqui. Sæpe, enim etiam aduersatiuè sumitur particula rationalis. Vos configitis me, id est, molestia & dolore afficitis. Iuxta Hebraicum verò significatum etiam hoc modo: An diripiet homo Deum, quia vos diripitis me? Et nota, quòd cũ diripiutur, & suis iurib. defraudãtur & priuãtur ministri Dei, queritur ipse Deus, tanquam si ipsemet diripiatur, & defraudetur. Quomodo dicitur: *qui vos tangit, tangit pupillam oculi eius.* Vnde etiam Paulo dixit, *quid me persequeris?* Et, *qui vos odit, me odit.* Et, *quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Et quoniam hoc tanquam in genere dictum, adhuc obscurum erat: rursus interrogant: in quo configimus aut diripimus te? Respondetque Dominus ad speciem descendendo: in decimis & in primitiis, nimirum configitis & diripitis me. Et nota, quòd Dominus non statim ad speciem descendit: quia debuissent ipsi statim reprehensi de rapina, agnoscere peccatum suum: sed quia vel non agnouerunt, vel non agnoscere simulauerunt, id sibi clarius exponi petierunt. Et in Hebraico non ponitur præpositio *in* in decimis, &c. Sed absolutè dicitur, המעשר והתרומה id est, decima & oblatio, vt nominata materia in qua peccabant, peccatum agnoscerent. De hac autem decimarũm fraudatione, propter quam etiam ministri templum reliquerunt, vnde Nehemiæ ca. 13. *Nehem. 13.* Quare meritò Dominus de eis cõqueritur. ¶ *Et in penuria vos maledicti estis.*] coniunctio & non est in Hebraico, nec in contextu commentariorum Hieronymi. Et est sensus: Meritò penuriam

& male

& maledictionem,hoc eſt, fructuum diminutionem patimini : Iuſtum eſt enim vt cùm me mea portione defraudetis,ego quoque vos veſtra defraudem. Vnde cauſam huius repetit, dicens.
¶ *Et me vos configitis ſeu diripitis & fraudatis, gens tota.*] Ex quo intelligitur, quòd hoc peccatum negationis decimarum & oblationum,non vnius erat, aut alterius, ſed vniuerſi populi : adeò vt miniſtri templi non habentes vnde viuerẽt,quippe qui nullam aliam habebant hæreditatẽ, coacti ſint recedere, & templum cultúmque Diuinum relinquere, vt cõſtat ex loco citato Nehemiæ. Et vide hominum iſtorum peruerſitatem, iuxta R. Dauid. Deus enim propter iniquitatem & auaritiã ſacrilegã, priuabat eos pluuia opportuna,& fructibus terræ : illi verò, tanquam cum Deo contendentes, dicebant : ipſe diripit nobis pluuiam, & mittit in nos maledictionem, & in ſegetes noſtras,& dabimus ei decimas, aut oblationes? In penuria.Hebraicè, במארה id eſt,maledictione,Et quoniam habet articulum emphaticum, alludit ad illam maledictionem in lege denunciatam & prædictam: *Si Dei mandata negligerent*.Deut.28.*Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro,&c.*Quæ ibi videto. Vt autem benedictio qua Deus benedicit, importat bonorum abundantiam & afflu ẽtiam, ſic maledictio,ſterilitatem & penuriam. Tanta autem penuria laborabant iſti Iudæi,vt cogerentur pro cibo, non ſolùm agros,ſed etiã filios vẽdere,vt conſtat Nehe. cap. 5. Hic locus notandus eſt,& populò denunciandus ac prædicandus, maximè tempore ſteri-

Deut.28.

Pro cibo filios vendebant Iudæi. Nehem 5.

litatis

De decimarum solutione.

litatis & penuriæ : admonendique sunt homines vt reddant quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Quod quoniã non fit, idcirco tam sæpe penuria & maledictione laboramus. Quoad decimas etiam, admonendi, vt quamuis parum colligant, sua tamen portione Deum non defraudent.

VVLG. *Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam. Et increpabo pro vobis deuorantem & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.*

CHALD. *Ait propheta: adducite omnes decimas in domum thesauri, & sit alimentum ijs qui ministrant in templo meo, & experimini nunc me in hoc, ait Dominus exercituum: si non aperuero vobis fenestras cæli, & demisero, seu descendere fecero vobis bonum, ita vt dica-*

tis, ſatis eſt. Et increpabo vobis, ſeu pro vobis corruptorem, & non corrumpet vobis fructum terræ, nec ſterilis erit vobis vinea in agro, vel potius, nec ſterilem reddet vobis vineā in agro, ait Dominus exercituum. Et laudabunt vos omnes populi, quoniam habitatis in terra domus deitatis meæ, ſeu habitationis meæ, & fiet in ea id, quod mihi placitum & gratum eſt, ait Dominus exercituum.

¶ *Inferte.*] Id eſt, adducite, id enim ſignificat verbum Hebraicum הביאו ex quo intelligimus vel præceptum, vel conſuetudinem fuiſſe, vt laici non ſolùm decimas & oblationes ex fructibus ſoluerent verùm etiam eas ipſi in cellaria ſacerdotum, & miniſtrorum Dei adferrent, aut adferendas curarent. ¶ *Omnem decimam)* Nullam decimam rapi, aut negari vult, quare non ſatis habuit Deus ipſe dicere, inferte decimā, ſed omnem decimam. Et hoc quātùm ad numerum: Quantùm ad qualitatem verò, homines impij, & Cain imitatores, deteriorem partem Domino Deo reddunt, adeò, vt iam in prouerbium abierit, *gado de dizmo*, hoc eſt, decumale ſeu decimale pecus, pro vili, macro, & nullius pretij: ſupra propheta quoque admonuit cap. 1. Vbi ait, offertis ſuper altare meum panem pollutum, &c. Et infrà: Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat Deo debile. Quæ impia & ſacrilega ac execranda conſuetudo adeò inualuit, vt non ſolùm in pecoribus & fru-

Ipſi laici cellarijs ſacerdotū inferebant decimas.

Conſuetudo etiā Deo offerēdi peiora in frugibus etiā obtinuit.

gibus,

gibus, verumetiam in filiis & filiabus obtineat. Qui enim filium filiam-ve minus ingeniosos aut industrios habent, eos in monasteria obtrudunt: habiles & benè ingeniatos, sibi retinent. Quorum Deus etiam in hoc sæculo interdum irreligiositatem condemnat & vlciscitur. ¶ *In horreum meum.*] Horreum seu cellarium sacerdotum & Leuitarum, horreum suum vocat. Sicut antea dixerat, cōfigitis, seu diripitis me. Quanquam pronomen illud (*meum*) non est in Hebraico. ¶ *Et sit cibus in domo mea.*] Leuitis & sacerdotibus qui ministrāt in templo meo. Vnde Hieron. ait: vt autem sciatis hoc, id est, maledictionem & penuriam, me irascente perfectum, quia fraudastis me parte mea, hortor vos atque commoneo, vt inferatis decimas in horrea, hoc est, in thesauros templi, vt habeant sacerdotes atque Leuitæ, qui mihi ministrāt cibos. Sic Hieron. In quo vide benignitatem Domini. Cùm enim re & facto castigati, id est, penuria & fame, non resipuissent, verborum etiam adiungit medicinam & exhortationem. ¶ *Et probate me super hoc.*] Id est, experimento discite, an quemadmodum durè castigo auersos, sic etiam benignè recipiam atque excipiam conuersos: An vt peccantes maledictione afficio, sic etiam pœnitentes prosequar benedictione? Probate me, id est, meū ingenium, meam consuetudinem, quomodo me aduersùs homines geram, in hac re experimini, ex hac re cognoscite. ¶ *Dicit Dominus.*] In Hebraico additur exercituum. ¶ *Si non aperuero vobis cataractas cæli.*] Subest iurandi species. Si hoc quod dico

non

non præstitero, non sim Deus, nec habeam verax, facientibus vobis ea quæ præcipio. Cataractas LXX. τοὺς καταῤῥάκτας. Est autem cataracta, seu cataractes, porta ex funib. aut catenis pendens, quæ attolli & dimitti potest: à verbo καταῤῥάττω quod est cum impetu decido. Lusitanè dicitur porta *dalçapam*: Vnde Liuius ait: pẽdulas & decidentes portas cataractas. Et alibi, Porta cataracta deiecta clausa erat. Vbi veluti adiectiuum portæ cataractam facit: quasi dicat, portam deciduam. Atque eodem modo in fluminibus aut fluentis, porta retinendæ aut emittendæ aquæ accommodata, cataracta dicitur. Lusitanè *preza*, quo modo accipitur in præsenti, & Gen. cap. 7. vbi dicitur, cataractæ cæli apertæ sunt, subintelligitur, portæ. Hebraicè dicitur ארבה quod R. Dauid interpretatur חלון id est, fenestram: Metaphoricè autem significatur vis cœli aut aëris, ad vapores eleuandos, & in pluuiam conuertendos. Quæ vis à Deo impeditur, aut laxatur quando vult, & sic est siccitas aut pluuia. ¶ *Et effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.*] id est, si non copiosè vobis tribuero bonorum multitudinem, non solùm vt non egeatis, sed vt etiam abundetis. Hebraicè est עד בלידי id est, vsque, siue satis, vel, vsque absque sufficit, id est, vt non sufficiant vasa vobis & horrea ad recondendum, vt exponit R. Ioseph. vel, vt non solùm sit sufficientia, sed etiam plus: vt R. Abraham. Quem sensum D. Hier. sequutus est. Est phrasis Hebraica, Lusitanè dicimus, *a te non mais.* ¶ *Et increpabo pro vobis deuorantem.*] Quia fieri poterat vt agros irrigantibus pluuiis,

Genes. 7.

esset quidem in ipsis fertilitas, sed aut locusta, aut bruchus, aut ærugo, aut eruca destruāt, adiungit, dicens: & increpabo pro vobis; Hebraicè, vobis, sinè *pro*, id est, ad vtilitatem vestram. Increpabo, id est, veluti increpando abigam & expellam. Vt Psal. 105. *Increpuit mare rubrum, & exiccatum est.* Quasi Dominus iratus locustæ, quod fruges pœnitentium perdat, dicat: abite actutum hinc. *Deuorantem*, id est, locustam, bruchum, & cæteram fructuum pestem & perniciem. ¶ *Et non corrumpet.*] Deuorans ille: Hebraicè additur, vobis. Et non corrumpet vobis, id est, non perdet, non destruet. ¶ *Fructum terræ vestræ.*] Pronomen vestræ non est in Hebraico, nec in Chaldaico: fructum autem intelligit frumentum, cui nocere solet locusta. ¶ *Nec erit sterilis vinea in agro.*] Hebraic. non orbabitur, seu sterilificabitur, vt ita dicam, vobis vinea in agro, hoc est, non negabit fructum suum, sed producet vsque ad maturitatem & vsum. ¶ *Et beatos vos dicent omnes gentes.*] Propter abūdantiam rerum temporalium. Nam tam gentes, quàm vulgus Iudęorum rerum temporalium copia beatitudinem metiebantur: & lex vetus bona terræ suis obseruatoribus promittebat. Vnde etiā Psal. 143. iuxta Hebraicum, vbi numerasset fertilitatem bonorum temporalium, subiungit: *beatus populus, cuius talia sunt.* Addit tamen, Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius: quia bonorum temporalium affluentia, per se, non facit populum aut regnum beatum: sed super omnia requiritur cultus veri Dei. ¶ *Eritis enim vos terra desiderabilis.*] Nota modum

Psal. 105. *Psal. 143.*

loquendi: non ait, erit terra veſtra terra deſiderabilis, ſed eritis vos terra deſiderabilis. Id quod neſcio an aliquid habeat myſterij. Fortè enim tacitè Iudæos percellit, terram eos vocando: propterea quòd non niſi terrenis bonis ad cultum Dei alliciebantur, nec aliam pœnam timebant, quàm temporalium bonorum priuationem. Et eſt ſenſus: Eritis terra deſiderabilis, id eſt, multi exoptabunt eſſe ſimiles veſtri, & participes fieri veſtræ fertilitatis. Hoc itaque loco commendatur ac præcipitur nobis, vt à quibus ſpiritualia bona accipimus, vt ſunt regni cæleſtis doctrina, & ſacramenta, eos temporalibus noſtris bonis adiuuemus. Vnde Dominus ait: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Et Apoſtolus docet preſbyteros duplici honore (id eſt, portione) eſſe honorandos: maximè qui laborant in verbo & doctrina Dei. 1. Timoth. 5.

Iudæi dicti terra quoniã huic inhiabant.

V V L G. *Inualuerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus: & dixiſtis, quid loquuti ſumus contra te? Dixiſtis vanum eſt, qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius: & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidẽ ædificati ſunt facientes impietatẽ & tentauerũt Deum, & ſalui facti ſunt.*

CHALD. *Inualuerunt coram me verba vestra, dicit Dominus: quòd si dixeritis, quid multiplicauimus loqui coram te? Dixistis nihil lucratur, qui colit Dominum: Et quod mãnon, seu quas diuitias adepti sumus, quòd custodierimus custodiam verbi eius, & quod ambulauerimus cum summißione spiritus, à facie Domini exercituum? Et nunc nos laudamus impios: & stabiliti seu erecti sunt facientes peccatum, etiam tentauerunt Dominum, & liberati sunt.*

¶ *Inualuerunt.*] Videtur abruptus sermo, nec cum superiori vlla coniunctione connecti. Ante enim dixerat: reddite decimas & oblationes, quas debetis, & implebuntur areæ vestræ frumento, & torcularia vestra vino & oleo redundabunt, vt etiam per Ioel prophetam promiserat cap. 2. & subiungit: inualuerunt super me verba vestra. Potest tamen hoc modo connecti. Ego monéo vos vt debitum obsequium Domino reddatis, recepturi pro eo præsens præmium. Sed frustrà laboro: quia vos impietate & infidelitate laboratis, non solùm apud vos existimantes, sed etiam foris pronunciantes, frustrà Deum coli. Ex quo intelligitur adhuc eos in eo errore & blasphemia obdurari, cuius eos supra ad finem capitis tertij arguerat, dicens: laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis, in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis, omnis qui facit malum, bonus est in conspectu

Domini,

Domini,& tales ei placent:aut certè vbi eſt Deus iudicij? Quoniam igitur hanc blaſphemam opinionem dictionémque nondum depoſuerant, rurſus eos increpat,& arguit, dicens : ¶ *Inualuerunt.*] id eſt , multiplicata ſunt. Hebraicè חזקו multiplicando enim verba & clamores inualeſcunt , & robur quodammodo acquirunt. Vnde etiam in paſſione Domini dicitur : *Inualeſcebant voces eorum.* Luc.23. Hoc eſt,multiplicabantur & repetebantur. ¶ *Super me.*] id eſt, contra me. Nam idem verbum eſt Hebraicè, quod mox ponitur, vbi dicunt : Quid locuti ſumus contra te? ¶ *Verba veſtra.*] id eſt,blaſphemiæ veſtræ. Semper Iudæi hoc vitio laborarunt , hodiéque laborant,vt contra Deum obloquantur. ¶ *Vanus eſt qui ſeruit Deo.*] Heb.vanum eſt ſeruire Deo. Occaſio huius blaſphemiæ erat,quòd cernebant finitimas nationes idololatras,tamen rebus omnibus abundare : ſe autem Dei cultores , & legis ceremoniarum obſeruatores , penuria laborare atque fame confici. Hi autem dupliciter peccabant:Primùm,quòd ſibi Dei cultum arrogabant: cùm Dominus dicat:*Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Deinde, quòd cultum Dei vanum eſſe dicebant. Quod vel ex ipſa lege falſum oſtenditur Deut.c.28. Sed qui Deo ſeruit, quo modo nō debet,hoc eſt,ſolo exteriori cultu , aut ſolùm propter temporalia bona, is profectò vanus & vaniſſimus eſt. Vnde Apoſtolus ait:*Si in hoc mūdo tantùm ſperātes in Deo ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* 1.Cor.1.Et Iſai.1.ait:*ne offeratis vltra ſacrificiū fruſtrà.* Quare

Luc.23.

Deut.28.

1.Cor 1.

Iſai. 1.

& Pharisæus ille, qui bis in sabbatho ieiunabat, decimas dabat omnium quæ possidebat, vanus à Domino iudicatus est. Quæ vanitas meritissimè Iudæis attribuitur: maximè post Christi priorem
Isai.19. aduentum, & passionem, quibus Isaias ait cap. 19. *Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur, &c.* Vides quàm graphicè præsentem Iudæorum statum ac cæcitatem describit. Vnde & Rabbi Dauid exponens hunc locum, ait: Peribit sapientia à sapientibus eius, &c. In exilio & in transmigratione, peribit sapientia eorum qui sunt sapientes: sed sapientia eorum ad malum ipsorum, & non ad bene agendum: sicut ait, sapientes sunt ad malefaciendum, & benefacere nesciunt. Hierem. 4. Profectò enim Rabbini
Hierem. 4. nunc Iudæorum, qui sapientes ipsorum habentur, sapientiam veram perdiderunt, negãtes Dominum Iesum Christum esse, sed ad malè agendum, & plebem despiciendam, sapientes sunt, hoc est, astuti & calidi, tanquam serpentis illius filij, qui primos parentes decepit. ¶ *Et quod emolumentum.*] id est, quæ vtilitas, subaudi, obuenit nobis. ¶ *Quia custodimus præcepta eius.*] Hebr. ¶ *Quia custodiuimus custodiam eius.*] id est, ea quæ ipse custodiri & seruari præcepit. In hoc autem mentiũtur: si enim custodissent, non sic blasphemassent. ¶ *Et quia ambulauimus tristes.*] Pœnitentiã

agendo

agendo,ieiunio,& cilicio. ¶ *Coram Domino.*] Vt qui in cõſpectu principis facinora præclara deſignant,vt eos promereantur,& fauorem,aut fiduciam,quam commendam vocant,indipiſcantur. Hebraicè eodem ſenſus eſt, מִפְּנֵי יְהוָה id eſt, à facie Domini,hoc eſt, propter Dominum,cauſa Domini. ¶ *Ergo nunc.*] quia videmus arrogantibus bene eſſe, quales ſunt Æthnici: modeſtis autem & humilibus,malè,quales ſumus nos:Hebraicè eſt,& nunc: ſubaudiendo,quando ſic iniquè nobiſcum agit Dominus. ¶ *Beatos dicimus.*] Hebraicè beatificamus, vt etiam loquitur Iacobus Apoſtolus cap. 5. dicens: *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt*, id eſt, beatos prædicamus. ¶ *Arrogantes.*] Hebr. clarè dicitur זֵדִים id eſt, ſuperbos, id eſt; qui prudentes & dedita opera, & quaſi ex contemptu peccant. ¶ *Si quidem adificati ſunt.*] id eſt, creuit & aucta eſt ipſorum domus, & familia, tam filiorum, quàm rerum affluentia & copia. ¶ *Facientes impietatem.*] id eſt, impia facta,vt faciunt idololatræ. Occulto enim Dei iudicio fit,vt interdum in hoc mundo fortunati ſint impij, & abundantes: contra verò, pij pauperes,afflicti,egentes. Ex quo tamen intelligunt pij, non in hoc mundo ſuæ pietatis mercedem quærendam aut expectandam eſſe, ſed in alio. Hanc diuinæ diſpoſitionis apparentem inæqualitatem Hieremias admiratur cap. 12. dicens: *Quare via impiorum proſperatur,benè eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt? &c.* Nos autem cùm videamus Dominum Ieſum Chriſtum, in hoc mundo vſque ad mortem crucis,

Iacob.5.

Fortunati impij,pij verò afflicti,occulto Dei iudicio eſt.

Hoc facit bonos ad aliã vitam felicitatem expectare. Hierem. 12.

humiliatum & vexatum, laudemus diuinam dispositionem, nec impiorum successibus inuideamus, sed futuri sæculi statum semper præ oculis habeamus: vbi Lazarus in sinum Abrahæ recipitur, diues in infernum abripitur. ¶ *Et tentauerunt Deum.*] Hanc etiam specialem commemorat impietatem impiorum, quæ maxima habetur: quòd Deum tentant per derisum, dicentes: Videamus quid nobis potest facere. ¶ *Et salui facti sumus.*] id est, nullam pœnam tantæ blasphemiæ susceperunt, sed tanquam iusti & innocentes incolumes permanserunt, seu permanent.
Iob.21. Quo modo etiam dicit Iob cap. 21. *Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatiq́; diuitijs? &c.* Et concludit: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt,* hoc est, cùm vitam beatam vixerint, ne mortis quidem molestiam longo morbo decumbentes sentiunt.

V V L G. *Tunc loquuti sunt timentes Deum, vnusquisque cum proximo suo: & attendit Dominus, & audiuit, & scriptus est liber monimenti coram eo, timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi, & conuertemini, &*

videbitis quid sit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo & non seruientem ei.

CHALD. *Tunc loquuti sunt qui timent Dominum, vir cum proximo suo: & auditum est coram Domino, & reuelatum est coram eo; & conscriptus est liber memoriarum coram eo, timentibus Dominum, & æstimantibus gloriam nominis eius. Et erunt coram me, ait Dominus exercituum, in die qua ego facturus sum peculium: & miserebor super eis, sicut miseretur vir super filium suum, seruientem ipsi. Et conuertemini, & videbitis inter iustos & impios, inter eos qui timent, seu colunt Dominum, & eos qui non timent, aut non colunt eum.*

¶ *Tunc loquuti sunt.*] Iuxta Hebræos, ita intelligendum est: illis de Dei iudicio blasphemãtibus, qui timent Deum ad inuicem sunt locuti: quòd retributio malorum, vel bonorum, non sit in pręsenti & breui sæculo, sed in futuro & æterno, & quòd homo non possit Dei scire iudicia, & de illius æquitate ac iustitia disputare: & cætera, quæ debet iustus cum iusto loqui. Nec dixit, quæ sint loquuti, sed ex eo quod intulit: tunc loquuti sunt timentes Deum vnusquisque cum proximo suo, intelligere debemus ea locutos timentes Deum, quæ omnium scripturarum vocibus cõtinentur.

Sic D. Hieron. ad verbum. Vnde etiam R. Dauid ait: quoniam verba illa erant hominum, vias ac iudicia Dei non intelligentium, ea vbi dicta audierunt timentes, ab hominibus Dei prouidentiam circa res inferas negantibus, loquuti sunt vnusquisque cum alio, sæpè ac sæpius repetendo, in eisque persistendo, quousque in suo intellectu inuenerunt omnes vias eius iudicium esse, eúmque fidem, & omnis prauitatis expertem. Sic R. Dauid. ¶ *Tunc.*] Cùm blasphemi talia loquerentur, è cõtrario locuti sunt timentes Deum, id est, cultores Dei. ¶ *Vnusquisque.*] Hebr. vir. Sed nomen vir Hebræis sæpe significat vnusquisque. ¶ *Cum proximo suo.*] id est, cum alio cultore Dei. Loquuti sunt autem atque dixerunt, imò beati sunt, qui seruiunt Domino, multúmque emolumentum ac lucrum est seruantibus mãdata eius: non seruientes autem, infœlices sunt, & maximum sibi acquirunt damnum & detrimentum: sed id postea videbitur: nunc latet. ¶ *Et attendit Dominus.*] id est, piorum verbis aurem accommodauit, id est, ea grata & accepta habuit: sicut impiorum, ingrata & molesta. ¶ *Et audiuit.*] Tam piorum, quàm impiorum verba. ¶ *Et scriptus est liber monimenti coram eo timentibus Dominum.*] id est, timentibus eum. Nam pro relatiuo solent repetere antecedens. Hoc est, verba cultorum Dei scripturæ mandata sunt, ad æternam memoriam, vt suo tempore præmium ac mercedem suscipiant, & est sermo metaphoricus. Liber enim & scriptura significant ipsam Dei memoriam, nullius neque meriti, neque demeriti obliuiscentis,

Liber & scriptura Dei notitiam significant.

ſed omnia ad futurum iudicium reſeruantis: vbi etiam de ocioſo verbo ratio reddenda eſt. ¶ *Timentibus eum.*] id eſt, ad gloriam timentium eum. Intellige etiam blaſphemantibus eum; id eſt, ad ignominiam & confuſionem ipſorum. ¶ *Et cogitantibus nomen eius.*] id eſt, qui nomen, & gloriam ac honorem eius aſsiduè cogitant; & in mente habent & pro eo ſeſe blaſphemis obiiciunt. Vel, cogitantibus, id eſt, æſtimantibus, magnificantibus, id eſt, reputantibus. R. Abraham timentes Dominum, interpretatur iuſtos. Cogitantes autem nomen Domini, ſapientes corde, & peritos myſteriorum Dei. ¶ *Et erunt mihi.*] Qui ſum verus & incorruptus iudex: Erunt, inquam, mihi timentes me, & nomen meũ cogitantes. ¶ *In peculium.*] Hebr. non eſt præpoſitio, *in*, ſed nominatiuus peculium, id eſt; res peculiaris, propria, ac proinde chara. Peculium Hebr. eſt סגלה quod etiam quidam interpretantur theſaurum. ¶ *In die quâ ego facio.*] id eſt, fecero, ſubaudi, iudicium. Luſitanè dicimus; *quando vier aminha.* Sic Pſalmus 118. ¶ *Tempus faciendi Domine.*] id eſt, iudicij exercendi. Quanuis, inquit, in hoc ſæculo cultores mei videantur miſeri, impij autem beati, tamen in alio contra videbitur, atque contra erit: iuxta illud: *tunc fulgebunt iuſti.* ¶ *Et parcam eis.*] Verbum Hebraic. חמל pluſquam parcere ſignificat, hoc eſt, miſereri, miſericordia commoueri. Quomodo redditur Hier. cap. 15. *Hier. 15.*
Quis miſerebitur tui Hieruſalem? Et Exod. 2. de filia *Exod. 2.*
Pharaonis vidente puerum vagientem, & miſerta eius, &c. Luſitanè, *auer ou ter doó, compaixam, pie*

dade. Eſt ergo ſenſus, licet videar cultores meos negligere, dum in hoc ſæculo ab impiis vexãtur: ego tamen eos, tanquã filios chariſſimos habeo, & cùm maximè crudelis videor in relinquendo corpora pati, tunc vel maximè miſereor, & propitius pater ſum. Sic etiam accipitur verbum par-
Rom. 8. cendi, vbi Apoſtolus ait: *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* Ait ergo, ¶ *Et parcam eis.*] id eſt, miſerebor eorum, nõ ſolùm in futuro ſæculo, ſed etiam in præſenti: ſicut pater filij miſeretur, cùm eum permittit à chirurgo ſecari. Non enim id ex crudelitate aut negligentia facit, ſed ex pietate & prouidẽtia. ¶ *Sicut parcit.*] id eſt, vnuſquiſque. ¶ *Filio ſuo ſeruienti ſibi.*] Id eſt filio morigero & obſequenti. In quo duplex eſt amoris ratio: Nam & extraneos obſequioſos amamus, & filios etiam immorigeros odio habemus: ſed morigerum & obediẽtem filium nemo eſt qui non amet. Sic igitur, & Deus filios ſuos & ſeruientes ſibi, amore proſequitur, quamuis eos in hoc mundo ſecari & cruciari permittat. Quòd autem dixi, Miſerebor eorum, non ſolùm in futuro ſæculo: non eò dico, quòd in futuro ſæculo miſeria vlla, aut malum vllum iuſtis futurum ſit, cuius ergo Deus ipſorum pater, ipſorũ miſereatur: ſed quia tunc maximè apparebit eximius ille paternus affectus, quo filios chariſſimos proſequitur: qui magis cernitur, vbi filij morbum per cruciatum euaſerunt, quàm dum cruciarentur. In cruciatu enim eſt amor paternus, cum dolore: in ſanitate recuperata, etiam cum gaudio. ¶ *Et conuertemini.*] Notare debes morem eſſe Hebraicæ

Amor paternus in cruciatu cũ dolore, in ſanitate cum gaudio.

linguæ

linguæ apud prophetas, vt à tertia persona transeant ad secundam, & à secunda ad tertiam in eodem sermonis contextu: vt hoc loco, cùm dixisset: Et erunt mihi &c. Videretúrque dicendum: Et conuertentur, ait: Et conuertimini, id est, & transmutabimini de statu afflictionis ad statum gloriæ: quæ est mutatio & conuersio dexteræ excelsi, Et est consolatio iustorum in hoc sæculo afflictorum: iuxta illud Domini: *tristitia vestra in gaudium conuertetur, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Quod è contrario continget impiis, quorum gaudium in tristitiam cōuertetur, quam tristitiam nemo tollet ab eis. ¶ *Et videbitis quid intersit inter iustum & impium.*] Vos iusti, qui nunc experimento non videtis, quid intersit inter iustum & impium, imò videtis iustum affligi, impium voluptatibus perfrui: tunc videbitis, quantum inter vtrumque intersit, videlicet quantum interest inter perceptionem regni, & itionem in ignem æternum. Quo modo intelligendo, sermo dirigitur ad cultores Dei. Si autem ad blasphemos & impios dirigatur: sensus est: Et conuertemini, id est, si conuertamini, videbitis quid intersit inter iustum & impium, nec amplius dicetis: vanus est qui timet Dominum. Nec illud capitis secundi: omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini; Ab hac enim opinione discedēt tam boni, quàm mali, in die iudicij, iuxta illud: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: quod dicent impij. At in præsenti sæculo ab ea opinione solùm discedunt, qui ex impiis per Christi gratiam fiunt pij. Nam hi etiam in hoc

ſæculo intelligunt multum inter pios & impios diſcrimen eſſe, id eſt, inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem Deo, ſed ſuo ventri, aut ſuo honori, aut denique ſibi ipſi.

CAPVT IIII.

EDITIO VVLGATA.

ECce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: Et erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen.

EDITIO CHALDAICA.

Quoniam ecce dies venit ardens ſicut clibanus: & erunt omnes impij, & omnes facientes peccatum, debiles ſicut ſtipula, & lambet eos dies ille qui venit, ait Dominus exercituum: qui non relinquet eis filium, neque filium filij, id eſt, nec nepotem.

¶ *Ecce enim.*] Cum ſuperiori coniungitur: Dixerat enim futurum, quando cognoſcendum ſit piorum, impiorumque diſcrimen: Id nunc ex-

plicat,dicens. ¶ *Ecce enim dies veniet.*] Hebraicè præſentis temporis eſt,dies venit, vt maior timor incutiatur. Venit enim reuera & appropinquat in dies magis ille dies iudicij, qui ſanctis lux erit : iniquis, tenebræ. Vnde Dominus ait, *leuate capita veſtra quia appropinquat redemptio veſtra.* ¶ *Succenſa quaſi caminus.*] tum quia orbis conflagratio, iudicium proximè præcedet,quo igne omnes impij, qui viui reperientur,conſumentur,& interibunt ante mortuorum generalem reſurrectionem : tum etiam quia poſt iudicium, iidem impij in ignem mittentur æternum. Itaque non eſt hoc loco metaphora ignis, ſed proprietas & veritas. ¶ *Quaſi caminus.*] Quia in camino ſeu fornace propter denſitatem flammæ, ignis eſt vehementior. Sic ignis ille quo orbis terrarum conflagrabit, & purgabitur, vehemētiſſimus erit:adeò vt etiam lapides, & aurum, & omnia metalla conſumpturus ſit, & ipſum etiam mare feruefacturus,vt omnes piſces diſſoluantur & conſumantur,ita vt nulla res mixta remaneat præter humana corpora, ſed ſola ſimplicia mundi elementa. ¶ *Et erunt omnes ſuperbi,& omnes facientes impietatem, ſtipula.*] Hoc eſt, tam facilè corripientur & conſumentur ab illo igne vehementiſſimo,ac ſi eſſent ſtipula. Hoc loco libet adſcribere verba D.Thomæ circa hanc materiam. Sic igitur ait:ignis ille quantum pertinet ad virtutem naturalem ipſius, ſimiliter aget in bonos & in malos,qui viui reperientur,vtrorúnque corpora in cinerem reſoluendo; in quantum verò agit vt inſtrumētum diuinæ iuſtitiæ, diuer-

ſimodè

gibus, verumetiam in filiis & filiabus obtineat. Qui enim filium filiam-ve minus ingeniosos aut industrios habent, eos in monasteria obtrudunt: habiles & benè ingeniatos, sibi retinent. Quorum Deus etiam in hoc sæculo interdum irreligiositatem condemnat & vlciscitur. ¶ *In horreum meum.*] Horreum seu cellarium sacerdotum & Leuitarum, horreum suum vocat. Sicut antea dixerat, cōfigitis, seu diripitis me. Quanquam pronomen illud (*meum*) non est in Hebraico. ¶ *Et sit cibus in domo mea.*] Leuitis & sacerdotibus qui ministrāt in templo meo. Vnde Hieron. ait: vt autem sciatis hoc, id est, maledictionem & penuriam, me irascente perfectum, quia fraudastis me parte mea, hortor vos atque commoneo, vt inferatis decimas in horrea, hoc est, in thesauros templi, vt habeant sacerdotes atque Leuitæ, qui mihi ministrāt cibos. Sic Hieron. In quo vide benignitatem Domini. Cùm enim re & facto castigati, id est, penuria & fame, non resipuissent, verborum etiam adiungit medicinam & exhortationem. ¶ *Et probate me super hoc.*] Id est, experimento discite, an quemadmodum durè castigo auersos, sic etiam benignè recipiam atque excipiam conuersos: An vt peccantes maledictione afficio, sic etiam pœnitentes prosequar benedictione? Probate me, id est, meū ingenium, meam consuetudinem, quomodo me aduersùs homines geram, in hac re experimini, ex hac re cognoscite. ¶ *Dicit Dominus.*] In Hebraico additur exercituum. ¶ *Si non aperuero vobis cataractas cæli.*] Subest iurandi species. Si hoc quod dico

non

non præſtitero, non ſim Deus, nec habear verax, facientibus vobis ea quæ præcipio. Cataractas LXX. τὰς καταράκτας. Eſt autem cataracta, ſeu cataractes, porta ex funib. aut catenis pendens, quæ attolli & dimitti poteſt: à verbo καταράττω quod eſt cum impetu decido. Luſitanè dicitur porta *dalçapam*: Vnde Liuius ait: pēdulas & decidentes portas cataractas. Et alibi, Porta cataracta deiecta clauſa erat. Vbi veluti adiectiuum portæ cataractam facit: quaſi dicat, portam deciduam. Atque eodem modo in fluminibus aut fluentis, porta retinendæ aut emittendæ aquæ accommodata, cataracta dicitur. Luſitanè *preza*, quo modo accipitur in præſenti, & Gen. cap. 7. vbi dicitur, cataractæ cæli apertæ ſunt, ſubintelligitur, portæ. Hebraicè dicitur ארבה quod R. Dauid interpretatur חלון id eſt, feneſtram: Metaphoricè autem ſignificatur vis cœli aut aëris, ad vapores eleuandos, & in pluuiam conuertendos. Quæ vis à Deo impeditur, aut laxatur quando vult, & ſic eſt ſiccitas aut pluuia. ¶ *Et effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam.*] ideſt, ſi non copioſè vobis tribuero bonorum multitudinem, non ſolùm vt non egeatis, ſed vt etiam abundetis. Hebraicè eſt עד בלידי id eſt, vſque, ſiue ſatis, vel, vſque abſque ſufficit, id eſt, vt non ſufficiant vaſa vobis & horrea ad recondendum, vt exponit R. Ioſeph. vel, vt non ſolùm ſit ſufficientia, ſed etiam plus: vt R. Abraham. Quem ſenſum D. Hier. ſequutus eſt. Eſt phraſis Hebraica, Luſitanè dicimus, *a te non mais.* ¶ *Et increpabo pro vobis deuorantem.*] Quia fieri poterat vt agros irrigantibus pluuiis,

Geneſ. 7.

eſſet

esset quidem in ipsis fertilitas, sed aut locusta, aut bruchus, aut ærugo, aut eruca destruāt, adiungit, dicens: & increpabo pro vobis: Hebraicè, vobis, sinè *pro*, id est, ad vtilitatem vestram. Increpabo, id est, veluti increpando abigam & expellam. Vt
Psal. 105. Psal. 105. *Increpuit mare rubrum, & exiccatum est.* Quasi Dominus iratus locustæ, quod fruges pœnitentium perdat, dicat: abite actutum hinc. *Deuorantem*, id est, locustam, bruchum, & cæteram fructuum pestem & perniciem. ¶ *Et non corrumpet.*] Deuorans ille: Hebraicè additur, vobis. Et non corrumpet vobis, id est, non perdet, non destruet. ¶ *Fructum terræ vestræ.*] Pronomen vestræ non est in Hebraico, nec in Chaldaico: fructum autem intelligit frumentum, cui nocere solet locusta. ¶ *Nec erit sterilis vinea in agro.*] Hebraic. non orbabitur, seu sterilificabitur, vt ita dicam, vobis vinea in agro, hoc est, non negabit fructum suum, sed producet vsque ad maturitatem & vsum. ¶ *Et beatos vos dicent omnes gentes.*] Propter abūdantiam rerum temporalium. Nam tam gentes, quàm vulgus Iudęorum rerum temporalium copia beatitudinem metiebantur: & lex vetus bona terræ suis obseruatoribus pro-
Psal. 143. mittebat. Vnde etiā Psal. 143. iuxta Hebraicum, vbi numerasset fertilitatem bonorum temporalium, subiungit: *beatus populus, cuius talia sunt.* Addit tamen, Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius: quia bonorum temporalium affluentia, per se, non facit populum aut regnum beatum: sed super omnia requiritur cultus veri Dei. ¶ *Eritis enim vos terra desiderabilis.*] Nota modum

loquendi: non ait, erit terra veſtra terra deſiderabilis, ſed eritis vos terra deſiderabilis. Id quod neſcio an aliquid habeat myſterij. Fortè enim tacitè Iudæos percellit, terram eos vocando: propterea quòd non niſi terrenis bonis ad cultum Dei alliciebantur, nec aliam pœnam timebant, quàm temporalium bonorum priuationem. Et eſt ſenſus: Eritis terra deſiderabilis, id eſt, multi exoptabunt eſſe ſimiles veſtri, & participes fieri veſtræ fertilitatis. Hoc itaque loco commendatur ac præcipitur nobis, vt à quibus ſpiritualia bona accipimus, vt ſunt regni cæleſtis doctrina, & ſacramenta, eos temporalibus noſtris bonis adiuuemus. Vnde Dominus ait: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Et Apoſtolus docet preſbyteros duplici honore (id eſt, portione) eſſe honorandos: maximè qui laborant in verbo & doctrina Dei. 1. Timoth. 5.

Iudæi dicti terra quoniã huic inhiabant.

VVLG. *Inualuerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus: & dixiſtis, quid loquuti ſumus contra te? Dixiſtis vanum eſt, qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius: & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidẽ ædificati ſunt facientes impietatẽ & tentauerũt Deum, & ſalui facti ſunt.*

CHALD. *Inualuerunt coram me verba veſtra, dicit Dominus: quòd ſi dixeritis, quid multiplicauimus loqui coram te? Dixiſtis nihil lucratur, qui colit Dominum: Et quod mãnion, ſeu quas diuitias adepti ſumus, quòd cuſtodierimus cuſtodiam verbi eius, & quod ambulauerimus cum ſummiſsione ſpiritus, à facie Domini exercituum? Et nunc nos laudamus impios: & ſtabiliti ſeu erecti ſunt facientes peccatum, etiam tentauerunt Dominum, & liberati ſunt.*

¶ *Inualuerunt.*] Videtur abruptus ſermo, nec cum ſuperiori vlla coniunctione connecti. Ante enim dixerat: reddite decimas & oblationes, quas debetis, & implebuntur areæ veſtræ frumento, & torcularia veſtra vino & oleo redundabunt, vt etiam per Ioel prophetam promiſerat cap. 2. & ſubiungit: inualuerunt ſuper me verba veſtra. Poteſt tamen hoc modo connecti. Ego moneo vos vt debitum obſequium Domino reddatis, recepturi pro eo præſens præmium. Sed fruſtrà laboro: quia vos impietate & infidelitate laboratis, non ſolùm apud vos exiſtimantes, ſed etiam foris pronunciantes, fruſtrà Deum coli. Ex quo intelligitur adhuc eos in eo errore & blaſphemia obdurari, cuius eos ſupra ad finem capitis tertij arguerat, dicens: laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis, in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis, omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu

Domini,

Domini,& tales ei placent:aut certè vbi eſt Deus iudicij? Quoniam igitur hanc blaſphemam opinionem dictionémque nondum depoſuerant, rurſus eos increpat,& arguit, dicens : ¶ *Inualuerunt.*] id eſt , multiplicata ſunt. Hebraicè חזקו multiplicando enim verba & clamores inualeſcunt , & robur quodammodo acquirunt. Vnde etiam in paſſione Domini dicitur: *Inualeſcebant voces eorum.* Luc.23. Hoc eſt,multiplicabantur & repetebantur. ¶ *Super me.*] id eſt, contra me. Nam idem verbum eſt Hebraicè, quod mox ponitur, vbi dicunt : Quid locuti ſumus contra te? ¶ *Verba veſtra.*] id eſt,blaſphemiæ veſtræ. Semper Iudæi hoc vitio laborarunt , hodiéque laborant,vt contra Deum obloquantur. ¶ *Vanus eſt qui ſeruit Deo.*] Heb.vanum eſt ſeruire Deo. Occaſio huius blaſphemiæ erat,quòd cernebant finitimas nationes idololatras,tamen rebus omnibus abundare : ſe autem Dei cultores , & legis ceremoniarum obſeruatores , penuria laborare atque fame confici. Hi autem dupliciter peccabant:Primùm,quòd ſibi Dei cultum arrogabant: cùm Dominus dicat:*Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Deinde, quòd cultum Dei vanum eſſe dicebant. Quod vel ex ipſa lege falſum oſtenditur Deut.c.28. Sed qui Deo ſeruit, quo modo nõ debet,hoc eſt,ſolo exteriori cultu , aut ſolùm propter temporalia bona, is profectò vanus & vaniſſimus eſt. Vnde Apoſtolus ait:*Si in hoc mũdo tantùm ſperãtes in Deo ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* 1.Cor.1.Et Iſai.1.ait:*ne offeratis vltra ſacrificiũ fruſtrà.* Quare

Luc.23.
Deut.28.
1.Cor 1.
Iſai. 1.

& Pharisæus ille, qui bis in sabbatho ieiunabat, decimas dabat omnium quæ possidebat, vanus à Domino iudicatus est. Quæ vanitas meritissimè Iudæis attribuitur: maximè post Christi priorem aduentum, & passionem, quibus Isaias ait cap. 19. *Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur, &c.* Vides quàm graphicè præsentem Iudæorum statum ac cæcitatem describit. Vnde & Rabbi Dauid exponens hunc locum, ait: Peribit sapientia à sapientibus eius, &c. In exilio & in transmigratione, peribit sapientia eorum qui sunt sapientes: sed sapientia eorum ad malum ipsorum, & non ad bene agendum: sicut ait, sapientes sunt ad malefaciendum, & benefacere nesciunt. Hierem. 4. Profectò enim Rabbini nunc Iudæorum, qui sapientes ipsorum habentur, sapientiam veram perdiderunt, negãtes Dominum Iesum Christum esse, sed ad malè agendum, & plebem despiciendam, sapientes sunt, hoc est, astuti & calidi, tanquam serpentis illius filij, qui primos parentes decepit. ¶ *Et quod emolumentum.*] id est, quæ vtilitas, subaudi, obuenit nobis. ¶ *Quia custodimus præcepta eius.*] Hebr. ¶ *Quia custodiuimus custodiam eius.*] id est, ea quæ ipse custodiri & seruari præcepit. In hoc autem mentiũtur: si enim custodissent, non sic blasphemassent. ¶ *Et quia ambulauimus tristes.*] Pœnitentiã

Isai. 19.

Hierem. 4.

agendo

agendo,ieiunio,& cilicio. ¶ *Coram Domino.*] Vt qui in cóspectu principis facinora præclara designant,vt eos promereantur,& fauorem,aut fiduciam,quam commendam vocant,indipiscantur. Hebraicè eodem sensus est, מפני יהוה id est, à facie Domini,hoc est, propter Dominum,causa Domini. ¶ *Ergo nunc.*] quia videmus arrogantibus bene esse, quales sunt Æthnici: modestis autem & humilibus,malè,quales sumus nos:Hebraicè est,& nunc: subaudiendo,quando sic iniquè nobiscum agit Dominus. ¶ *Beatos dicimus.*] Hebraicè beatificamus, vt etiam loquitur Iacobus Apostolus cap. 5. dicens: *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt*, id est, beatos prædicamus. ¶ *Arrogantes.*] Hebr. clarè dicitur זדים id est, superbos, id est; qui prudentes & dedita opera, & quasi ex contemptu peccant. ¶ *Si quidem ædificati sunt.*] id est, creuit & aucta est ipsorum domus, & familia, tam filiorum, quàm rerum affluentia & copia. ¶ *Facientes impietatem.*] id est, impia facta,vt faciunt idololatræ. Occulto enim Dei iudicio fit,vt interdum in hoc mundo fortunati sint impij, & abundantes: contra verò, pij pauperes,afflicti,egentes. Ex quo tamen intelligunt pij, non in hoc mundo suæ pietatis mercedem quærendam aut expectandam esse, sed in alio. Hanc diuinæ dispositionis apparentem inæqualitatem Hieremias admiratur cap. 12. dicens: *Quare via impiorum prosperatur,benè est omnibus qui preuaricantur, & iniquè agunt? &c.* Nos autem cùm videamus Dominum Iesum Christum, in hoc mundo vsque ad mortem crucis,

Iacob. 5.

Fortunati impij,pij verò afflicti,occulti Dei iudicij est.

Hoc facit bonos ad aliā vitam felicitatem expectare.

Hierem. 12.

humiliatum & vexatum, laudemus diuinam dispositionem, nec impiorum successibus inuideamus, sed futuri sæculi statum semper præ oculis habeamus: vbi Lazarus in sinum Abrahæ recipitur, diues in infernum abripitur. ¶ *Et tentauerunt Deum.*] Hanc etiam specialem commemorat impietatem impiorum, quæ maxima habetur: quòd Deum tentant per derisum, dicentes: Videamus quid nobis potest facere. ¶ *Et salui facti sunus.*] id est, nullam pœnam tantæ blasphemiæ susceperunt, sed tanquam iusti & innocentes incolumes permanserunt, seu permanent.
Iob.21. Quo modo etiam dicit Iob cap.21. *Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatiq́; diuitijs? &c.* Et concludit: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt,* hoc est, cùm vitam beatam vixerint, ne mortis quidem molestiam longo morbo decumbentes sentiunt.

VVLG. *Tunc loquuti sunt timentes Deum, vnusquisque cum proximo suo: & attendit Dominus, & audiuit, & scriptus est liber monimenti coram eo, timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi, & conuertemini, &*

videbitis quid ſit inter iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei.

CHALD. *Tunc loquuti ſunt qui timent Dominum, vir cum proximo ſuo: & auditum eſt coram Domino, & reuelatum eſt coram eo; & conſcriptus eſt liber memoriarum coram eo, timentibus Dominum, & æſtimantibus gloriam nominis eius. Et erunt coram me, ait Dominus exercituum, in die qua ego facturus ſum peculium: & miſerebor ſuper eis, ſicut miſeretur vir ſuper filium ſuum, ſeruientem ipſi. Et conuertemini, & videbitis inter iuſtos & impios, inter eos qui timent, ſeu colunt Dominum, & eos qui non timent, aut non colunt eum.*

¶ *Tunc loquuti ſunt.*] Iuxta Hebræos, ita intelligendum eſt: illis de Dei iudicio blaſphemãtibus, qui timent Deum ad inuicem ſunt locuti: quòd retributio malorum, vel bonorum, non ſit in pręſenti & breui ſæculo, ſed in futuro & æterno, & quòd homo non poſſit Dei ſcire iudicia, & de illius æquitate ac iuſtitia diſputare: & cætera, quæ debet iuſtus cum iuſto loqui. Nec dixit, quæ ſint loquuti, ſed ex eo quod intulit: tunc loquuti ſunt timentes Deum vnuſquiſque cum proximo ſuo, intelligere debemus ea locutos timentes Deum, quæ omnium ſcripturarum vocibus cõtinentur.

Sic D.Hieron.ad verbum. Vnde etiam R.Dauid ait : quoniam verba illa erant hominum, vias ac iudicia Dei non intelligentium , ea vbi dicta audierunt timentes, ab hominibus Dei prouidentiam circa res inferas negantibus, loquuti sunt: vnusquisque cum alio,sæpè ac sæpius repetendo, in eísque persistendo,quousque in suo intellectu inuenerunt omnes vias eius iudicium esse, eúmque fidem,& omnis prauitatis expertem. Sic R. Dauid. ¶ *Tunc.*] Cùm blasphemi talia loquerentur,è cótrario locuti sunt timentes Deum,id est, cultores Dei. ¶ *Vnusquisque.*] Hebr. vir. Sed nomen vir Hebræis sæpe significat vnusquisque. ¶ *Cum proximo suo.*] id est, cum alio cultore Dei. Loquuti sunt autem atque dixerunt, imò beati sunt, qui seruiunt Domino, multúmque emolumentum ac lucrum est seruantibus mãdata eius: non seruientes autem, infœlices sunt, & maximum sibi acquirunt damnum & detrimentum: sed id postea videbitur:nunc latet. ¶ *Et attendit Dominus.*] id est, piorum verbis aurem accommodauit,id est, ea grata & accepta habuit : sicut impiorum,ingrata & molesta.¶ *Et audiuit.*] Tam piorum, quàm impiorum verba. ¶ *Et scriptus est liber monimenti coram eo timentibus Dominum.*] id est,timentibus eum. Nam pro relatiuo solent repetere antecedens. Hoc est, verba cultorum Dei scripturæ mandata sunt,ad æternam memoriam, vt suo tempore præmium ac mercedem suscipiant, & est sermo metaphoricus. Liber enim & scriptura significant ipsam Dei memoriam, nullius neque meriti, neque demeriti obliuiscentis,

[L]iber & scri[p]tura Dei [n]otitiam si[g]nificant.

sed

ſed omnia ad futurum iudicium reſeruantis: vbi etiam de ocioſo verbo ratio reddenda eſt. ¶ *Timentibus eum.*] id eſt, ad gloriam timentium eum. Intellige etiam blaſphemantibus eum; id eſt, ad ignominiam & confuſionem ipſorum. ¶ *Et cogitantibus nomen eius.*] id eſt, qui nomen, & gloriam ac honorem eius aſsiduè cogitant; & in mente habent & pro eo ſeſe blaſphemis obiiciunt. Vel, cogitantibus, id eſt, æſtimantibus, magnifacientibus, id eſt, reputantibus. R. Abraham timentes Dominum, interpretatur iuſtos. Cogitantes autem nomen Domini, ſapientes corde, & peritos myſteriorum Dei. ¶ *Et erunt mihi.*] Qui ſum verus & incorruptus iudex: Erunt, inquam, mihi timentes me, & nomen meũ cogitantes. ¶ *In peculium.*] Hebr. non eſt præpoſitio, *in*, ſed nominatiuus peculium, id eſt, res peculiaris, propria, ac proinde chara. Peculium Hebr. eſt סגלה quod etiam quidam interpretantur theſaurum. ¶ *In die qua ego facio.*] id eſt, fecero, ſubaudi, iudicium. Luſitanè dicimus, *quando vier aminha.* Sic Pſalmus 118. ¶ *Tempus faciendi Domine.*] id eſt, iudicij exercendi. Quanuis, inquit, in hoc ſæculo cultores mei videantur miſeri, impij autem beati, tamen in alio contra videbitur, atque contra erit: iuxta illud: *tunc fulgebunt iuſti.* ¶ *Et parcam eis.*] Verbum Hebraic. חמל pluſquam parcere ſignificat, hoc eſt, miſereri, miſericordia commoueri. Quomodo redditur Hier. cap. 15. Hier. 15. *Quis miſerebitur tui Hieruſalem?* Et Exod. 2. de filia Exod. 2. Pharaonis vidente puerum vagientem, & miſerta eius, &c. Luſitanè, *auer ou ter doó, compaixam, pie*

dade. Eſt ergo ſenſus, licet videat cultores meos negligere, dum in hoc ſæculo ab impiis vexátur: ego tamen eos, tanquã filios chariſſimos habeo, & cùm maximè crudelis videor in relinquendo corpora pati, tunc vel maximè miſereor, & propitius pater ſum. Sic etiam accipitur verbum parcendi, vbi Apoſtolus ait: *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* Ait ergo, ¶ *Et parcam eis.*] id eſt, miſerebor eorum, nõ ſolùm in futuro ſæculo, ſed etiam in præſenti: ſicut pater filij miſeretur, cùm eum permittit à chirurgo ſecari. Non enim id ex crudelitate aut negligentia facit, ſed ex pietate & prouidẽtia. ¶ *Sicut parcit.*] id eſt, vnuſquiſque. ¶ *Filio ſuo ſeruienti ſibi.*] Id eſt filio morigero & obſequenti. In quo duplex eſt amoris ratio: Nam & extraneos obſequioſos amamus, & filios etiam immorigeros odio habemus: ſed morigerum & obediẽtem filium nemo eſt qui non amet. Sic igitur, & Deus filios ſuos & ſeruientes ſibi, amore proſequitur, quamuis eos in hoc mundo ſecari & cruciari permittat. Quòd autem dixi, Miſerebor eorum, non ſolùm in futuro ſæculo: non eò dico, quòd in futuro ſæculo miſeria vlla, aut malum vllum iuſtis futurum ſit, cuius ergo Deus ipſorum pater, ipſorũ miſereatur: ſed quia tunc maximè apparebit eximius ille paternus affectus, quo filios chariſſimos proſequitur: qui magis cernitur, vbi filij morbum per cruciatum euaſerunt, quàm dum cruciarentur. In cruciatu enim eſt amor paternus, cum dolore: in ſanitate recuperata, etiam cum gaudio. ¶ *Et conuertemini.*] Notare debes morem eſſe Hebraicæ

Rom. 8.

Amor paternus in cruciatu cũ dolore, in ſanitate cum gaudio.

linguæ

linguæ apud prophetas,vt à tertia perſona tranſeant ad ſecundam, & à ſecunda ad tertiam in eodem ſermonis contextu : vt hoc loco, cùm dixiſſet:Et erunt mihi &c. Videretúrque dicendum: Et conuertentur, ait : Et conuertimini , id eſt, & tranſmutabimini de ſtatu afflictionis ad ſtatum gloriæ:quæ eſt mutatio & conuerſio dexteræ excelſi,Et eſt conſolatio iuſtorum in hoc ſæculo afflictorum : iuxta illud Domini : *triſtitia veſtra in gaudium conuertetur , & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Quod è contrario continget impiis, quorum gaudium in triſtitiam cõuertetur, quam triſtitiam nemo tollet ab eis. ¶ *Et videbitis quid interſit inter iuſtum & impium.*] Vos iuſti,qui nunc experimento non videtis , quid interſit inter iuſtum & impium , imò videtis iuſtum affligi , impium voluptatibus perfrui:tunc videbitis , quantum inter vtrumque interſit, videlicet quantum intereſt inter prçceptionem regni, & itionem in ignem æternum.Quo modo intelligendo, ſermo dirigitur ad cultores Dei. Si autem ad blaſphemos & impios dirigatur:ſenſus eſt : Et conuertemini,id eſt,ſi conuertamini,videbitis quid interſit inter iuſtum & impium , nec amplius dicetis: vanus eſt qui timet Dominum. Nec illud capitis ſecundi:omnis qui facit malum,bonus eſt in conſpectu Domini ; Ab hac enim opinione diſcedẽt tam boni , quàm mali, in die iudicij, iuxta illud: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei: quod dicent impij. At in præſenti ſæculo ab ea opinione ſolùm diſcedunt , qui ex impiis per Chriſti gratiam fiunt pij. Nam hi etiam in hoc

ſæculo

ſæculo intelligunt multum inter pios & impios diſcrimen eſſe, id eſt, inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem Deo, ſed ſuo ventri, aut ſuo honori, aut denique ſibi ipſi.

CAPVT IIII.

EDITIO VVLGATA.

Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: Et erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen.

EDITIO CHALDAICA.

Quoniam ecce dies venit ardens ſicut clibanus: & erunt omnes impij, & omnes facientes peccatum, debiles ſicut ſtipula, & lambet eos dies ille qui venit, ait Dominus exercituum: qui non relinquet eis filium, neque filium filij, id eſt, nec nepotem.

¶ *Ecce enim.*] Cum ſuperiori coniungitur: Dixerat enim futurum, quando cognoſcendum ſit piorum, impiorumque diſcrimen: Id nunc ex-

plicat,

plicat, dicens. ¶ *Ecce enim dies veniet.*] Hebraicè præsentis temporis est, dies venit, vt maior timor incutiatur. Venit enim reuera & appropinquat in dies magis ille dies iudicij, qui sanctis lux erit: iniquis, tenebræ. Vnde Dominus ait, *leuate capita vestra quia appropinquat redemptio vestra.* ¶ *Succensa quasi caminus.*] tum quia orbis conflagratio, iudicium proximè præcedet, quo igne omnes impij, qui viui reperientur, consumentur, & interibunt ante mortuorum generalem resurrectionem: tum etiam quia post iudicium, iidem impij in ignem mittentur æternum. Itaque non est hoc loco metaphora ignis, sed proprietas & veritas. ¶ *Quasi caminus.*] Quia in camino seu fornace propter densitatem flammæ, ignis est vehementior. Sic ignis ille quo orbis terrarum conflagrabit, & purgabitur, vehemẽtissimus erit: adeò vt etiam lapides, & aurum, & omnia metalla consumpturus sit, & ipsum etiam mare feruefacturus, vt omnes pisces dissoluantur & consumantur, ita vt nulla res mixta remaneat præter humana corpora, sed sola simplicia mundi elementa. ¶ *Et erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula.*] Hoc est, tam facilè corripientur & consumentur ab illo igne vehementissimo, ac si essent stipula. Hoc loco libet adscribere verba D. Thomæ circa hanc materiam. Sic igitur ait: ignis ille quantum pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in bonos & in malos, qui viui reperientur, vtrorúmque corpora in cinerem resoluendo; in quantum verò agit vt instrumẽtum diuinæ iustitiæ, diuer-

simodè

ſimodò aget in diuerſos, quantum ad pœnã ſenſuum. Mali enim, per actionem ignis cruciabuntur, boni verò, in quibus nihil purgandum inuenietur, omnino nullum dolorẽ ſentient ex igne: vt nec pueri ſenſerunt in camino ignis. Dan. 3. quamuis eorum corpora non ſeruentur integra, ſicut puerorum ſeruata fuerunt. Et hoc diuina virtute fieri poterit, vt ſinè doloris cruciatu, reſolutionem corporũ patiantur. Boni verò, in quibus aliquid purgandum reperietur, ſentient cruciatum doloris ex illo igne, plus vel minus, pro meritorum diuerſitate: Sic D. Thom. in 4.d.47. art.3 quæſt 2. Et in additionibus ad tertiam partem quæſt.76.art.8 Si quis autem defendere voluerit bonos, qui tunc reperti fuerint, non morituros, vt apud Soto.in 4.dig.43. art. 4. & aliqui defendunt, dicet eos in medio ignis illæſos permanſuros. virtute diuina, quod credibilius etiam eſt, quamuis vt combuſti non doleãt: & ſanè propheta de ſolis impiis loquitur, quoad ignem, eóſque à piis in eo ſeparat: ſignificans pios ab illo igne nihil eſſe paſſuros. ¶ *Et inflammabit eos.*] ולהט אותם Id eſt, ita comburet, vt flamma ex ipſis excitetur. ¶ *Dies veniens.*] Id eſt, ignis in die illo, qui quotidie venit & appropinquat. ¶ *Quæ non relinquet eis radicem.*] Id eſt, aliquid vnde aliud germinare aut oriri poſſit. Vno verbo ſtatum mundi deſcripſit, poſt finale iudiciũ. Tunc enim ceſſante motu cæli, omnis ceſſabit rerum viciſſitudo: nec hyẽs æſtati, nec æſtas hyemi ſuccedet: nec generatio alicuius rei erit, neque corruptio. ¶ *Et germen.*] Hebraicè, & ramum: ex

An boni in die Iudicij aliquid ab igne pati poſſint etiam abſque dolore.

Omnis rerũ viciſsitudo ceſſabit ceſſante motu cæli, nec generatio nec corruptio erit.

radice enim rami procedunt, hoc eſt, nihil iam naſcetur aut pullulabit. Eſt autē metaphora, qua homo arbori comparatur, cuius quandiu radix viuit, ramos facit: vbi autem radix exaruit, non amplius ramos aut pullos producit. Paraphraſtes quem ſequitur R. Dauid, exponit: non relinquet eis filios & nepotes. Et eſt idem ſenſus, quòd, videlicet, poſt vltimum iudicium non amplius aliquis homo naſcetur. Hoc autem non ſolùm in impiis verum erit, ſed etiam in ſanctis: iuxta illud Domini. Matth. 22. *In regeneratione non nubent, neque nubentur*: ſed idcirco de impiis hoc dixit priuatim, quia carnalium filiorum fertilitate lætantur, vt non indicet hanc etiam lætitiam illis tunc defuturam. Quo loco, non video qua ratione Iudæi poſſent ſe tueri, putantes poſt diem iudicij, homines in æternum eſſe ſuper terra manſuros, & generationi operam daturos. *Matth. 22.*

V V L G. *Et orietur vobis timentibus nomen meum, ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli de armento. Et calcabitis impios cùm fuerint cinis, ſub planta pedum veſtrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.*

C H A L D. *Et orietur vobis qui timetis nomen meum, ſol puritatis, & ſanitas in alis*

eius & exibitis, & exaltabimini, vel & incendetis quasi vituli saginati, & conculcabitis impios cùm fuerint cinis sub solo pedum vestrorum: in die qua ego facio, ait Dominus exercituum.

¶ *Et orietur vobis.*] Supra dixit de pœna & interitu impiorum, nunc de præmio iustorum. ¶ *Timentibus nomen meum.*] Omnes virtutes timoris nomine complectitur. Timor verò Domini intelligitur reuerentia, cultus, & religio. Qui enim verè Deum timet, & colit & reueretur, ab omnibus se abstinet, quæ Deo displicent. ¶ *Sol iustitiæ.*] Id est, Christus, qui vera omnia iudicabit, & nec bona nec mala, nec virtutes nec vitia
1.Cor.4. latere patietur: iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo, &c.* Appellauit etiam Christum solem, ad significandum gaudium electorum de conspectu eius: quemadmodum qui in tenebris sunt, exoptant lucem, ortum & conspectum solis. Dicitur autem sol iustitiæ, quia ipse author est iustitiæ, & meritorum nostrorum. Dicitur etiã orietur: non quòd tunc nasciturus sit, quasi antea non fuerit, sed orietur, id est, apparebit, qui nunc in cælo latet, sicut sol materialis sub horizonte latet. Vnde etiam ipse eius aduentus ἐπιφάνεια, id est, ap-
1.Tim. pparitio appellatur. 1. Tim. 6. vbi ait: *serues mandatum vsque in aduentum Domini: Græcè μέχρι τῆς ἐπι-*

φανείας, & reuelatio, id eſt, ἀποκάλυψις. 2. Theſſ. cap.1.vbi ait; *Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem, nobiſcum, in reuelatione Domini Ieſu de cælo,cum angelis virtutis eius,in flamma ignis dantis vindictam iis,qui non nouerũt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis eius:cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis,& admirabilis fieri in omnibus qui crediderũt.*Sic D.Paulus. ¶ *Et ſanitas in pẽnis eius.*] Subaudi, erit, aut orietur timẽtibus nomen eius. Pennas autem ſeu,vt eſt in Hebraico,alas,appellat ipſos radios ſolares, in Metaphora perſiſtendo: imò nouam adiungendo. Sanitatem verò, abolitionem omnis morbi, & omnis mali. Quia ſicut ſol Oriens penetrat & illuminat omne illuminabile ſuis radiis:ſic Chriſtus oriens & apparens,penetrabit,& illuminabit, & recreabit omnes timentium eum perſonas, & omnem abolebit ipſorum morbum & defectum: implendo illud, quod ſub alia metaphora Ioel propheta dicit; *Per omnes riuos Iuda ibunt:nihilq́; manet non ſatiatum, non ſplendore & gloria repletum.* Si enim ſol apparens ſubitò radios & pennas ſeu alas ſuas expandit, ab oriente in occidentem, omnia illuminans & penetrans: quantò magis id faciet ſol iuſtitiæ? Ex quo intelligimus, quòd vſque ad illum diem non eſt integra ſanitas,etiam timentibus nomen eius: ſic nec integer morbus, negligentibus nomen eius. ¶ *Et egrediemini.*] ויצאתם de ſtatu imperfectionis,vt tãdem finem veſtrum

assequamini. Nam quamuis ante iudicij illius diem multi iam erũt beati, vt angeli, & homines beati: tamen vsque ad illum diem, aliquid expectant consummandum. Sic etiam Dominus de eisdem iustis ait Ioann. cap. 10. *Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.* Egrediuntur iusti, considerando aliorum miseriam: & ingrediuntur, videndo suam fœlicitatem. Et vtrobique pascua inueniunt, id est, materiam suæ recreationis & sustentationis: laudantes Deum, quòd per eius gratiam miseriam euaserunt, & gloriam consequuti sunt: Vnde etiam ait Isaias cap. vltimo: *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Cadauera enim damnatos appellat, quia nulla vita, id est, nullum gaudium erit eis. ¶ *Et salietis.*] id est, exultabitis prę gaudio & lætitia. ¶ *Sicut vituli de armento.*] Solent.n. vituli salire & exultare, atque huc illuc discurrere ludibundi. Heb. est ופשתם בעגלי מרבק hoc est, & crescetis, seu augescetis, sicut vituli saginarij, id est, qui in saginario inclusi saginantur. Ex quo constat, non esse sermonem de multiplicatione generationis & propagationis speciei, sed de augmento & cremento indiuidui. Vnusquisque enim sanctus in die iudicij aliquod incrementum suscipiet noui gaudij nouæque rationis gaudendi. Paraphrastes tamen transtulit, ותשלח vel, iuxta alia exemplaria, ותשולון hoc est, & saltabunt, exilient, subsilient, exultabunt. Hoc enim etiam significat Chaldæis verbum טיל Vnde quod Hiere. cap. 50. Et mugistis sicut

Ioan. 10.

Isai. vlt.

Hierem. 50.

tauri: pro quo in Hebraico est, ותצהלו id est, & exultabitis, Chaldæus habet, ותשׁולון & exultabitis. Quo loco etiã Hieremias dicit כי תפושו כעגלה דשה id est, Quoniam saltabitis tanquam vitula bene pasta, pro quo nos habemus, quoniam effusi estis sicut vituli super herbam. Chaldæus autem תרוצון כעגלי רבקא id est, & exultabunt tanquam vituli saginarij. Quare miror cur quidam in præsenti verterit, & augescetis: cùm Chaldaicum verbum שיל nusquam inueniatur id significare. Magis itaque probanda est versio Hieronymi, Et salietis, quæ etiam quadrat in loco illo Hieremiæ citato, quàm augescetis, aut, crescetis, vt Rabbini volunt. Quanquam R. Selomo interpretatur, pinguescetis, vt etiam in dicto loco Hieremiæ: Et R. Dauid ibidem exponit augescere carne & pinguitudine, vt non significetur hoc verbo multiplicatio speciei per ortum nouorum indiuiduorum, sed crementum indiuidui per ortũ alicuius rei accrescẽtis. Quod etiam quadrat proposito. Sancti enim in illo die augescentur per exortum noui & insoliti gaudij, vt pote ex toto in gloria cõsummati, & vtranque stolam adepti. ¶ *Et calcabitis impios,*] Eo modo quo calcantur vuæ, dum vinum exprimitur. Id enim propriè est ועסותם Hæc autem calcatio tunc erit, quando timentes Deum rapientur in aëra obuiam Christo, vt semper cum illo sint, relictis impiis in terra sub pedibus, quos de alto sua sententia prement: iuxta illud Domini: *Sedebitis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Sic etiam Apostolus loquitur, dicẽs: *Deus cõterat*

CHALD. *Inualuerunt coram me verba veſtra, dicit Dominus: quòd ſi dixeritis, quid multiplicauimus loqui coram te? Dixiſtis nihil lucratur, qui colit Dominum: Et quod mānion, ſeu quas diuitias adepti ſumus, quòd cuſtodierimus cuſtodiam verbi eius, & quod ambulauerimus cum ſummiſsione ſpiritus, à facie Domini exercituum? Et nunc nos laudamus impios: & ſtabiliti ſeu erecti ſunt facientes peccatum, etiam tentauerunt Dominum, & liberati ſunt.*

¶ *Inualuerunt.*] Videtur abruptus ſermo, nec cum ſuperiori vlla coniunctione connecti. Ante enim dixerat: reddite decimas & oblationes, quas debetis, & implebuntur areæ veſtræ frumento, & torcularia veſtra vino & oleo redundabunt, vt etiam per Ioel prophetam promiſerat cap. 2. & ſubiungit: inualuerunt ſuper me verba veſtra. Poteſt tamen hoc modo connecti. Ego moneo vos vt debitum obſequium Domino reddatis, recepturi pro eo præſens præmium. Sed fruſtrà laboro: quia vos impietate & infidelitate laboratis, non ſolùm apud vos exiſtimantes, ſed etiam foris pronunciantes, fruſtrà Deum coli. Ex quo intelligitur adhuc eos in eo errore & blaſphemia obdurari, cuius eos ſupra ad finem capitis tertij arguerat, dicens: laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis, in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis, omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu

Domini,

Domini,& tales ei placent:aut certè vbi est Deus iudicij? Quoniam igitur hanc blasphemam opinionem dictionémque nondum deposuerant, rursus eos increpat,& arguit, dicens : ¶ *Inualuerunt.*] id est, multiplicata sunt. Hebraicè חזקו multiplicando enim verba & clamores inualescunt, & robur quodammodo acquirunt. Vnde etiam in passione Domini dicitur: *Inualescebant voces eorum.* Luc.23. Hoc est,multiplicabantur & repetebantur. ¶ *Super me.*] id est, contra me. Nam idem verbum est Hebraicè, quod mox ponitur, vbi dicunt : Quid locuti sumus contra te? ¶ *Verba vestra.*] id est,blasphemiæ vestræ. Semper Iudæi hoc vitio laborarunt, hodiéque laborant,vt contra Deum obloquantur. ¶ *Vanus est qui seruit Deo.*] Heb.vanum est seruire Deo. Occasio huius blasphemiæ erat,quòd cernebant finitimas nationes idololatras,tamen rebus omnibus abundare: se autem Dei cultores, & legis ceremoniarum obseruatores, penuria laborare atque fame confici. Hi autem dupliciter peccabant:Primùm,quòd sibi Dei cultum arrogabant: cùm Dominus dicat:*Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Deinde, quòd cultum Dei vanum esse dicebant. Quod vel ex ipsa lege falsum ostenditur Deut.c.28. Sed qui Deo seruit, quo modo nō debet,hoc est,solo exteriori cultu, aut solùm propter temporalia bona, is profectò vanus & vanissimus est. Vnde Apostolus ait:*Si in hoc mūdo tantùm sperātes in Deo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* 1.Cor.1.Et Isai.1.ait:*ne offeratis vltra sacrificiū frustrà.* Quare

Luc.23.

Deut.28.

1.Cor.1.
Isai.1.

& Pharisæus ille, qui bis in sabbatho ieiunabat, decimas dabat omnium quæ possidebat, vanus à Domino iudicatus est. Quæ vanitas meritissimè Iudæis attribuitur: maximè post Christi priorem
Isai.19. aduentum, & passionem, quibus Isaias ait cap. 19. *Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur, &c.* Vides quàm graphicè præsentem Iudæorum statum ac cæcitatem describit. Vnde & Rabbi Dauid exponens hunc locum, ait: Peribit sapientia à sapientibus eius, &c. In exilio & in transmigratione, peribit sapientia eorum qui sunt sapientes: sed sapientia eorum ad malum ipsorum, & non ad bene agendum: sicut ait, sapientes sunt ad malefaciendum, & benefa-
Hierem. 4. cere nesciunt. Hierem. 4. Profectò enim Rabbini nunc Iudæorum, qui sapientes ipsorum habentur, sapientiam veram perdiderunt, negãtes Dominum Iesum Christum esse, sed ad malè agendum, & plebem despiciendam, sapientes sunt, hoc est, astuti & calidi, tanquam serpentis illius filij, qui primos parentes decepit. ¶ *Et quod emolumentum.*] id est, quæ vtilitas, subaudi, obuenit nobis. ¶ *Quia custodimus præcepta eius.*] Hebr. ¶ *Quia custodiuimus custodiam eius.*] id est, ea quæ ipse custodiri & seruari præcepit. In hoc autem mentiũtur: si enim custodissent, non sic blasphemassent. ¶ *Et quia ambulauimus tristes.*] Pœnitentiã

agendo,ieiunio,& cilicio. ¶ *Coram Domino.*] Vt qui in cóſpectu principis facinora præclara deſignant,vt eos promereantur,& fauorem,aut fiduciam,quam commendam vocant,indipiſcantur. Hebraicè eodem ſenſus eſt, מפני יהוה id eſt, à facie Domini,hoc eſt, propter Dominum,cauſa Domini. ¶ *Ergo nunc.*] quia videmus arrogantibus bene eſſe, quales ſunt Æthnici: modeſtis autem & humilibus,malè,quales ſumus nos:Hebraicè eſt,& nunc: ſubaudiendo,quando ſic iniquè nobiſcum agit Dominus. ¶ *Beatos dicimus.*] Hebraicè beatificamus, vt etiam loquitur Iacobus Apoſtolus cap. 5. dicens: *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt*, id eſt, beatos prædicamus. *Iacob.5.* ¶ *Arrogantes.*] Hebr. clarè dicitur זדים id eſt, ſuperbos, id eſt; qui prudentes & dedita opera, & quaſi ex contemptu peccant. ¶ *Si quidem ædificati ſunt.*] id eſt, creuit & aucta eſt ipſorum domus, & familia, tam filiorum, quàm rerum affluentia & copia. ¶ *Facientes impietatem.*] id eſt, impia facta,vt faciunt idololatræ. Occulto enim Dei iudicio fit,vt interdum in hoc mundo fortunati ſint impij, & abundantes: contra verò, pij pauperes,afflicti,egentes. Ex quo tamen intelligunt pij, non in hoc mundo ſuæ pietatis mercedem quærendam aut expectandam eſſe, ſed in alio. Hanc diuinæ diſpoſitionis apparentem inæqualitatem Hieremias admiratur cap. 12. dicens: *Quare via impiorum proſperatur,benè eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt? &c.* Nos autem cùm videamus Dominum Ieſum Chriſtum, in hoc mundo vſque ad mortem crucis,

Fortunati impij,pij verò afflicti,occulto Dei iudicio eſt.

Hoc facit bonos ad aliã vitam felicitatem expectare. Hierem. 12.

humiliatum & vexatum, laudemus diuinam dispositionem, nec impiorum successibus inuideamus, sed futuri sæculi statum semper præ oculis habeamus: vbi Lazarus in sinum Abrahæ recipitur, diues in infernum abripitur. ¶ *Et tentauerunt Deum.*] Hanc etiam specialem commemorat impietatem impiorum, quæ maxima habetur: quòd Deum tentant per derisum, dicentes: Videamus quid nobis potest facere. ¶ *Et salui facti sumus.*] id est, nullam pœnam tantæ blasphemiæ susceperunt, sed tanquam iusti & innocentes incolumes permanserunt, seu permanent. Quo modo etiam dicit Iob cap. 21. *Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatiq; diuitijs? &c.* Et concludit: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt,* hoc est, cùm vitam beatam vixerint, ne mortis quidem molestiam longo morbo decumbentes sentiunt.

Iob.21.

VVLG. *Tunc loquuti sunt timentes Deum, vnusquisque cum proximo suo: & attendit Dominus, & audiuit, & scriptus est liber monimenti coram eo, timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi, & conuertemini, &*

videbitis quid sit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo & non seruientem ei.

CHALD. *Tunc loquuti sunt qui timent Dominum, vir cum proximo suo: & auditum est coram Domino, & reuelatum est coram eo: & conscriptus est liber memoriarum coram eo, timentibus Dominum, & æstimantibus gloriam nominis eius. Et erunt coram me, ait Dominus exercituum, in die qua ego facturus sum peculium: & miserebor super eis, sicut miseretur vir super filium suum, seruientem ipsi. Et conuertemini, & videbitis inter iustos & impios, inter eos qui timent, seu colunt Dominum, & eos qui non timent, aut non colunt eum.*

¶ *Tunc loquuti sunt.*] Iuxta Hebræos, ita intelligendum est: illis de Dei iudicio blasphemãtibus, qui timent Deum ad inuicem sunt locuti: quòd retributio malorum, vel bonorum, non sit in præsenti & breui sæculo, sed in futuro & æterno, & quòd homo non possit Dei scire iudicia, & de illius æquitate ac iustitia disputare: & cætera, quæ debet iustus cum iusto loqui. Nec dixit, quæ sint loquuti, sed ex eo quod intulit: tunc loquuti sunt timentes Deum vnusquisque cum proximo suo, intelligere debemus ea locutos timentes Deum, quæ omnium scripturarum vocibus cõtinentur.

Sic D.Hieron.ad verbum. Vnde etiam R.Dauid ait: quoniam verba illa erant hominum, vias ac iudicia Dei non intelligentium, ea vbi dicta audierunt timentes, ab hominibus Dei prouidentiam circa res inferas negantibus, loquuti sunt vnusquisque cum alio, sæpè ac sæpius repetendo, in eisque persistendo, quousque in suo intellectu inuenerunt omnes vias eius iudicium esse, eúmque fidem, & omnis prauitatis expertem. Sic R. Dauid. ¶ *Tunc.*] Cùm blasphemi talia loquerentur, è cõtrario locuti sunt timentes Deum, id est, cultores Dei. ¶ *Vnusquisque.*] Hebr. vir. Sed nomen vir Hebræis sæpe significat vnusquisque. ¶ *Cum proximo suo.*] id est, cum alio cultore Dei. Loquuti sunt autem atque dixerunt, imò beati sunt, qui seruiunt Domino, multúmque emolumentum ac lucrum est seruantibus mãdata eius: non seruientes autem, infœlices sunt, & maximum sibi acquirunt damnum & detrimentum: sed id postea videbitur: nunc latet. ¶ *Et attendit Dominus.*] id est, piorum verbis aurem accommodauit, id est, ea grata & accepta habuit: sicut impiorum, ingrata & molesta. ¶ *Et audiuit.*] Tam piorum, quàm impiorum verba. ¶ *Et scriptus est liber monimenti coram eo timentibus Dominum.*] id est, timentibus eum. Nam pro relatiuo solent repetere antecedens. Hoc est, verba cultorum Dei scripturæ mandata sunt, ad æternam memoriam, vt suo tempore præmium ac mercedem suscipiant, & est sermo metaphoricus. Liber enim & scriptura significant ipsam Dei memoriam, nullius neque meriti, neque demeriti obliuiscentis,

Liber & scriptura Dei notitiam significant.

ſed omnia ad futurum iudicium reſeruantis: vbi etiam de ocioſo verbo ratio reddenda eſt. ¶ *Timentibus eum.*] id eſt, ad gloriam timentium eum. Intellige etiam blaſphemantibus eum; id eſt, ad ignominiam & confuſionem ipſorum. ¶ *Et cogitantibus nomen eius.*] id eſt, qui nomen, & gloriam ac honorem eius aſsiduè cogitant; & in mente habent & pro eo ſeſe blaſphemis obiiciunt. Vel, cogitantibus, id eſt, æſtimantibus, magnifacientibus, id eſt, reputantibus. R. Abraham timentes Dominum, interpretatur iuſtos. Cogitantes autem nomen Domini, ſapientes corde, & peritos myſteriorum Dei. ¶ *Et erunt mihi.*] Qui ſum verus & incorruptus iudex: Erunt, inquam, mihi timentes me, & nomen meũ cogitantes. ¶ *In peculium.*] Hebr. non eſt præpoſitio, *in*, ſed nominatiuus peculium, id eſt; res peculiaris, propria, ac proinde chara. Peculium Hebr. eſt סגלה quod etiam quidam interpretantur theſaurum. ¶ *In die qua ego facio.*] id eſt, fecero, ſubaudi, iudicium. Luſitanè dicimus, *quando vier aminha.* Sic Pſalmus 118. ¶ *Tempus faciendi Domine.*] id eſt, iudicij exercendi. Quanuis, inquit, in hoc ſæculo cultores mei videantur miſeri, impij autem beati, tamen in alio contra videbitur, atque contra erit: iuxta illud: *tunc fulgebunt iuſti.* ¶ *Et parcam eis.*] Verbum Hebraic. חמל pluſquam parcere ſignificat, hoc eſt, miſereri, miſericordia commoueri. Quomodo redditur Hier. cap. 15. Hier. 15.
Quis miſerebitur tui Hieruſalem? Et Exod. 2. de filia Exod. 2.
Pharaonis vidente puerum vagientem, & miſerta eius, &c. Luſitanè, *auer ou ter doó, compaixam, pie*

dade. Eſt ergo ſenſus, licet videar cultores meos negligere, dum in hoc ſæculo ab impiis vexãtur: ego tamen eos, tanquã filios chariſſimos habeo, & cùm maximè crudelis videor in relinquendo corpora pati, tunc vel maximè miſereor, & propitius pater ſum. Sic etiam accipitur verbum parcendi, vbi Apoſtolus ait: *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* Ait ergo, ¶ *Et parcam eis.*] id eſt, miſerebor eorum, nõ ſolùm in futuro ſæculo, ſed etiam in præſenti: ſicut pater filij miſeretur, cùm eum permittit à chirurgo ſecari. Non enim id ex crudelitate aut negligentia facit, ſed ex pietate & prouidẽtia. ¶ *Sicut parcit.*] id eſt, vnuſquiſque. ¶ *Filio ſuo ſeruienti ſibi.*] Id eſt filio morigero & obſequenti. In quo duplex eſt amoris ratio: Nam & extraneos obſequioſos amamus, & filios etiam immorigeros odio habemus: ſed morigerum & obediẽtem filium nemo eſt qui non amet. Sic igitur, & Deus filios ſuos & ſeruientes ſibi, amore proſequitur, quamuis eos in hoc mundo ſecari & cruciari permittat. Quòd autem dixi, Miſerebor eorum, non ſolùm in futuro ſæculo: non eò dico, quòd in futuro ſæculo miſeria vlla, aut malum vllum iuſtis futurum ſit, cuius ergo Deus ipſorum pater, ipſorũ miſereatur: ſed quia tunc maximè apparebit eximius ille paternus affectus, quo filios chariſſimos proſequitur: qui magis cernitur, vbi filij morbum per cruciatum euaſerunt, quàm dum cruciarentur. In cruciatu enim eſt amor paternus, cum dolore: in ſanitate recuperata, etiam cum gaudio. ¶ *Et conuertemini.*] Notare debes morem eſſe Hebraicæ

Rom. 8.

Amor paternus in cruciatu cũ dolore, in ſanitate cum gaudio.

linguæ

linguæ apud prophetas, vt à tertia persona transeant ad secundam, & à secunda ad tertiam in eodem sermonis contextu: vt hoc loco, cùm dixisset: Et erunt mihi &c. Videretúrque dicendum: Et conuertentur, ait: Et conuertimini, id est, & transmutabimini de statu afflictionis ad statum gloriæ: quæ est mutatio & conuersio dexteræ excelsi, Et est consolatio iustorum in hoc sæculo afflictorum: iuxta illud Domini: *tristitia vestra in gaudium conuertetur, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Quod è contrario continget impiis, quorum gaudium in tristitiam cõuertetur, quam tristitiam nemo tollet ab eis. ¶ *Et videbitis quid intersit inter iustum & impium.*] Vos iusti, qui nunc experimento non videtis, quid intersit inter iustum & impium, imò videtis iustum affligi, impium voluptatibus perfrui: tunc videbitis, quantum inter vtrumque intersit, videlicet quantum interest inter pręceptionem regni, & itionem in ignem æternum. Quo modo intelligendo, sermo dirigitur ad cultores Dei. Si autem ad blasphemos & impios dirigatur: sensus est: Et conuertemini, id est, si conuertamini, videbitis quid intersit inter iustum & impium, nec amplius dicetis: vanus est qui timet Dominum. Nec illud capitis secundi: omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini; Ab hac enim opinione discedẽt tam boni, quàm mali, in die iudicij, iuxta illud: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: quod dicent impij. At in præsenti sæculo ab ea opinione solùm discedunt, qui ex impiis per Christi gratiam fiunt pij. Nam hi etiam in hoc

ſæculo intelligunt multum inter pios & impios diſcrimen eſſe, id eſt, inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem Deo, ſed ſuo ventri, aut ſuo honori, aut denique ſibi ipſi.

CAPVT IIII.

EDITIO VVLGATA.

ECce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: Et erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen.

EDITIO CHALDAICA.

Quoniam ecce dies venit ardens ſicut clibanus: & erunt omnes impij, & omnes facientes peccatum, debiles ſicut ſtipula, & lambet eos dies ille qui venit, ait Dominus exercituum: qui non relinquet eis filium, neque filium filij, id eſt, nec nepotem.

¶ *Ecce enim.*] Cum ſuperiori coniungitur: Dixerat enim futurum, quando cognoſcendum ſit piorum, impiorumque diſcrimen: Id nunc explicat,

plicat,dicens. ¶ *Ecce enim dies veniet.*] Hebraicè præsentis temporis est,dies venit, vt maior timor incutiatur. Venit enim reuera & appropinquat in dies magis ille dies iudicij, qui sanctis lux erit: iniquis, tenebræ. Vnde Dominus ait, *leuate capita vestra quia appropinquat redemptio vestra.* ¶ *Succensa quasi caminus.*] tum quia orbis conflagratio, iudicium proximè præcedet,quo igne omnes impij, qui viui reperientur,consumentur,& interibunt ante mortuorum generalem resurrectionem: tum etiam quia post iudicium, iidem impij in ignem mittentur æternum. Itaque non est hoc loco metaphora ignis, sed proprietas & veritas. ¶ *Quasi caminus.*] Quia in camino seu fornace propter densitatem flammæ, ignis est vehementior. Sic ignis ille quo orbis terrarum conflagrabit, & purgabitur, vehemētissimus erit:adeò vt etiam lapides, & aurum, & omnia metalla consumpturus sit, & ipsum etiam mare feruefacturus,vt omnes pisces dissoluantur & consumantur,ita vt nulla res mixta remaneat præter humana corpora, sed sola simplicia mundi elementa. ¶ *Et erunt omnes superbi,& omnes facientes impietatem, stipula.*] Hoc est, tam facilè corripientur & consumentur ab illo igne vehementissimo,ac si essent stipula. Hoc loco libet adscribere verba D.Thomæ circa hanc materiam. Sic igitur ait:ignis ille quantum pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in bonos & in malos,qui viui reperientur,vtrorúnque corpora in cinerem resoluendo; in quantum verò agit vt instrumētum diuinæ iustitiæ, diuer-

simodè

ſimodò aget in diuerſos, quantum ad pœnã ſenſuum. Mali enim, per actionem ignis cruciabuntur, boni verò, in quibus nihil purgandum inuenietur, omnino nullum dolorẽ ſentient ex igne: vt nec pueri ſenſerunt in camino ignis. Dan. 3. quamuis eorum corpora non ſeruentur integra, ſicut puerorum ſeruata fuerunt. Et hoc diuina virtute fieri poterit, vt ſinè doloris cruciatu, reſolutionem corporũ patiantur. Boni verò, in quibus aliquid purgandum reperietur, ſentient cruciatum doloris ex illo igne, plus vel minus, pro meritorum diuerſitate: Sic D. Thom. in 4.d.47. art.3 quæſt. 2. Et in additionibus ad tertiam partem quæſt.76.art.8 Si quis autem defendere voluerit bonos, qui tunc reperti fuerint, non morituros, vt apud Soto.in 4.dig.43. art. 4. & aliqui defendunt, dicet eos in medio ignis illæſos permanſuros, virtute diuina, quod credibilius etiam eſt, quamuis vt combuſti non doleãt: & ſanè propheta de ſolis impiis loquitur, quoad ignem, eóſque à piis in eo ſeparat: ſignificans pios ab illo igne nihil eſſe paſſuros. ¶ *Et inflammabit eos.*] ולהט אותם Id eſt, ita comburet, vt flamma ex ipſis excitetur. ¶ *Dies veniens.*] Id eſt, ignis in die illo, qui quotidie venit & appropinquat. ¶ *Quæ non relinquet eis radicem.*] Id eſt, aliquid vnde aliud germinare aut oriri poſſit. Vno verbo ſtatum mundi deſcripſit, poſt finale iudiciũ. Tunc enim ceſſante motu cæli, omnis ceſſabit rerum viciſſitudo: nec hyẽs æſtati, nec æſtas hyemi ſuccedet: nec generatio alicuius rei erit, neque corruptio. ¶ *Et germen.*] Hebraicè, & ramum: ex

An boni in die Iudicij aliquid ab igne ſint paſſuri etiam abſque dolore.

Omniũ rerũ viciſsitudo ceſſabit ceſſante motu cæli, nec generatio nec corruptio erit.

radice enim rami procedunt, hoc eſt, nihil iam naſcetur aut pullulabit. Eſt autē metaphora,qua homo arbori comparatur, cuius quandiu radix viuit, ramos facit: vbi autem radix exaruit, non amplius ramos aut pullos producit. Paraphraſtes quem ſequitur R.Dauid, exponit:non relinquet eis filios & nepotes. Et eſt idem ſenſus, quòd, videlicet, poſt vltimum iudicium non amplius aliquis homo naſcetur. Hoc autem non ſolùm in impiis verum erit, ſed etiam in ſanctis: iuxta illud Domini. Matth.22. *In regeneratione non nubent, neque nubentur*: ſed idcirco de impiis hoc dixit priuatim, quia carnalium filiorum fertilitate lætantur, vt non indicet hanc etiam lætitiam illis tunc defuturam. Quo loco, non video qua ratione Iudæi poſſent ſe tueri, putantes poſt diem iudicij, homines in æternum eſſe ſuper terra manſuros, & generationi operam daturos. Matth.22.

VVLG. *Et orietur vobis timentibus nomen meum, ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli dearmento. Et calcabitis impios cùm fuerint cinis, ſub planta pedum veſtrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.*

CHALD. *Et orietur vobis qui timetis nomen meum, ſol puritatis, & ſanitas in alis*

eius & exibitis, & exaltabimini, vel & incendetis quasi vituli saginati, & conculcabitis impios cùm fuerint cinis sub solo pedum vestrorum: in die qua ego facio, ait Dominus exercituum.

¶ *Et orietur vobis.*] Supra dixit de pœna & interitu impiorum, nunc de præmio iustorum. ¶ *Timentibus nomen meum.*] Omnes virtutes timoris nomine complectitur. Timor verò Domini intelligitur reuerentia, cultus, & religio. Qui enim verè Deum timet, & colit & reueretur, ab omnibus se abstinet, quæ Deo displicent. ¶ *Sol iustitiæ.*] Id est, Christus, qui vera omnia iudicabit, & nec bona nec mala, nec virtutes nec vitia
1.Cor.4. latere patietur: iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo, &c.* Appellauit etiam Christum solem, ad significandum gaudium electorum de conspectu eius: quemadmodum qui in tenebris sunt, exoptant lucem, ortum & conspectum solis. Dicitur autem sol iustitiæ, quia ipse author est iustitiæ, & meritorum nostrorum. Dicitur etiã orietur: non quòd tunc nasciturus sit, quasi antea non fuerit, sed orietur, id est, apparebit, qui nunc in cælo latet, sicut sol materialis sub horizonte latet. Vnde etiam ipse eius aduentus ἐπιφάνεια, id est, apparitio appellatur. 1. Tim. 6. vbi ait: *serues manda-*
1.6.Tim. *tum vsque in aduentum Domini: Græcè μέχρι τῆς ἐπι-*

φανείας

φανείας, & reuelatio, id eſt, ἀποκάλυψις. 2. Theſſ. cap.1.vbi ait; *Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem, nobiſcum, in reuelatione Domini Ieſu de cœlo, cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerũt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis eius: cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderũt.* Sic D. Paulus. ¶ *Et ſanitas in pẽnis eius.*] Subaudi, erit, aut orietur timẽtibus nomen eius. Pennas autem ſeu, vt eſt in Hebraico, alas, appellat ipſos radios ſolares, in Metaphora perſiſtendo: imò nouam adiungendo. Sanitatem verò, abolitionem omnis morbi, & omnis mali. Quia ſicut ſol Oriens penetrat & illuminat omne illuminabile ſuis radiis: ſic Chriſtus oriens & apparens, penetrabit, & illuminabit, & recreabit omnes timentium eum perſonas, & omnem abolebit ipſorum morbum & defectum: implendo illud, quod ſub alia metaphora Ioel propheta dicit; *Per omnes riuos Iuda ibunt: nihilq́; manet non ſatiatum, non ſplendore & gloria repletum.* Si enim ſol apparens ſubitò radios & pennas ſeu alas ſuas expandit, ab oriente in occidentem, omnia illuminans & penetrans: quantò magis id faciet ſol iuſtitiæ? Ex quo intelligimus, quòd vſque ad illum diem non eſt integra ſanitas, etiam timentibus nomen eius: ſic nec integer morbus, negligentibus nomen eius. ¶ *Et egrediemini.*] ויצאתם de ſtatu imperfectionis, vt tãdem finem veſtrum

tauri: pro quo in Hebraico est, ותצהלו id est, & exultabitis, Chaldæus habet, ותשולון & exultabitis. Quo loco etiã Hieremias dicit כי תפושו כעגלה דשה id est, Quoniam saltabitis tanquam vitula bene pasta, pro quo nos habemus, quoniam effusi estis sicut vituli super herbam. Chaldæus autem תדוצון כעגלי רבקא id est, & exultabunt tanquam vituli saginarij. Quare miror cur quidam in præsenti verterit, & augescetis: cùm Chaldaicum verbum טיל nusquam inueniatur id significare. Magis itaque probanda est versio Hieronymi, Et salietis, quæ etiam quadrat in loco illo Hieremiæ citato, quàm augescetis, aut, crescetis, vt Rabbini volunt. Quanquam R. Selomo interpretatur, pinguescetis, vt etiam in dicto loco Hieremiæ: Et R. Dauid ibidem exponit augescere carne & pinguitudine, vt non significetur hoc verbo multiplicatio speciei per ortum nouorum indiuiduorum, sed crementum indiuidui per ortũ alicuius rei accrescẽtis. Quod etiam quadrat proposito. Sancti enim in illo die augescentur per exortum noui & insoliti gaudij, vt pote ex toto in gloria cõsummati, & vtranque stolam adepti. ¶ *Et calcabitis impios,*] Eo modo quo calcantur vuæ, dum vinum exprimitur. Id enim propriè est ועסותם Hæc autem calcatio tunc erit, quando timentes Deum rapientur in aëra obuiam Christo, vt semper cum illo sint, relictis impiis in terra sub pedibus, quos de alto sua sententia prement: iuxta illud Domini: *Sedebitis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Sic etiam Apostolus loquitur, dicẽs: *Deus cõterat*

Rom. 16. *Satanam sub pedibus vestris velociter.* Ad Rom. 16. Et est sensus: In hoc quidem sæculo sæpe fit, vt impij calcent, & opprimant pios: sed in futuro, contra erit. ¶ *Cùm fuerint cinis.*] hoc est, quando erunt viles & abiecti. Cinis enim in scriptura, aut puluis, pro re vili accipitur & abiecta. Vnde Abraham se agnoscebat & fatebatur puluerem & cinerem. Gen. 18. Et in Psalmo primo, impij in die iudicii pulueri similes futuri dicuntur. Nihil autem vilius impiis damnatis, nec abiectius potest cogitari: quare etiam in infimum orbis locum abiicientur, tanquam in orbis sentinam & sterquilinium. ¶ *Sub planta pedũ vestrorum.*] quia re vera impii subtus erũt; non solùm meritis, sed etiam loco. ¶ *In die qua ego facio.*] id est, qua ego iudicium exerceo, qui interim conniuere & dissimulare videor. Et ait, facio, non, facturus sum, vt intelligamus diem illum instare, & tanquam præsentem esse. ¶ *Dicit Dominus exercituum.*] Qui in Euangelio ait: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Cinis & puluis in scriptura pro re vili & abiecta.

Genes. 18.

VVLG. *Mementote legis Moysi, serui mei: quam mandaui ei in Horeb, ad omnem Israel, præcepta & iudicia: Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrũ ad filios, & cor filiorum ad patres*

eorum

eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.

CHALD. *Mementote legis Mosi serui mei: quam præcepi ei in Horeb super omnem Israel, vt doceret eos pacta & iudicia. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies qui venturus est à Domino, magnus & terribilis, & reducet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipsorum, ne fortè reueler seu appareeam & inueniam omnem terram in peccato suo, & delea meam, seu percutiam eam excidio.*

¶ *Mementote legis Moysi serui mei.*] Notandum quòd hoc dixit Propheta Iudæis initio templi secundi, quod durauit annos viginti supra quadringentos. Quo tempore tenebantur legem Dei atque Mosi seruare, etiam ad literam, vsque ad promulgationem legis nouæ, per Christum conditæ, de qua dixit Isai. cap. 2. *De Sion exibit lex & verbum Domini de Hierusalem.* Et Hierem. cap. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel, post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, &c.* Quoniam igitur videbat eos

Isai. 2.

Hierem. 31.

hanc priorẽ partẽ penitus lex cessauit ipsis etiam inuitis cernentibus Iudæis. Rursus Rabbinus relatiuum (quam præcepi) exponit per particulam similitudinis, idque ipsemet ponderat, dicens seruandam esse legem, sicut eam præcepit Moses, id est, vt sonat, seu in sensu literali & non spiritualiter, vt dicunt Christiani. Sed impostor est: nec enim in Hebraico scriptum est, כאשר id est, sicut: sed אשר id est, quam. Nos autem dicimus legem Mosi vsque ad Christum, & legem eius nouam, seruandam fuisse etiam ad literam: sed post legem Christi promulgatã, illicitum esse & impium eam ad literam obseruare, quantùm ad præcepta ceremonialia: & quantùm ad eiusmodi pręcepta, multo perfectius eam à Christianis spiritualiter adimpleri. Moralia autem præcepta in omni tempore seruanda sunt: quia non propriè ad Mosi legem pertinent, sed ad legem diuinam naturalem. Iudicialium quoque præceptorum obligatio per Christum cessauit. Quare non est quòd nobis Rabbinus hunc versum obiiciat, qui contra nos nihil facit. ¶ *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.*] Elias propheta curru igneo in cælum sublatus est, id est, in aërem, reseruatúsque, vt gloriosum Messiæ aduentum præueniat. 4. Reg. 2. De quo etiam Dominus ait Matth. 17. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Quoniam Iudæi post Malachiam nullum amplius prophetam, qui de Christi aduentu aliquid diceret, habuerunt: nec Ioanni prophetæ, & plusquam Prophetæ, ipsum digito indicanti, cre-

4. Reg. 2. Matth. 17. Post Malachiã nullus propheta apud Iudæos qui de Christo loqueretur.

dere voluerunt: quinetiam ipſius Chriſti Apoſtolos & diſcipulos contempſerunt: de quibus dixit: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, &c.* Pius tamen ac benignus Dominus tanta infidelitate non offenſus, tandem illis mittet Eliam prophetam, vt impleatur illud Iſaiæ cap. 10. *In die illa non adyciet reſiduum Iſrael, & hi qui fugerint de domo Iacob inniti ſuper eo qui percutit eos: ſed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſrael, in veritate. Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob, ad Dominum fortem, &c.* Quanquam ſcio hunc locum ad alia etiam tempora referri poſſe. Atque nota, quòd continget Iudęis id quod Ruſticis ſolet: Hi enim ſi quando ſimultates inter ſe & inimicitias gerunt, viros nobiles & magnos reconciliare ipſos ſtudentes, contemnunt: alios autem inferioris ordinis audiunt, & admittunt. Sic Iudæi Dominum ipſum Chriſtum, & eius Apoſtolos, tot tantíſque miraculis inſignes abiecerunt, Eliam, multò inferiorem recipient. ¶ *Antequam veniat dies Domini magnus.*] Quia nulla ei nox ſuccedet: Vel magnus: quia rerũ maximarum initium erit, tam piis, quàm impiis. ¶ *Et horribilis.*] Impiis. Quanquam ipſi etiam pij in ſolitum quendam motum animorum ſentient: non tanquam incerti de ſua ſalute, ſed præ magnitudine gloriæ & maieſtatis ipſius Iudicis: quando, vt Petrus ait, *iuſtus vix ſaluabitur.* Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Hoc erit munus, hoc officium, hæc

Iſai. 10.

Quomodo Iudæi inferiorẽ Chriſto audiẽt, Chriſtũ verò Dominum non receperunt.

vtilitas aduentus Eliæ.Hæc autem verba alij aliter interpretantur.R.Dauid hoc modo:Ipſe Elias admonebit, & exhortabitur patres & filios pariter, vt reuertantur in toto corde ad Deum:Et qui reuerſi fuerint,liberabũtur à die iudicij. Et id eſt, quod ait,& conuertet cor patrum ad filios,id eſt, cum filiis.Et conſimiliter, cor filiorum ad patres eorum, id eſt, cum patribus eorum : quaſi dicat: Patres & filios ſimul.Sic R.Dauid ad verbum.Et nota,quòd particula על quam Hier.vertit,*ad*,ſæpe ſumitur pro,*cum*: quomodo etiã Exod.ca.35. verſa eſt,vbi dicitur:*viri cum mulierib. præbuerunt.* Et ſæpè aliàs : vt probat idem Rabbinus in ſuo libro radicum,id eſt, lexico. Atque ea expoſitio non eſt contemnenda.Nota igitur eam aduersùs Iudæos. Ait igitur : Elias conuertet tam patres quàm filios,eóſque exhortabitur vt reuertantur, ſeu conuertantur ad Deum in toto corde, antequam veniat dies iudicij.Ex quo manifeſtè intelligitur, quòd Iudæi nunc, & toto tempore ante illum diem iudicij,ſunt corde auerſi à Deo,idque omnes ad vnum. Quæ auerſio maximè cernitur in ipſorum infidelitate, qua recipere nolunt Dominum Ieſum Chriſtum, tot ſignis & miraculis declaratum.Quod verò ait:cõuertet cor patrum cum filiis,id eſt,cum corde filiorum,hoc eſt,conuertet cor tam patrum,quàm filiorum:hoc ſignificat,quòd non dicent amplius id quod nunc dicunt:Iudæus fuit pater meus, Iudæus ero & ego: ſed, Chriſtianus factus eſt pater meus, Chriſtianus fiam & ego:nec amplius pater filium docebit vt ſit Iudæus,ſed vt Iudaiſmo relicto ad Chriſtia-

Al, pro ad & cum.
Exod.35.

huius dicitur Mich. c. 7. *Filius cõtumeliam facit patri, & filia cõsurget aduersùs matrẽ suã, nurus aduersùs socrum suam, & inimici hominis, domestici eius: sederunt omnes cor vnum, seu cordis vnius ad reuertendum ad Dominũ, tam patres quàm filij, antequam veniat dies ille magnus.* Sic R. Abraham. D. Hieronymus ita hunc locũ enarrat, vt vix capere possim quid velit: sic enim habet: Antequam veniat dies iudicij, mittet Dominus in Elia omnem prophetarum chorum; hoc nescio quid sit. Solus enim Elias mittendus creditur: sequitur: qui conuertat cor patrum ad filios: Abraham videlicet, & Isaac, & Iacob, & omnium Patriarcharum: vt credant posteri eorum in Dominum saluatorem in quem & illi crediderunt. Hoc rursum non percipio. Quomodo enim Elias cõuertet cor Abráhæ & omnium patriarcharum? non enim conuertitur, nisi id quod auersum est. At cor patriarcharum non est auersum à Deo. Nisi dicas, quòd est auersum à filiis & posteris ipsorum, qui nũc sunt infideles: tunc autem reuertetur ad eos, vt eos diligat iam fideles. Sed talis conuersio cordis patriarcharum iam beatorum, non video quo modo Eliæ tribui possit. Ait enim scriptura, quòd ipse Elias conuertet cor patrum ad filios. Nisi dicas, quòd conuertendo cor filiorum ad patres, id est, vt recipiant fidem patriarcharũ, quodammodo etiam conuertit cor patrum ad filios, vt eos amore prosequantur, quos antea propter infidelitatem odio habebant. Sequitur, Et cor filiorum ad patres eorum, vt Iudæi & Christiani, qui nunc inter se discrepant, pari in Christum Mich. 7.

religione consentiant. Vnde dicitur ad Apostolos: *pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Psal. 44. Hîc etiam non intelligo, vtros patres intelligat, aut filios: Iudæos ne Christianorum esse patres, an contra, Christianos Iudæorum. Si enim intelliguntur Christiani esse filij, & Abrahã & alij patriarchæ patres: quomodo nam Elias conuertet cor Christianorũ ad Patriarchas? cùm cor Christianorum non sit auersum à corde & fide Patriarcharum. Si verò Christiani intelligantur esse patres, quonam modo intelligi possunt patres esse Patriarcharum? Mihi certè non videtur fieri mentio de Iudæis & Christianis, vt alterutri alterorum dicantur vel filij, vel parentes. Sed intelligi filios & parentes carnales, siue Iudæorum, siue ethnicorum, de fide inter sese dissidentes: quod dissidium per Eliam componetur. Denique adiungit Hier. Iudæi & Iudaizantes hæretici ante ἠλειμμένον suum, Eliam putant esse venturum & restituturum omnia. Vnde & Christo in Euangelio proponitur quæstio; *quid, quod Pharisæi dicunt quòd Elias venturus est?* Quibus ille respondit: *Elias quidem veniet: & si creditis iam venit,* in Elia Ioannem intelligens. Sic D. Hieron. Fortè Hieronymus Iudæos & Iudaizãtes appellat eos, qui existimant Christũ nondum venisse, eò quòd Elias, qui eius aduentum præuenturus dicitur, nondum venerit. Non tamen negat, vt arbitror, quin Elias re vera ante secundum & vltimum Christi aduentum venturus sit, iuxta hanc Malachiæ prophetiam. Quæ est omnium sanctorum fides. ¶ *Ne fortè veniam & percutiam terram ana-*

thema

themate.] Ideò præmittam Eliam ante aduẽtum meum ad iudicium, vt conuertat omnes ad veram religionem & fidem:ne fortè veniam, id eſt, cùm venero, percutiam terram, id eſt, homines infideles & terræ amatores. Anathemate, id eſt, internitione & excidio omnes pariter ad Gehennam condemnando. Sed per Eliæ aduentum & prædicationem multi conuertantur & ſaluentur. Vnus etiam Dominus dicebat: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas mulotrum*, Matth. 24. *Et filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Luc. 18. Ex quo conſtat, quòd multi non recipient prædicationem Eliæ, ſed in ſua infidelitate perdurabunt. Vnde etiam R. Dauid. in ſua expoſitione dicit, Et qui reuerſi, ſeu conuerſi fuerint, liberabuntur à die iudicij, ideſt, non condemnabuntur. Iudæorum tamen maxima pars conuertetur. Et quoniam non ſtatim poſt aduentum Eliæ veniet orbis conſummatio, iterum reuertentur homines ad voluptates & curas huius ſæculi, vt impleatur illud eiuſdem Domini, Mat. 24. *Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis.* Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium & ſuſtulit omnes; ita erit & aduentus filii hominis. Anathemate. vox græca eſt anathema Sed quoniam ex hebraico tranſlatum eſt, videnda eſt hebraica ſignificatio. Id autem eſt חרם quod quidem ſignificat ſagenam, vel rete, ſiue quo inuoluuntur & capiuntur piſces, quam Lu-

Matth. 24.

Luc. 18.

Matth. 24.

Anathema origine Græca vox.

ſitani

huic expoſitioni congruit id quod in multis locis ſcripturæ ſignificant & præmonent, vt parati ſimus, ne nos rete illud imparatos occupet, ſicut aues & piſces nihil tale timentes, reti inuoluuntur & concluduntur. Vnde Dominus dixit; *Eſtote parati, quia qua hora nõ putatis filius hominis veniet.* Vis autem ſcire quàm paruula morula tibi dabitur? Memor eſto vxoris Lot, Cùm retro ceruicem flexiſſet, ſpacium non habuit caput in viam reflectere, ſed obtorto capite in ſalis ſtatuam conuerſa eſt. Et quidem, cùm caput retro vertit, nihil tale cogitabat. Subitò obriguit: ſubitò ſuper eam rete diuini iudicii expanſum aut reuolutum eſt. Aliud huius vocis ſignificatum eſt, occiſio, internetio, excidiũ, perditio, deſtructio. Et hoc ſignificatum expreſſit D. Hier. Græca voce anathemate. Quæ vox, ἀνάθεμα in ſacris literis ſignificat, vel rem perditioni & internecioni, atque interitui obnoxiam & damnatã, vt interimatur, perdatur, deſtruatur & pereat: vel ipſum excidium, interitum, perditionẽ & internecionem, Cuius multa ſunt in ſacris literis teſtimonia. Et iuxta hoc ſignificatum, notandum eſt, duplex eſſe anathema, hoc eſt, interitũ, aut rem interitu damnatam. Aut enim eſt interitus ſolius corporis, aut corporis ſimul & animæ. De quo vtroque Dominus ait Matth. cap. 10. *Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in Gehennam.* Et de hoc poſteriori intelligitur præſens locus. Non enim ab interitu corporis, per mortem temporalem Elias homines liberaturus eſt:

Duplex anathema ſolius corporis & interim ſimul & animæ.
Matth. 10.

qui

Alterum esse hunc Eliam ab illo magno Elia, manifestum fit ex eo, quòd tempore Iosaphat patris istius Ioram, Elisæus florebat, Elia iam rapto in cælum, vt clarè patet 4.Reg.3. Sic Cardinalis. Vtraque opinio probabilis videtur: vt enim in resurrectione Domini multi defuncti surrexerunt, & apparuerunt multis: sic etiam per diuinam dispensationem credi potest fecisse Eliam. R. Dauid etiam in hoc loco ait, exponendo illud, mittam vobis Eliam: sensus est, quòd reducet spiritum eius qui ascenderat in cælum, ad corpus creatum, instar corporis eius prioris. Nam corpus eius prius conuersum est, seu rediit in terram in ascensu eius, vnumquodque elementum in elementum suum. Et postquam vixerit in corpore, mittet eum ad Israel, ante diem iudicij. Et qui non receperint eius monitus, consumentur in deserto populorum, vel in die iudicij in terra Israel. Qui verò eius monitionibus paruerint, fulgebunt sicut fulgor firmamenti, & qui multos iustificauerint, sicut stellæ in sæculum & in æternum. Sic R. Dauid. Qui clarè dicit Eliam esse defunctum. Quod verò ait de consumendis in deserto populorum, alludit ad locum Ezech.ca.20. vbi dicitur; *Et adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi.* Quem locum malè Rabbini interpretantur. D. Thomas in 1. part. quæst. 102. art. 2. ad 3. Sentit Eliam habitare in paradiso terrestri: non tamen id asserit, sed addit, vt dicitur: & eodem modo loquitur in 3. part. quæst. 49. art. 5. ad 2. dicens: Elias subleuatus est in cælum aërium, non autem in empyreum: simi-

Elias an aliquando apparuerit post raptũ eius.

Ezech.20.

liter etiam Enoch raptus eſt ad paradiſum terreſtrem, vbi cum Elia ſimul creditur viuere, vſque ad aduentum Antichriſti. Sic Thomas. In ſecundo autem ſententiarum diſt. 29. quæſt. 1. artic. 5. ad 4 conſimiliter ait, credi Eliam & Enoch auxilio ligni vitæ tamdiu viuere. D. Hieronymus, quòd in præſenti ambiguè de Elia dicere videtur, etiã in Matth cap. 17. ait Eliam venturũ, ipſe qui venturus eſt in ſecundo ſaluatoris aduentu, iuxta corporis fidem: nunc per Ioannem venit in virtute & ſpiritu. Quod ait, iuxta corporis fidem, videtur ſignificare in própria perſona. Quomodo clarius dixiſſet. Idem ibidem cap. 11. hoc modo ſcribit: Sunt qui propterea Ioãnem Eliam vocari putant, quòd quomodo in ſecundo ſaluatoris aduentu, iuxta Malachiam, præceſſurus eſt Elias, & venturum iudicem nũtiaturus: ſic Ioannes in primo aduentu fecerit, & vterque ſit nuntius vel primi aduentus Domini, vel ſecundi. Idem in epiſtola ad Pammachium, aduersùs errores Ioannis Hieroſolymitani, ait hoc modo: Elias carneus raptus eſt in cælum: nec dum mortuus, & paradiſi iam colonus habet mẽbra cum quibus raptus eſt, atque tranſlatus. Quod nos imitamur ieiunio, ille poſſidet Dei conſortio: Veſcitur cæleſti pane, & ſaturatur omni verbo Dei: eundem habens Dominum, quem & cibum. Sentit ſola Dei contemplatione Eliam ſuſtentari, vt olim Moſes in monte. Et non multo poſt: Enoch & Elias tanto tempore in eadem permanent ætate, qua rapti ſunt: habent dentes, ventrem, & genitalia: & tamẽ nec cibis, nec vxoribus

indigent.

indigent. Sic Hier. apertè sentit Eliam viuere, nec cibo corporali vti. D. Aug. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 29. cōsimiliter ait: per hunc Eliam magnum, mirabilémque prophetam, & exposita sibi lege vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibúsque fidelium. Ipse quippe ante aduentum iudicis saluatoris, non immerito speratur esse venturus: qui etiam nunc viuere non immerito creditur, &c. Idem in Ioānem cap. Tractatu 4. cap. 1. ad illa verba: respondit, non sum. Apertè docet Eliam ante secundum Christi aduētum esse venturum. Quæ omnium etiam aliorū fidelium doctorum sententia est. Quod autem in Apocalypsi cap. 11. de duobus testibus venturis dicitur, alterum quidem omnes, quos viderim, Eliam interpretantur: alterum verò, alij Enoch, alij Mosen intelligunt. Nos autem interim illam beati Petri exhortationem recipiamus, & opere impleamus qua dicit in epistola secunda cap. vltimo: Adueniet dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu transient: elementa verò calore soluentur: terra verò & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint: quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Nouos verò cœlos, & nouā terrā, & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.

Elias an & quomodo venturus sit, & modò ex istat.

Finis Comment. in Malachiam Prophetam.

Excudebat Guichardus Iullieron,
Typographus Regius.
Lugduni, 1596.

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ IN HOC OPERE EXPLICA-torum.

Cuius numerus prior caput autoritatis aliunde citatæ,posterior verò paginam huiusce libri indicat.

Genesis.

Prouerbia.

Ecclesiastæ.

Nunquid

Ieremias.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matth.

INDEX RERVM ET LOCORVM COMMVNIVM PRÆCIPVORVM.

A.

de

C.

D

E

EX NOVO TESTAMENTO.

Matth.

INDEX RERVM ET LOCORVM COMMVNIVM PRÆCIPVORVM.

A.

de

C.

D

Eccle

E

F

Fortitu

I

L

Mala

M

P.

FINIS.

ERRATA,

Quæ paſſim in hac prima operis editione, vt ſolet, inuito irrepſerunt Cenſore, quę ſic candidus Lector denuò in priſtinam reſtituet integritatem.

In textu & comment.

Pagina 8. linea 27. lege annos. pag. 16. lin. 30. lege ſolis ortus. pag. 190. in textu lin. 2. lege meam. pag. 131. lin. 17. leg. emendati. pag. 209. lin. 16. lege Rabbi. pag. 225. lin. 22. leg. detrimentum. pagina 257. lin. 7. lege quodam. pag. 263. lin. 25. lege contritio. pag. 303. lin. 4. lege coniunctim infelicius. pag. 497. lin. 20. lege mortali. pag. 506. lin. 16. lege conſumant.

In Additionibus.

Pagina 234. in additione lege vetus. pag. 347. leg. conceſſores. pag. 359. leg. præcedentes, incerta. pag. 397. le. placebant. pa. 428. le. I oan. 13. pag. 485. leg. factum. pag. 495. leg. Iudicium.

Hæc & plura inuenientur, ſed quæ ſint adeò leuioris momenti, vt hîc illa inſerere magis ſit nobis tædij, quàm futuro lectori vtilitatis.

Excudebat Guichardus Iullieron,
Typographus Regius.
Lugduni, 1596.